

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0002-9

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0004-0

TH-0935

Theodor Hahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0005-6

JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

Tom. IV.



F.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLVI.



VIRO

SUMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, PRÆCLARISSIMOQUE

FRANCISCO ULRICO RIES

S. S. Theologiæ Doctori, ejusdemque in Academia Marpurgensi Professori ordinario

Theologo summo ac summo Philologo

S. P. D.

JOH. FRID. STAPFER.

VIRO

SUMME REVERENDO, EXCEL-
LENTISSIMO, PRAECLA-
RISSIMOQUE

FRANCISCO ULRICO RILES

S. S. Theologiae Doctori, ejusdem-
que in Academia Marpur-
gensi Professori or-
dinario

Theologo summo ac summo
Philologo

S. P. D.

JOH. FRID. STAPFER.

Vir ſumme Reverende atque Celeberrime

ANimi mei erga TE ſpecimen aliquod publicum extare volui, neque meliori ratione id fieri poſſe arbitror, quam ſi hoc quidquid eſt operis Theologici NOMINI TUO nuncupem. Opus licet mo-

le parvum, pretio exiguum; pondere tamen rerum, quas continet, & momento Veritatum, quæ in eo pertractantur sese TIBI commendat.

Ingenium nimirum TUUM, magnarum multarumque rerum, tam Philosophicarum quam Theologicarum capax, quod Sapientiæ studiis maximopere excoluisti, ita comparatum est, ut non ad externum apparatum atque ornatum, non ad corticem sed nucleum respicias, ut internum rerum valorem atque pretium potius quam externum colorem æstimes. Et si hæc Libro meo, quem nunc TIBI dicatum consecratumque venio, desint, meum tamen erga TE animum ac voluntatem laudabis.

Ex familiari illo, quo me dignatus

tus es commercio, quis intus & apud TE sis, cognovi. Scio quodnam TIBI Veritatis ad Pietatem studium, quisnam erga Religionem animus ac sinceritas, quænam ad Ecclesiam in fidei puritate ac pacis unitate conservandam, cura; quænam in Regno Dei amplificando, gloriaque ejus promovenda opera TUA sit. Hæc non exiguam mihi spem faciunt, TE non plane Librum hunc spreturum, qui ita compositus est, ut totus quantus ad Dei optimique Sospitatoris nostri gloriam tendat.

Licet autem hæc mentis meæ ac ingenii ratio sit, ut omnes lites ac disputationes natura aversér, arma tamen mea in eos stringenda putavi, qui animi sui dotibus, à benigno ac clementissimo Creatore ipsis concessis; qui omnibus

ingenii viribus ac eruditione sua ita abutuntur: ut ea omnia ad sanctissimam Religionem impugnandam, ad Regnum Christi destruendum, ad Verbum ejus elevandum ac contemtim habendum, ad cœlestium Veritatum vim eludendam, adhibeant.

Cum nimirum, quidquid sum, quidquid habeo, quidquid possum, Domini mei esse sciam, omnia etiam ipsi soli impendenda esse puto. Ad sanctissimam ideo Dei Civitatem adversus conjuratos illius hostes tuendam, munimentum aliquod, arte humana fabricatum struxi; materiem ex ipsa divini Verbi ubertate, ex sanæ Philosophiæ præceptis, ex Virorum de Civitate Dei amplificanda meritissimorum, quos supra me profeciisse arbitrabar, Scriptis deprom-

promsi. Ex Lignis illis Cedro melioribus & Lapidibus auro ipso durabilioribus ordine concinno dispositis, ad munienda Ecclesiæ Castra Vallum feci.

Totum hoc polemicum Opus ita institui, ut Veritatum divinarum Evidentiam ostenderem, ut singulas seorsim & cunctas junctim & pulcherrimo suo nexu exhiberem; ut, contra, primum cujusvis Erroris fontem detegerem; ut hostium arma ac machinationes irritas redderem, ut cœlestem Veritatem contra eas munirem. Et ne ipsis meis ac veræ Religionis Adversariis injuriam aliquam afferrem, ipsorum mentem ex publicis privatisque eorum Scriptis exposui; in hypothesi illorum exponenda, examinanda ac refutanda ita animum meum com-

posui, ut nihil vel præconceptis opinionibus, vel humani nominis, vel Doctorum meorum Autoritati tribuerem, nec quidquam crederem quod vel sola Theologorum placita, vel Formularum Consensus, vel Conciliorum Decreta stabiliverunt; Nulli nimirum Sectæ, nulli Religionis factioni addictus, neque ulli humano nomini mancipatus solam Rationem ac Revelationem in Religionis negotio audiendam putavi.

Hæc nunc TIBI studia mea adprobari gestio, VIR MAXIME VENERANDE, cum non minus Theologica quam Philosophica cognitione emineas.

Præter has, quas jam adduxi, causas aliæ adhuc plurimæ sunt, cur

cur meam erga TE Venerationem, & verbis & opere, publice contestari voluerim. Sunt nimirum innumera TUA, quibus me dignum censuisti, officia & beneficia. Non enim probasti tantum, cum in Academia vestra duos annos versarer, & candorem meum, & simplicitatem meam, & vitæ uniformitatem, sed mollis semper mihi, & omni tempore facilis, TUI aditus fuit, apertæ mihi fores & faventes aures TUÆ fuere, suave & familiare commercium. Et metuentem, ne crebris ac importunis salutationibus molestus TIBI sim, sæpe commonefieri curabas, ut TE adire non diutius differam.

Quidquid exigere à TE poteram officiorum generis, facile ac maxima cum benevolentia mihi præ-

præstabas. Imo ut ipsemet aliquid à TE peterem opus non erat, pro insigni enim TUA erga me munificentia, omnia TUA ad usum ac commodum meum parata esse sæpissime asseverabas. Selectissima inprimis Bibliotheca TUA, tota quanta est, usibus meis destinata erat.

Unum hoc molestum mihi fuit, quod nihil plane in viribus meis esset, quod TIBI rependerem.

Neque nunc etiam benevolus TUUS erga me animus cessat, maximis enim me mactare muneribus ac beneficiis TIBI semper in votis est.

Harum rerum memoriam conservandam esse judicavi, dum æquum sit ut illæ à me agnoscantur

tur ac grata mente prædicentur. Accipe igitur, ea qua ſoles æquitate, hoc qualecunque Opuſculum Theologicum, ceu perpetuæ meæ erga te Obſervantiæ ſignum ac grati animi Teſſeram, & ea, qua me hactenus Benevolentia foviſti, porro dignari perge: multos adhuc in annos ſoſpes ſis, vivas atque floreas. Dabam Bernæ XII. Kalend. Martii MDCCXLVI.

SUM-

* * * \

VI. Exhibentur errores qui circa Cultum publicum committuntur. pag. 112
VII. Syſtema Religionis Pontificiæ quale eruditi ex Romana Eccleſia illud exhibent & credunt. pag. 121
VIII. De Methodo diſputandi cum Pontificiis. pag. 143
IX. Ab utraque parte conceſſa. pag. 164
X. Hypotheſeos papiſticæ refutatio. pag. 165
XI. Objectionum præcipuarum ſolutio. p. 294

CAPUT XV.

De Fanaticis.

Ubi habetur

I. Definitio quinam illi ſint. pag. 336
II. Hypotheſis eorum primaria ac generalis. pag. 338
III. Dogmata ex hypotheſi primaria deducta. pag. 340
IV. Hypotheſes *Anthoniæ Bourignon* & *Petri Poireti.* pag. 345
V. Hypotheſes *Valentini Weigelii.* pag. 357
VI. *Jacobi Bœhmii.* pag. 361
VII. Hypotheſes modernorum Inſpiratorum vel Separatiſtarum. pag. 376
VIII. Hypotheſes *Pſeudo-Myſticorum.* pag. 379
IX. De placitis *Dippelii.* pag. 395
X. Hypotheſis illius primaria & errores connexi. pag. 397
XI. A nobis, hisce Adverſariis, conceſſa. pag. 418
XII. Hypotheſeos Fanaticorum, Pſeudo-Myſticorum ac Dippelii refutatio. pag. 420
XIII. Objectionum ſolutio. pag. 440

CAPUT

CAPUT XVI.

De Pelagianismo.

Ubi explicatur

I. Quisnam Hæreseos hujus Auctor sit? p. 483
II. Hypothesis primaria. pag. 484
III. Fons hæreseos hujus. pag. 484
IV. Caussa Erroris. pag. 486
V. Errores cum hypothesi primaria connexi. pag. 487
VI. Hypotheseos Pelagii Refutatio. pag. 491
VII. Objectionum præcipuarum solutio. p. 508

CAPUT XVII.

De Arminianis.

Ubi invenitur

I. Sectæ hujus Auctor. pag. 525
II. Errorum caussa. pag. 527
III. Hypothesis primaria & errores connexi. pag. 528
IV. Hypotheseos Remonstrantium Refutatio. pag. 544
V. Objectionum præcipuarum solutio. p. 550

* * * * *
* * * *
* * *
* *

INSTI-

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ Ordine Scientifico dispositæ.

CAPUT XIII.

De Indifferentismo Religionum sive De Religione Prudentum contra eos qui statuunt, Quamcunque Religionem profitearis perinde esse.

§. I.

PEr Religionum INDIFFERENTISMUM eam intelligimus hypothesin, qua statuitur æquipollentia Religionum, ut quamcunque amplectaris Religionem perinde sit.

§. II.

Vocatur etiam *Libertinismus* sentiendi & credendi. Nec non *Religio eclectica* quæ nulli fidei formulæ homines adstringit. Vel etiam *Religio Prudentum*; dum Indifferentistæ crassiores se solos sapientes esse arbitrantur. Ut & *Religio statistica* & aulica, si Rationi status applicatur; ut Religio nil sit quam status politici ministra.

§. III.

Indifferentismus distinguitur in *Generalem* & *Specialem.*

§. IV.

Indifferentismus generalis ad omnes sese Religiones extendit, ad Christianam, Judaicam, Mahomedanam & Ethnicam, quæ omnes æquipollentes habentur; ut nullum sit discrimen, cuicunque ex his addictus sis. Licet aliqua suscipienda sint sacra, non multum tamen referre quænam illa sint, *aut* secundum morem illum qui in patria obtinet, *vel* quem Parentes & Præceptores docent, *vel* Magistratus præcipit, Indifferentistæ crassiores arbitrantur.

Ità nimirum scribit THEODORUS LUDOVICUS LAU, *Meditationum Philosophicarum de Deo, Mundo, Homine* Cap. I. §. 21. pag. 17. „Colo Deum talem, qualem Princeps, vel Respublica „me jubet. Si Turca, Alcoranum; si Judæus, vetus „Testamentum; si Christianus novum Testamentum „veneror pro Religionis meæ lege & norma. Papa „si imperans, Deum credo transsubstantiatum: si Lu„therus, Deus mihi in cum & sub pane circumvalla„tus; si Calvinus, signum pro Deo sumo: sicque, cu„jus regio in qua vivo, ejus me regit opinio, & qua„lis illius Regionis Deus fictus Theologicus; vel poli„ticus;

„ticus ; seu statisticus, talis & ille mihi placet & pla„cere debet. VOLTAIRE dicit in scriptis suis p. 260. *Que je me plais à voir Dieu peint comme un bon Pere de famille, qui choie tous ses enfans, blancs, noirs, jaunes, avec nez long ou plat, avec Turban ou Chapeau, avec Prepuce ou sans Prepuce : Vous autres bons Papistes, pour l'ordinaire, Vous brulez les Gens en cette Vie & en l'autre ; & voila en quoi nôtre Religion passe la vôtre, nous croiyons le même Dieu ; mais nous ne brulons personne.*

§. V.

Indifferentismus generalis est vel *Atheisticus*, vel, sit venia verbo, *Naturalisticus*.

§. VI.

Prior ideo locum habet, quia Athei profitentur omnes Religiones nil nisi figmentum esse, Sacerdotum fraudem, vel Politicorum astum ; unde non possunt non omnes Religiones in eodem pretio habere.

§. VII.

Ita *Deistæ*, dum divinam Providentiam inficiantur, eo ipso Religionem abjiciunt ; ut quamcunque externe profitearis perinde sit. Idem etiam *Epicuræi*, omnem divinam Obligationem negantes, statuant oportet.

§. VIII.

Posterior, Naturalistarum indifferentismus, inde est, & in hoc consistit : quod hi quidem Religionis naturalis principia admittunt, omnes vero Religiones Revelatas rejiciunt ; ut dummodo homo Religionis Naturalis regulas sequatur, non multum interfit, quamnam ex receptis Religionibus recipiat.

§. IX.

Hi communi *Libertinorum* nomine comprehenduntur, qui se Gallico idiomate *Les Esprits forts* dici amant: Ita quoque Lingua nostra vernacula **Freydencker** vel **Freygeister** nominamus.

§. X.

Ex quibus patet, eos qui vulgo *Esprits forts* appellantur, vel Atheos esse; vel Deistas; vel Epicuræos; vel Naturalistas; ut hoc commune omnium illorum sit nomen, quod varias Indifferentistarum species complectitur.

§. XI.

Indifferentismus specialis non ad universas Religiones sese extendit, sed ad varias solum Christianismi Sectas; ut quidem una illarum altera melior esse possit; differentiam tamen tantam non esse ajunt, ut per illam fidei fundamentum evertatur. Qui dum hæc asserunt ad Socinianismum proxime accedunt.

§. XII.

Hi vulgo *Latitudinarii* dici solent; quæ vox à latitudine originem suam habet, dum viam ad beatam vitam tam latam faciunt, ut cuicunque Christianismi sectæ illa pateat.

De Indifferentismo maxime speciali, qui Indifferentiam solum inter Religiones Protestantium statuit, & Syncretismus etiam appellatur, in hoc tractatu nostro non acturi sumus.

cf. § 84 a. E.

§. XIII.

Indifferentismum Atheorum Naturalistarumque, nec non omnium illorum qui Libertinismum

mum profitentur, quod attinet; Ex variis Principiis Religionum discrimen, respectu Dei, tollunt, varii indifferentismi fautores.

§. XIV.

Atheos, Deistas & Epicuræos quod spectat, Religionis Exercitium utile esse quidem non inficiantur, ad refrenandum & in officio continendum Populum; sed à mero hominum arbitrio Religionis placita atque divinum Cultum dependentem faciunt, dum nullus illius ad Deum sit respectus, sed in commodum solum Societatis Politicæ inventus.

§. XV.

Inde est quod, dum statuunt Religionem ad hominibus metum incutiendum inventam esse, asserant: Metum solum esse Religionis principium, unde illa originem suam habeat, illamque non derivant à Dei hominisque mutua relatione & inde nascente obligatione.

Unde THOMAS HOBBES *in Leviathane* Cap. VI. pag. 28. ita definit: Metus Potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab Historiis acceptæ sint publice, *Religio* est; si publice acceptæ non sint, *Superstitio*. Quando autem potentiæ revera tales sunt, quales accepimus, *Vera Religio*. Et Cap. XII. pag. 54. dicit: Non est dubitandum quin Religionis Semen in homine solo obtineat, consistatque in aliqua qualitate (aut saltem in aliquo ejus gradu) homini propria: & pag. 57. In his autem quatuor rebus, Metu Spirituum, Ignorantia Causarum secundarum, Cultu eorum quæ timent, & sumtione fortuitorum pro prognosticis, consistit Religionis semen naturale, quod per hominum phantasias, Judicia, Passiones & Consilia diversa, adeo diversas produxit ceremonias, ut quæ Lege in una Civitate comprobantur, in alia derideantur.

§. XVI.

Metus autem ille *Potentiarum inviſibilium* ab hominibus aſtutis atque dominandi cupidis eo converſus atque adhibitus fuit, ut Populum ſibi obedientiorem facerent, adeo ut Religio in metu Potentiarum illarum inviſibilium conſiſtens Societatis Politicæ erigendæ & conſervandæ gratia exculta fuerit.

Ita nimirum THOMAS HOBBES *Leviathan* Cap. XII. pag. 57. „Semina autem, inquit, hæc à duobus ho„minum generibus culturam nacta ſunt. Primum ge„nus eſt eorum, qui ſecundum ſuas ipſorum phanta„ſias, Religionum authores extiterunt. Alterum eo„rum, quibus ab ipſo Deo præcepta & præſcripta Re„ligio fuit. Utrorumque autem conſilium erat ini„tiatos ſuos ſibi reddere obedientiores. Illorum Re„ligio pars politicæ; Horum Politica pars Religionis „fuit, & præcepta continet, qualia illis conveniunt „qui in Civitatem Dei admittuntur. Illorum Religio„nes à Legislatoribus Gentium: Horum Religio ab Ab„rahamo, Moſe, & Jeſu Chriſto, qui Regni Cœlorum „Leges nos docent, inſtituta eſt. *Et pag.* 59. Fun„datores ergo Civitatum, & Legislatores Gentium „primi, quibus Populum in obedientia continere con„ſilium erat, ſedulo providerunt: Primo, ut Præcep„ta Religionis non ab ipſorum ingenio, ſed ab alicu„jus Dei vel Dæmonis dictamine Populus profecta eſſe „crederet, vel ſeipſos melioris naturæ homines eſſe „quam cæteros, eo fine ut Leges ſuas libentius acci„perent. Sic Numa Pompilius Religionis Romanæ Ce„remonias Nymphæ Egeriæ, Mahometes Religionem „ſuam Spiritui Sancto imputavit. *Pag.* 60. Per has „ſimilesque inſtitutiones, ad finem ſuum, nempe pa„cem Civitatis, hoc ſaltem obtinuerunt, ut Populus „Calamitates ſuas errori alicui, vel neglectui in agen„dis Sacris, vel propriis Legum transgreſſionibus at„tribuens, minus contra Rectores ſuos incitaretur - - „Ubi vero per Revelationem ſupernaturalem planta„vit Religionem Deus, ibi etiam Regnum ſibi condi„dit

„dit peculiare ; subditisque suis Leges dedit, non mo„do circa officia eorum erga seipsum, sed etiam erga „seinvicem. Manifestum ergo est, in Regno Dei „Politiam & Leges civiles omnes Religionis partem „esse ; ideoque Distinctionem Dominii Temporalis & „Spiritualis in Regno Dei nullam fuisse. „ Videtur HOBBESIUM hic ad solam Theocratiam in Populo Israëlitico erectam respicere, ut Deum Religionis Judæorum Autorem ceu Monarcham aliquem politicum consideret, qui ad populum obedientiorem sibi faciendum Religionem præscribit. Eodem etiam tendunt quæ habet TOLANDUS in *Adeisidæmone* pag. 7. ubi ita habet: *De Numa Pompilio, secundo Romanorum Rege verba faciens Livius Lib. I. Cap. XIX. Omnium primum (inquit) rem ad multitudinem imperitam, & illis Sæculis rudem, efficacissimam, Deorum Metum injiciendum ratus est, cum descendere ad animos sine aliquo commento Miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse: Ejus se monitu, quæ acceptissima Diis essent Sacra instituere. Eadem,* addit TOLANDUS, *omnino de multis aliis Legislatoribus, præsertim vero cum Religiones aut Sacra instituissent, referunt probatissimi Scriptores, & simplex credidit Vetustas.* Idem etiam celebris hic vir docet in *Originibus Judaicis*, quas ita inchoat: „Fateris Augu„ste dulcissime me recte omnino affirmare, in Adeisi„dæmone meo, nobiliores fere omnes & doctiores „Romanos, Cultum Sacrum, à Numa Pompilio tra„ditum, vel tradi creditum, pro Politico habuisse „commento ; & ut cum Cicerone loquar de Nat. D. „L. 1. Eos persuasos fuisse totam de Diis immortali„bus opinionem, fictam esse ab hominibus Sapienti„bus Reipublicæ caussa : Ut quos Ratio non posset, eos „ad officium Religio duceret. Errabat enim, (ut ali„bi scribit Cicero de Divinat. Lib. II.) multis in re„bus antiquitas, quam vel usu jam, vel doctrina, vel „vetustate, immutatam videmus : Retinetur autem & „ad opinionem Vulgi, & ad magnas utilitates Reipu-

„blicæ, Mos, Religio, Disciplina, Jus Augurum, col„legii Autoritas.„ Pag. 188. *Orig. Jud.* cit. Autor ita loquitur: *Sed missis iis, quæ apud Judæos invenit temporis progressu, aut omisit superstitio: Pauca disseramus de ista Tyrannide quam ex eodem cum superstitione fonte, è principatus nimirum & Sacerdotii in uno homine conjunctione, ut plurimum dimanasse observat Strabo; Nam ubicunque hoc accidere contingit, omnia quæ tali homini placuerint, aut è re sua videri potuerint, apud subditos procul dubio inaudiri debent Lex & Religio. Vere itaque Tacitus Hist. L. V. quod Judæi sibi Reges imposuere, qui mobilitate Vulgi expulsi, resumta per arma dominatione, fugas Civium, Urbium eversiones, Fratrum, Conjugum, Parentum neces, aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant: Quia honor Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur. -- Scite vero Strabo animadvertit, quandam arci eorum exhibitam fuisse Reverentiam, quia non pro Tyrannorum domicilio, sed pro Jehovæ Templo vulgo habebatur. Domus itaque & Dominorum eadem Natura & Conditio: Ipsi enimvero Tyranni duplicem Personam, Principis utique & Sacerdotis, callide induebant. Idem de arce hac subolfecit Tacitus Hist. Lib. V. cui est, immensæ Opulentiæ Templum, intimis clausum; ad Fores tantum Judæo aditus, à limine præter Sacerdotes arcebantur. Vides hic Sacerdotes in præsidio collocatos, Cives in Servitute retentos, & ut suspectos ab arce procul remotos.*

§. XVII.

Cum ergo Religio *merum* hominum *commentum* sit, necessario etiam statuendum fuit, eam nonnisi in hominum fidem resolvi, illorumque testimonio niti. De

De qua re ita HOBBESIUS *Leviat.* Cap. XII. pag. 60. „Cum enim, ait, Religio omnis formata, ab initio „fundata sit in fide quam habet uni alicui Personæ mul„titudo hominum, quam Personam non modo Virum „*Sapientem* esse, & *Benevolum credit*, sed etiam *San„ctum*, & cui Deus Voluntatem suam supernaturali „modo dignatus sit *Revelare*; necessario sequitur, ut „tunc, quando Antistitum Religionis aut Sapientia, „aut Benevolentia, aut Sanctitas suspecta est, aut „Revelationis indicium omne deest, Religio quam „sustentatam vellent, nisi Gladius Civilis prohibeat, „rejiciatur. „

§. XVIII.

Cum is solum Religionis usus atque finis sit, ut Reipublicæ pax & tranquillitas conservetur; illaque ergo tota Rationi Status debeat esse accommodata; Ea vero, quæ ad Reipublicæ conservationem faciunt, à Principis voluntate pendent, ut ipsius sit leges præscribere: facile patet, etiam Religionem à Principis arbitrio pendere, ut illa homines non obliget nisi Principis jussu, ut inde omnem homines obligandi vim accipiat.

Idem docet SPINOZA *Tractatus Theolog. Polit.* Cap. XIX. pag 214. „ Nam prius ostendere volo, Religio„nem vim juris accipere ex solo eorum Decreto, qui „jus imperandi habent; & Deum nullum singulare Re„gnum in homines habere, nisi per eos, qui impe„rium tenent, & præterea quod Religionis Cultus, „& Pietatis Exercitium Reipublicæ paci, & utilitati „accommodari, & consequenter à solis summis Pote„statibus determinari debet, quæque adeo ejus etiam „interpres debent esse. *Hæc Philosophus iste sæpius re„petit.* pag, 217. *dicit*: Absolute igitur concludimus „Religionem, sive ea lumine naturali, sive prophe„tico revelata sit, vim mandati accipere ex solo eo„rum Decreto, qui jus imperandi habent, & Deum „nullum singulare Regnum in homines habere, nisi

„per eos qui imperium tenent. *Addit* pag. 222. Sive „igitur rei veritatem, sive imperii Securitatem sive „denique Pietatis incrementum spectemus, statuere „cogimur jus etiam divinum, sive Jus circa Sacra à „Decreto summarum potestatum absolute pendere, „easque ejusdem Interpretes esse & Vindices; Ex qui„bus sequitur, illos Dei verbi ministros esse, qui po„pulum ex Autoritate summarum Potestatum pieta„tem docent, prout ipsa ex earum Decreto publicæ „utilitati accommodata est. „

Ita HOBBESIUS *Leviathan*, fere in fine Capitis XXVI. pag. 136. ita loquitur: „ Quare ergo pro Le„ge divina habere obligati fuerunt Israëlitæ, id quod „pro lege divina ab Abrahamo declaratum est, nisi „quia in filios & servos suos summam habuerit Abra„hamus potestatem. - - - Manifestum est (ex Gen. „XVIII. 18.) obedientiam Abrahamo à familia sua de„bitam dependisse ab obedientia ante ipsi debita ut „summam habenti in ipsos filios & servos suos pote„statem. Nulla enim Familiæ facta est Revelatio di„vina. In montem Sinai ad Deum ascendit solus Mo„ses; Populus ne ascenderet vetitus est ne morere„tur. Obligabatur tamen; Cur? quia ipsi Mosi pro„miserant facere omnia quæ imperaret, dixerantque „loquere tu nobiscum & audiemus; sed ne loqua„tur nobiscum Deus, ut non moriamur. Ex quibus „duobus locis satis constat, in omni Civitate, Civem, „cui non sit facta Divinæ Voluntatis Revelatio certa & „immediata, debere pro Voluntate divina, Legibus „obedire Civitatis. Nam si pro Mandatis Dei, sua vel „privatorum hominum quorumcunque somnia, & Phan„tasmata Cives sumerent, vix duo essent, qui de Man„datis Dei inter se non dissentirent, imo etiam Man„data Civitatis non contemnerent. Dico ergo, in re„bus omnibus Legi Morali, id est Legi Naturæ non „contrariis, Cives omnes obligari ut pro Lege divina „habeant, quicquid à Lege Civili pro Lege divina de„claratur. Manifestum enim est, id quod non est con„tra Legem Naturalem, fieri posse à summa Potesta„te Legem Civilem. Neque in ulla parte Orbis Ter„rarum permissum est, aut fuit Civibus Mandata Divi„na

„na alia factis suis prætendere, præter ea, quæ à Ci-
„vitate approbantur. Et ut Civitates Christianæ, de-
„ficientes à Religione Christiana, ita Civitates non
„Christianæ, à Religione sua deficientes puniri solent.
Et Cap. XL. pag. 220. „ Manifestum hinc est, illos
„quibus Deus immediate loquutus non est, accipere
„pro legibus Dei eas debere, quas dictaverit is, qui
„summam in eos habet Potestatem; sicut & familia
„& Semen Abrahami, eas accepit ab Abrahamo Patre
„& Domino suo. In omni ergo Civitate, qui Reve-
„lationem supernaturalem non habent in Contrarium
„(*scilicet peculiarem*), Legibus ejus, qui summam ha-
„bet in Civitate potestatem, in omnibus actionibus
„externis circa Religionem obedire obligantur. Pag.
246. Cap. XLII. ita fatur: „ Scriptura ergo Veteris
„Testamenti quam habemus hodie, Canonica Judæis
„non erat: neque Lex antequam renovassent Pactum
„sub Esdra, postquam à Captivitate rediissent in Ju-
„dæam: ab eo autem tempore, pro Lege Judæorum
„semper habita est. - - Erat autem Esdras Sacerdos
„summus, & proinde is, qui summam in Judæis ha-
„buit potestatem Civilem. Itaque Scripturæ nunquam
„hactenus Leges factæ erant, nisi à summo Civitatis
„Imperante. De Testamento Novo satis apparet ex an-
„tiquis Patribus qui fuerunt ante tempora Imperato-
„ris Constantini Magni, quod à Christianis omnibus
„pro dictamine Spiritus S., & proinde pro Regula
„fidei receptum erat. - - Veruntamen eo tempore,
„non Potestas & Autoritas Doctoris, sed audientium
„fides fecit, ut reciperentur, manifestum est, Novum
„Testamentum Legem factum esse, non ab ipsis Apo-
„stolis, sed scripturam illam Legem sibi ipsi factam
„esse ab unoquoque Proselytorum. Sed non quæri-
„tur hoc loco, quid Christianus Legem vel Canonem
„sibi ipsi fecerit (qui eodem jure, quo fecerit, reji-
„cere etiam potuit) sed quid ita ipsi Lex facta sit, ut
„illam transgredi sine injustitia non potuerit? Testa-
„mentum Novum ante Constantinum M. hoc sensu,
„nemini potuit Lex esse: Repugnat enim naturæ Le-
„gis. Lex quippe (ut supra sæpe dictum est,) Man-
„datum est illius sive hominis, sive Cœtus, qui sum-
„mam habet in Civitate Autoritatem, Legumque fe-
„renda-

„rendarum Jus, transgressorumque puniendorum solus „habet. Quando ergo alius quicunque præter illum „Regulas vivendi Civibus præscribit, Regulæ illæ Le„ges non sunt, sed Consilium, quale sive Bonum sive „Malum, is cui Consilium datur, observare vel ne„gligere potest absque injustitia, & siquidem Legibus „jam constitutis contrarium sit, sive Bonum sive Ma„lum, observare sine injustitia non potest. - - Quo„niam ergo Servator noster Regnum suum in hoc mun„do esse negavit, & non ad judicandum, sed ad Sal„vandum in mundum venisse se affirmavit, non aliis „Legibus nos subjecit, quam Legibus civilibus, nem„pe Judæos quidem Legibus Mosaicis - - Gentes au„tem alias Civitatum suarum Legibus Civilibus: & „Genus humanum universum Legibus Naturalibus. - - „Proinde Testamentum novum, in quo Doctrina illa „continetur, quamdiu non essent Principes & Legis„latores, qui observationem ejus imperarent, non erat „Lex, sed ad perducendos homines ad Salutem, Con„silium tutum, quod unusquisque accipere, vel reji„cere suo periculo potuit sine injustitia - - Apostoli - - non potuere facere, ut Doctrina eorum vim „haberet Legum, sine Voluntate eorum, qui in Ci„vitatibus suis summam habuere Potestatem. Testa„mentum ergo Novum in iis locis tantum Lex est, in „quibus ita à Summa potestate Civili facta est. Idem Autor in *Elementis philosophicis de Cive* Cap. XV. §. XVII. pag. 278. hæc inter alia dicit: *De Legibus autem sacris considerandum est, quod supra Cap. V. Art.* 13. *demonstravimus, singulos Cives tantum juris in eum vel eos qui imperium habent Civitatis, quantum transferre potuerunt, transtulisse. Potuerunt autem transferre jus decernendi de modo quo Deus honorandus sit, ergo & transtulerunt. Quod autem id potuerint, ex eo manifestum est, quod modus honorandi Deum ante constitutam Civitatem ab uniuscujusque ratione privata petendus erat. Unusquisque autem rationem privatam rationi totius Civitatis submittere potest.*

Eadem

§. XIX.

Eadem ratio est, cur etiam Jus interpretandi Sacram Scripturam, & omnes controversias determinandi, soli summo Imperanti competere asserunt.

Ita nimirum HOBBESIUS *Leviathan* Cap. XXXIII. in fine pag. 182. *Quicunque enim Potestatem habet legitimam faciendi, ut scriptura aliqua pro lege habeatur, Potestatem etiam habet, ejusdem scripturæ interpretationem approbandi & improbandi.* Et Cap. XL. pag. 220. *Deducitur inde tertio, quod sicut solus Abrahamus in Familia sua, ita is solus, qui summam habet in Civitate Christiana potestatem, scire supponatur, quid sit quod Deus loquutus est; id est solus Divini Verbi Interpres existimandus est. In Elementis Philosophicis de Cive* uberius hac de re sese explicat Cap. XVIII. ubi §. XXVII. pag. 372. ita concludit: *Restat ergo quod in omni Ecclesia Christiana, hoc est, in omni Civitate Christiana Scripturæ Sacræ interpretatio, hoc est, jus Controversias omnes determinandi dependeat & derivetur ab auctoritate illius hominis, vel cœtus, penes quem est summum imperium Civitatis.*

§. XX.

Licet totum Religionis Exercitium, atque Doctrina publice tradenda, omnem obligandi vim à solo Magistratu politico accipiat, & ab iis, qui summam in Republica Potestatem habent, dependeat; Libertas propterea philosophandi plenaria atque quælibet sentiendi non tollitur, sed nihilominus cuilibet privato permissum est, aut dicere, aut sentire de Religione quidquid vult,

vult, modo Mandato supremæ Potestatis Politicæ convenienter agat.

SPINOZA *Tract. Theol. Polit.* Cap. XX. probare contendit: In Libera Republica unicuique & sentire quæ velit, & quæ sentiat dicere licere. Facile vero ipsi concedo quæ habet pag. 225. dum dicit: *Imperium illud violentum censendum esse, quod in animos est, & quod summa Majestas injuriam subditis facere eorumque jus usurpare videatur, quando unicuique præscribere vult, quid tanquam verum amplecti & tanquam falsum rejicere, & quibus porro opinionibus uniuscujusque animus erga Deum devotione moveri debeat; hæc enim uniuscujusque Juris sunt, quo nemo, etsi velit, cedere potest.* Pernegamus autem quæ celebris hic Autor pag. sequente 226. adjungit: *Illud ergo*, inquit, *Imperium violentissimum erit, ubi unicuique libertas dicendi & docendi quæ sentit, negatur, & contra id moderatum, ubi hæc eadem Libertas unicuique conceditur.* HOBBESIUS *Leviathan* Cap. XLII. pag. 234. „ Quid autem (inquiet aliquis) si Rex, vel „Senatus, aut quicunque summam in Civitate habet „potestatem, credere in Christum prohiberet? Respon„deo: Prohibitionem talem frustraneam ideo esse, „quia credere & non credere non sequuntur impera„ta hominum, quia an credamus nec ne scire non pos„sunt, nec si scirent mutare. - - Si porro quæratur, „quid si jubeamur à Principe nostro legitimo dicere, „quod non credamus, obediendum ne est? Respon„deo, vocem hominis rem externam esse, neque si„gnificare obedientiam proferentis posse, magis quam „alius quicunque gestus corporeus, & Christianum ho„minem in rebus hujusmodi, si corde in Christum cre„dat, eandem habere Libertatem, quam concessit „Naamano Syro Propheta Elisa 2. Reg. V. 17. p. 268. dicit:

dicit: *Leges obligant; ad credendum vero nemo obligari potest, sed ad actiones tantum & verba, si opus sit.* Quod posterius nos non negamus.

§. XXI.

Cum Doctrina in Ecclesia proferenda, & totus divinus Cultus, & omne Religionis Exercitium, in solidum à summa Potestate politica dependeat, & pro ipsius nutu atque arbitrio in Civitate Dei omnia geri debeant, quæ ad Sacra spectant: Sequitur Regem & Magistratum politicum etiam supremum Ecclesiæ Pastorem & absolutum illius Episcopum esse.

Ita nimirum HOBBESIUS *Leviathan* Cap. XLII. pag. 256. *Quoniam igitur in omni Civitate Christiana, is qui summe imperat, Pastor etiam summus est, cæterique Pastores illius Autoritate fiunt, sequitur Pastores cæteros illius Ministros tantum esse, non aliter quam qui Urbibus, Provinciis, vel Oppidis præficiuntur; non quia subditi illius sunt, qui docent, sed qui docentur. Fieri potest, ut Rex aliquis subditorum suorum Pastorem constituat Regem alium (ut multi Reges Christiani Pastorem fecerunt subditorum suorum Papam Romanum) non tamen Pastorem suum illum facit, neque subditorum suorum summum: Nisi Potestate Civili seipsum spoliare velit. In qua Civitate igitur Pastores constituit Persona externa, non id facit jure suo, sed jure ejus qui Civitati illi imperat.* Et pag. 268. eod. Cap. ita loquitur. „Inferri ergo „ex hoc Textu potest (scil. Lucæ X. 16.), illum qui „Regem suum Christianum audit, audire Christum; „illumque, qui Doctrinam *Regis sui Legibus confir-* „*matam* aspernatur, ipsum Christum aspernari. Ob-

servan-

servandum hic est in genere ad omnia ea quæ HOBBESIUS de summa Potestate asserit, eum illi fuisse animum, cum tam *Elementa Philosophica de Cive* quam *Leviathan*, sive *Tractatum de Materia, Forma, & Potestate Civitatis Ecclesiasticæ & Civilis* ederet, hoc ipso Patriæ suæ motibus obviam ire, quæstiones de jure Imperii & debita Civium obedientia sic decidens, ut absolutum Dominium tam in Ecclesiasticis quam in Civilibus, in fidem, vitam & bona subditorum Regi suo assereret, sic ad omnimodam & simplicem obedientiam subditos adstringeret, & seditiosas opiniones Animis, manibusque Arma excutere tentaret.

§. XXII.

Cum is, qui in Republica summam Potestatem habet, simul in Ecclesia illa sit Episcopus & Pastor summus, ipsi necessario etiam competit jus publice docendi & Sacramenta administrandi.

HOBBESIUS *Leviathan* Cap. XLII. pag. 257. hac de re ita: „ Atqui, si unusquisque Rex Christianus subditorum suorum summus quoque Pastor sit, etiam „non solum prædicandi (quod forte non negatur) sed „etiam baptizandi, Sacramentum Cœnæ Dominicæ administrandi, & Templa Sacerdotesque consecrandi jus „habere videri potest, quod non facile concedetur, „neque enim id facere solent; neque sine impositione „manuum Episcopi vel Presbyteri fieri consuevit. Ut „probemus ergo Reges Christianos Ministeriis illis uti „posse, ratio reddenda est, tum quare id non faciant, „& quomodo sine Ceremonia illa usitata impositionis „manuum, id si voluerint facere jure possint.

§. XXIII.

Ex iis, quæ hactenus à nobis dicta fuere patet; Eam semper obtinere debere Religionem, quam in unaquaque Republica summus Imperans profitetur & præcipit; ut si in Imperio Turcico vivas, Alcoranum profitearis necesse sit; si in

in medio Papismo vivas, Papæ jussa tibi in omnibus capessere incumbat; si Reformati Principis subditus sis, hanc solam ob caussam Reformatorum etiam Doctrinam profiteri tenearis.

§. XXIV.

Ut autem homines ejusmodi apud alios fidem inveniant, impiaque sua Dogmata propagare possint, aliis persuadere nituntur, perinde esse quid de Deo rebusque divinis sentiamus, varios etiam esse Deum colendi modos, quibus omnibus Deus æqualiter delectetur, ut per eum perinde sit quacunque ratione colatur.

Ita jam olim THEMISTIUS celebris inter Gentiles Orator atque Philosophus, Joviani, Valentis & Valentiniani temporibus florens, Religionum indifferentiam docuit, & Imperatores Christianos ad utriusque Religionis tam Christianæ quam Gentilis Tolerantiam hortatur, dum *Oratione XII. ad Valentem Imper.* pag. 159. & *Orat. V. ad Jovianum* pag. 69. inter alia dicit: Deum ipsum Cultuum illorum varietate delectari, hominesque per quandam æmulationem ad se colendum vividius impellere. Unde idem hic usu veniat, quod in publicis certaminibus, ubi Cursores omnes non per eandem viam, nec eodem in stadio currant, omnes tamen ad præmium tendant. Ita in Exercitibus non unum militum genus esse, sed alios quidem gravioris armaturæ, alios Equites, alios Funditores; sic etiam in Imperio non esse unam hominum sortem, alios esse agricolas, alios Oratores, alios Philosophos; Hac etiam varietate Universi auctorem ac principem delectari dicit, unde aliis institutis ac ritibus Syri utantur, aliis Græci, aliis Ægyptii &c. Ita de Rege quodam Siamensi refertur, in itinerario TACHARDI, cum Galliarum Regis Legatus, ut Religionem Christianam amplecteretur, ipsum admoneret respondisse, mirari se Galliarum Regem id curæ cordique habere, quod Deus ipse, cujus res ageretur, parum curaret: adjungens illum Cœli Terræque Dominum, qui tam varias

naturas variasque animi propensiones hominibus indiderit, potuisse sine dubio easdem opiniones eundemque Cultum omnibus instillare: videri itaque illa Cærimoniarum diversitate delectari, eodem plane modo quo ex infinita Creaturarum varietate gloriam suam educat.

§. XXV.

Aliud Indifferentistarum genus efficiunt illi, qui nihil certi de Deo & de Religione sciri affirmant, remque omnem in Religione huc redire dicunt, ut moraliter bene vivamus: hoc est, justitiæ & æquitatis regulas observemus; non multum cæterum interesse cuinam ex receptis Religionibus nos addicamus, dum in rebus credendis tanta sit opinionum discrepantia, ut nesciamus ubi tuto pedem figere possimus.

§. XXVI.

Huc pertinet *Scepticismus* sive *Pyrrhonismus Theologicus*, vel dubitatio illa universalis, qua quodvis fere Christianæ Religionis Dogma & ipsa illius veritas in dubium vocatur.

Commemorandus hic est, inquit Celeb. BUDDEUS *Isagoge Lib. post.* Cap. VII. pag. 1209. Petrus Bælius, qui, ut generatim Pyrrhoniorum seu Scepticorum subinde subscribere placitis videtur; ita speciatim *in commentario philosophico super hæc verba: Compelle eos intrare*, ut tolerantiam dissentientium eo magis stabiliat, dogmata super quibus disputatur, ita comparata esse contendit, ut certi quid de iis definiri nequeat. De Bælio hoc Reverendiss. PFAFFII judicium est *Dissert. prior. de Præjud. Theol.* §. XXIII. in notis litt. a. pag. 79. *Nec pro Bælio*, inquit, *quis allegaverit, rejectum ab ipso fuisse Pyrrhonismum in rebus sacris, cum sub finem Dictionarii Historici & Critici posuerit Dilucidationem numero*

ro tertiam, quod ea, quæ in Dictionario de Pyrrhonismo dicta fuerint, Religioni nocere nequeant. Tom. III. f. 3153. seq. Præterquam enim quod hinc inde sarcastica ipsius dicendi ratio, qua de re tam sacra pronuntiare audet, ostendit, ipsum dicis gratia & ne vel Bibliopolæ vel famæ suæ noceret, ista posuisse, aliud omnino conjiciet is, qui ipsum perlegerit Dictionarium cæteraque ipsius scripta, ad Pyrrhonismum Theologicum stabiliendum data opera exarata : Hucusque PFAFFIUS. Addunt Bælio nonnulli, præter illustrem Schaftsburium, Collinum, S. Evermundum, ipsum etiam Lockium, nec non Thomam Brovvne propter Libellum, quem conscripsit *de Religione medici*, hanc præcipue ob caussam quod Sect. LIII. pag. 296. Ethnicis etiam, qui honeste vixerint, salutem æternam abjudicari non posse, asseruerit. ed. 1953 (engl.) p. 814. (sect. 54)

§. XXVII.

Ad indifferentistarum numerum etiam omnes illi pertinent, qui, nullam Religionem revelatam profitentes, Naturalistarum nomine veniunt, de quibus Cap. X. egimus.

§. XXVIII.

Hi enim non possunt non omnes illas Sectas quæ Revelationem quandam pro vera habent, uno eodemque pretio æstimare : Hoc est, omnes illos qui præter naturalem revelatam etiam Religionem credunt, pro talibus habere qui misere decipiantur.

§. XXIX.

Et dum Revelationem non admittunt, quia sibi opus non esse existimant, non possunt non ipsam Religionem Christianam, Muhammedanam, Judaicam, Gentilem eodem, ratione dignitatis suæ, loco habere, quatenus omnes quatuor

Religionem Naturalem retinent ; unde etiam quamcunque profitearis perinde est. Fundamentum enim, ex Naturalistarum mente, Principia scilicet Rationis, in omnibus his Religionibus salvum ac inconcussum manet, reliqua vero, quæ de Revelatione proferuntur, ceu fabulosa abjicienda sunt.

§. XXX.

Sequuntur *Fanatici* nonnulli crassiores, qui lumen quoddam internum, quod divinum esse ajunt, Religionis Principium faciunt.

§. XXXI.

De Lumine hoc interno non modo asserunt, illud homini natura ingenitum esse, sed per illud etiam omnia ea cognosci posse dicunt, quibus ad salutem consequendam opus est.

§. XXXII.

Sequitur inde, Religionum differentiam nullam esse, dum unusquisque in qualibet Religione vi Luminis hujus interni salvari queat.

Hinc ROBERTUS BARCLAJUS *in Apologia Theol. vere Christian.* pag. 173. inter alia ita scribit : „ Intra „unam Ecclesiam Catholicam omnes comprehendun„tur, cujuscunque nationis, generis, linguæ, vel fami„liæ sint, qui obsequuntur divino lumini & Dei testi„monio in cordibus suis, ita ut per illud sanctificentur „& à malo abluantur. *Addit* : possint igitur hujus Ca„tholicæ Ecclesiæ membra esse & inter Gentiles, & „Turcas, & Judæos, & ex omnibus Christianorum Se„ctis, homines scilicet bonæ integritatis & simplicita„tis cordis, & licet in quibusdam intellectu occæcati, „& fortasse superstitionibus & formalitatibus sectarum „earum, quibus involvuntur gravati ; existentes ta„men justi Cordibus suis in conspectu Domini, & po„tissimum studentes & laborantes à peccato liberari, „ &

„& justitiam sequi amantes, ii (inquam) arcanis di„vinæ hujus lucis contactibus à Deo vivificantur, & „sic illi secreto conjuncti & Catholicæ ejus Ecclesiæ „membra facti.

§. XXXIII.

Fuit, sæculo præcedente ad finem vergente, in Anglia Novum, aliquo sensu, Theologorum genus, qui *Latitudinarii* dicebantur, eo quod latissimam ad salutem viam pandebant, dum Religionem Revelatam à Naturali Essentia non differre cum Socinianis arbitrabantur, adeoque etiam eo pauciora, quæ creditu sint necessaria, constituebant Capita.

Vide PETRI JURICI Librum, cui titulus est *la Religion du Latitudinaire :* nec non ea quæ habet SPANHEMIUS *in Elencho controvers.* in Appendice pag. 737. seqq.

§. XXXIV.

Tam circa res *credendas* quam *faciendas* illorum Doctrina ita comparata est, ut Articuli Religionis revelatæ nonnisi gradu à Naturali differant; adeoque etiam in Religione Naturali omnia nota sunt, quæ ad salutem consequendam pertinent, licet cognitio multo sit minor ea, quæ ex Revelatione habetur : Et fidei objectum nonnisi facta sunt, quæ in S. Litteris continentur.

§. XXXV.

Circa res credendas statuunt : Mysteria, quæ meræ contemplationis seu fidei objectum sint, alia in Scripturis Sacris ut theoretice credenda non proponi, quam quæ ipsis Rationis dictatis Gentiliumque notionibus, plurimam partem per tra-

ditionem acceptis, conveniunt; unde fides seu plena Veritatis Evangelicæ persuasio nascatur, si ea quæ antea jam aliquo modo cognita, in Evangeliis vero clare tradita, pro veris habeantur.

§. XXXVI.

Sequitur inde, nihil in præcipuis Disciplinæ Christianæ Capitibus, quoad substantiam, credendum proponi, quod non Ratione naturali percipi, cumque Gentilium Placitis atque Mysteriis componi possit.

§. XXXVII.

Unde ea quæ de Trinitate, de Incarnatione, de Sacrificio Propitiatorio, Justificatione, Resurrectione aliisque Mysteriis revelantur ex Ratione possunt esse nota, per Revelationem vero multo fiunt evidentiora.

§. XXXVIII.

Non enim hoc solum velle videntur Theologi isti, quod Mysteria Rationi non contrarientur, aut quod in S. Scripturis perspicue sint tradita; Hoc enim & nosmet lubentissime concedimus.

§. XXXIX.

Nimium ergo tribuunt humanæ Rationi circa fidei Mysteria, ipsis vero Mysteriis parum aut nihil.

§. XL.

Supra omnes tamen Religiones Evangelium ita hoc excellere dicunt, quod hic conjunctim & uno quasi obtuitu omnia tradantur, quæ alibi sparsim inveniantur.

Recte

§. XLI.

Recte vero docent in Evangelio multo validiora contenta esse motiva & argumenta, quæ hominem ad officia inducant, à datione scilicet filii, ab illius sacrificio & exemplo, à gratiosa peccatorum remissione pœnitentibus promissa, desumta, quam vero in reliquis Doctrinis moralibus inveniantur.

§. XLII.

Quoad res faciendas, sive partem Theologiæ practicam, statuunt: In Evangelio vix ullum officii genus præscribi, quod non in substantia & ipsis sanioribus Gentilibus fuerit præscriptum.

§. XLIII.

Cum omnia hominis officia duobus hisce summatim absolvantur, Amore scilicet Dei & proximi, reliqua omnia præcepta, in Evangelio contenta, nonnisi adminicula ad duo priora ducentia esse asserunt.

§. XLIV.

Justitiam autem Evangelicam, quæ unica ad Salutem æternam consequendam via esse sæpissime dicitur, imo totius Revelationis Summa est, & unde nascitur justificatio quæ ex fide esse dicitur, nonnisi moralem, inhærentem & legalem justitiam esse perhibent.

§. XLV.

Per illam autem intelligunt, sinceram mandatorum Christi Obedientiam, quæ à Christo reputetur pro vere legali & perfecta justitia, nec aliam agnoscunt justitiam, quæ sit extra nos, quæ nobis per fidem imputetur in Justificationis negotio.

§. XLVI.

Unde communem Fidei justificantis definitionem rejiciunt, dum dicimus: Fidem eum animi nostri actum esse formalem & organicum, quo vere credens & resipiscens apprehendit Christi Justitiam sibi imputatam cum speciali applicatione.

§. XLVII.

Nec de ea fide Paulum vel Jacobum egisse asserunt; Doctrinamque nostram plane antinomianam esse perhibent.

§. XLVIII.

Neque aliud quid per fidem justificantem intelligunt, quam plenam persuasionem Christum esse Servatorem Mundi & Dominum nostrum. Joh. I. 13. V. 47. VIII. 24. 1. Joh. V. 10. qui sincere resipiscentibus, atque obedientibus omnibus ejus præceptis, vere promisit peccatorum remissionem & Vitam æternam; quæ Fœderis Gratiæ Summa sit.

§. XLIX.

Si vero dicamur non justificari operibus, Rom. III. IV. alibique, id intelligendum esse dicunt, de operibus Legis Cærimonialis in Ritibus & Observantiis externis consistentis; nec non de Operibus absolute perfectis, sine ullo defectu; ut & de Operibus quæ sint caussa meritoria justificationis coram Deo.

§. L.

Licet Pelagianismo velificent Theologi hi, non omnem tamen Spiritus S. Gratiam vel assistentiam negare volunt, quæ sit fidei subinde vacillantis confirmativa, vi demonstrationum scilicet,

cet. Sed illam negant Spiritus S. Operationem quæ sit ordinaria, immediata & fidei productiva.

§. LI.

Dum omnia denique ea rejiciunt, quæ Adversarii Doctrinæ nostræ Reformatæ concoquere nequeunt, etiam nostram de æterna Electione & Reprobatione Doctrinam, ex Paulo præcipue traditam, ceu naturalibus principiis contrariam respuunt.

§. LII.

Quæ omnia huc collimant ut stabiliatur cum Socinianis *Religio* quædam *communis*, omnibus natura nota, cujus fundamentales Articuli in omnibus Religionibus & Religionum Sectis salvi manent, illarumque Indifferentismus inducatur.

§. LIII.

Addendum tandem illud *Indifferentistarum Genus*, quod fatetur unam aliquam, quæ cæteris præferatur, Ecclesiam eligendam esse, reliquos tamen qui Christianæ Ecclesiæ nomen dant, etiam tolerandos esse, aut in communionem Ecclesiasticam recipiendos; dum illorum Errores non adeo noxii sint, & cum Christianæ fidei fundamento consistere possint.

Eminent inter hos tum præcipue Remonstrantes omnes, & qui inter illos celeberrimi sunt, Hugo Grotius, Joh. Clericus & Philippus à Limborch; tum qui proxime ad Remonstrantium Doctrinam accedunt, quorum permulti sunt.

§. LIV.

Hi sunt qui sensu propriissimo & magis speciali *Indifferentistæ* vocari solent. Nec non *Tole-*

rantes, dum & eos in veræ Eccleſiæ communione tolerandos eſſe aſſerunt, qui capitalia etiam nonnulla Diſciplinæ Chriſtianæ Dogmata labefactant.

Alii *Tolerantiam* illam magis, alii minus extendunt; Nonnulli omnes Chriſtianismi ſectas tolerandas eſſe putant, nec Pontificiis nec ipſis etiam Socinianis exceptis. Alii Tolerantiam ad ſolos Proteſtantes, Remonſtrantes, & ad illos inter Anabaptiſtas extendunt, qui à Socinianismo ſunt alieni. Alii denique, uti præcipui ex Noſtris Theologis, Tolerantiam nonniſi inter ſolos Reformatos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos locum habere poſſe credunt. De quibus hic nobis ſermo non eſt.

§. LV.

Tolerantes iſti, de quibus loquimur, id præcipue agunt ut oſtendant, Articulos Religionis Chriſtianæ fundamentales non tantum numero eſſe pauciſſimos, quod aliquo ſenſu facile concedimus, ſed pauciſſima etiam, ratione materiæ, in illis comprehendi aſſerunt, viamque adeo ad Salutem quam latiſſimam pandunt.

§. LVI.

Inde eſt quod omnia ea Capita, quæ Myſterium aliquod continent, ad fidem non abſolute neceſſaria eſſe perhibent.

§. LVII.

Contra vero Virtutis ſtudium unice commendant, neque de fidei Dogmatibus admodum ſolliciti ſimus ubique inculcant.

§. LVIII.

Fit hinc, ut in omnibus fere Chriſtianismi ſectis inveniantur, quæ ad ſalutem conſequendam

dam sufficiunt, ut non multum interfit cuicunque adhæreas.

§. LIX.

Hanc brevissimam ad pacem & tranquillitatem in Ecclesia conservandam, viam esse putant, plurimaque hac ratione evitari posse incommoda contendunt.

Vide BUDDEI *Isag. in Univers. Theol.* Lib. poster. Cap. VII. pag. 1210.

§. LX.

Illorum denique Indifferentistarum sive Latitudinariorum, qui in media nostra Ecclesia versantur, Confessionibusque nostris publicis subscribunt, & Libros Symbolicos nostros amplectuntur, Characteres præcipue quinque sequentes sunt. α. Perhibent S. Scripturam non tam docendi & dicendi, quam vivendi regulam esse, sive Veritates Theoreticas in S. Litteris contentas non admodum sollicite esse perscrutandas, sed rem omnem ad Amoris Dei & Proximi, Præceptorumque Evangelicorum observationem redire.

§. LXI.

β. Brevitatem Systematum Theologicorum ubique commendant, omnesque Theologicas Veritates, sive Dogmatice sive Catechetice tradantur, in brevissimis aliquot paginarum Compendiolis exhibendas esse asserunt, dum hæc ad Salutem sufficere possint, reliqua ad Beatam Vitam consequendam esse inutilia & supervacanea dicentes, viam ad Salutem omnino latiorem faciunt.

γ. Li-

§. LXII.

γ. Libros Ecclesiæ Symbolicos aut Confessiones publicas vel non magni faciunt, vel usum illarum plane rejiciunt; neque enim ejusmodi Libri cum Indifferentismi Principiis consistere possunt, dum scilicet hæc scripta Doctrinam Ecclesiæ alicui propriam comprehendunt, simulque qua in re Ecclesiæ illius Dogmata ab aliis distincta sint ostendunt, cum Religionum vel Sectarum Indifferentismo consistere minime possunt; dum variarum Religionis Christianæ Sectarum vel æquipollentiam vel saltem Tolerantiam Indifferentistæ stabilire conantur.

§. LXIII.

δ. Theologiam Polemicam plurimam partem plane abrogatam vellent, nullius illam usus esse perhibentes, dum res cognoscendæ ac credendæ ad pauciſſimas redeant Veritates, in quibus si alii nobiscum consentiant, nullas nobis cum iis debere esse controversias; neque alium Theologiæ Elenchticæ usum esse putant, quam quod major inde nascatur sectarum numerus, hominesque magis per inutiles disputationes à veritate abducantur quam adducantur.

§. LXIV.

ε. Articulos fidei fundamentales quod spectat, illos ita arctis circumscribunt limitibus, ut nonnisi pauciſſimæ sint Veritates, quas ad eos referunt, quæque nullius fere complexus sive ambitus sunt; quo pauciores enim Veritates creditu absolute necessariæ statuuntur, eo plurium Sectarum placita in Ecclesiæ communione perferri possunt, eoque latius Tolerantia sese extendit.

Hypothe-

Hypotheseos Indifferentistarum Refutatio.

Propositio I.

§. LXV.

Homo, pro duplici in quo versatur statu, sive diversa ad Deum Relatione atque duplici dependentiæ genere, etiam ad duplicem obligatus est Religionem, *Naturalem* nimirum (Tom. I. Cap. III. Sect. VIII.) & *Revelatam* (Cap. III. Sect. XIV.

Cum *Indifferentistæ* non unius generis sint; *nonnullis* generalem aliquem, uti ex superioribns patet, Religionum Indifferentismum statuentibus, ut nihil referat si vel in ipsa Religione Naturali pura quis hallucinetur, neque ullam etiam divinam Revelationem agnoscat; *Aliis* nonnisi indifferentiam in obligatione ad Religionem Revelatam asserentibus, ut Religionis Naturalis professio sola sufficiat; *Aliis* denique indifferentismum nonnili ad diversas Christianismi sectas extendentibus; Hinc etiam non unius Generis Propositiones demonstrandæ sunt; sed impugnandi etiam hi Adversarii, tam ex principiis Rationis, quam Revelationis.

Pro-

Propositio II.

§. LXVI.

Homo obligatus est ad actiones suas, non pro suo Arbitrio, sed secundum voluntatem Dei Creatoris & Conservatoris dirigendas (Cap. III. §. 865 -- 867.)

Propositio III.

§. LXVII.

Homo obligatus est ad dirigendas actiones suas ad manifestationem Gloriæ Dei Creatoris & Conservatoris (Cap. III. §. 868.).

Propositio IV.

§. LXVIII.

Homo obligatus est ad motiva actionum suarum ab Attributis divinis desumenda (Cap. III. §. 870.)

Pro-

Propositio V.

§. LXIX.

Nec minus etiam homo obligatus est, ut actiones suas dirigat ad manifestationem Gloriæ Dei Salvatoris sui; utque ea etiam Attributa, quæ Deus in toto Salutis Negotio manifestat, ceu actionum suarum motiva consideret. (Cap. III. §. 1057. 1060.)

Propositio VI.

§. LXX.

Quamcunque Religionem homo profiteatur, per ipsum hominis statum & ad Deum relationem, perinde ac indifferens esse nequit.

§. LXXI.

Indifferens ratione actionum hominis est, ad quod vel faciendum vel omittendum, homo nec Jure divino nec humano obligatus est.

§. LXXII.

Homo obligatus est, ad actiones suas non pro

pro ſuo Arbitrio, ſed ſecundum voluntatem Dei Creatoris & Conſervatoris dirigendas (per Propos. II.). Nec non ad Gloriæ divinæ manifeſtationem (per Propos. III.). Ut & ad motiva actionum ſuarum ab Attributis divinis deſumenda (per Propos. IV.). Idque non modo in Religione Naturali, ſed Revelata etiam (Cap. III. Sect. XIV.). Cum vero indifferens ſit id, ad quod vel faciendum vel omittendum homo nullo Jure obligatus eſt (§. 71.). Sequitur: *Religionem rem indifferentem non eſſe; ut perinde eſſe non poſſit, qualemcunque profitearis.*

Propoſitio VII.

§. LXXIII.

Homo Religionem ei contrariam, quæ veritatis Criteria habet, profiteri non debet, neque ad eam obligari poteſt.

§. LXXIV.

Ad probandam hanc propoſitionem aſſumimus ante omnia id quod inficiari nemo poterit: ſcilicet, hominem ad ulteriorem perfectionem tendentem, facere non debere contradictoria, veritatique oppoſita.

§. LXXV.

Homo, quod alterum lemma eſt, obligationem ad veram Religionem tollere nequit, dum id ſui Juris non ſit, ſiquidem obligatus eſt ad actio-

actiones suas non pro suo arbitrio sed secundum voluntatem Dei dirigendas (per Propos. II.).

§. LXXVI.

Homo obligatus est ad talem Religionem, quæ cum Principiis Rationis rite demonstratis consentit (Cap. III. §. 784.); In qua divina Attributa miris modis colluſtrantur (§. 785. loc. cit.); quæque adeo ad amplificandam Dei Gloriam plurimum facit (Cap. III. §. 786.); Quæ porro talia præscribit præcepta, quæ tendunt ad promotionem perfectionis & felicitatis status hominis (Cap. III. §. 787.); Nec non ad eam Religionem, quæ cum S. Scriptura exacte convenit (Cap. III. §. 1066.); Quæ homini peccatori veram rectamque, Sapientia Dei dignissimam viam ostendit, qua ex calamitatibus suis emergere, veram felicitatem consequi, & cum propria Salute ad Dei Glorificationem esse potest (§. 1067.); Quæ Jesum Christum unicam perfectissimamque Salutis nostræ causam esse agnoscit (§. 1068.); Quæ in toto Salutis negotio homini NIHIL, Deo OMNIA tribuit, hominem deprimit, Deum exaltat (§. seq.); Quæ Dei Gratiam atque Misericordiam reliquaque Attributa divina omnia in opere Gratiæ exhibita illustrat (§. 1069.); Quæ denique Pietatem erga Deum quam maxime inculcat (§. 1070.). Homo vero nec contradictoria veritatique oppositа facere debet (§. 74.). Nec obligationem tuam ad veram Religionem tollere potest (§. 75.): Sequitur, *Hominem Religionem talia habenti Criteria contrariam & ab hac diversam profiteri non posse.*

§. LXXVII.

Iterum ex hisce patet: Religionis veræ professionem ejusque observationem rem indifferentem non esse.

Propositio VIII.

§. LXXVIII.

Cum homo obligatus sit ad talem Religionem profitendam ac observandam, cui criteria (§. 76.) allata competunt: Sequitur, talem eum Religionem profiteri non posse, quæ aut Principiis Rationis contradicit, aut Attributis divinis non est conformis, nec adeo ea illustrat; aut quæ amplificandæ divinæ Gloriæ inepta est; aut quæ ad veram hominis perfectionem & felicitatem promovendam non tendit; aut quæ cum S. Litteris Revelationem divinam continentibus non consentit; aut quæ veram rectamque, atque Sapientia Dei dignissimam

ex

ex calamitatibus emergendi & ad veram felicitatem perveniendi viam non ostendit; Nec Jesum agnoscit unicam perfectissimamque Salutis Caussam; vel quæ homini in Salutis negotio *omnia* vel *plurima*, Deo *pauca* vel *nihil* tribuit, nec denique veram pietatem inculcat, adeoque veræ Religionis Criteriis plane contraria est.

Propositio IX.

§. LXXIX.

Cum hominis à Deo *dependentia* & *Supremum Dei Dominium* Religionis fundamentum sit (Cap. III. §. 772.), homo autem per demonstrata ad veram Religionem obligatus sit; sequitur cavendum ei esse à tali Religione, in qua illa hominis dependentia Deique Do-

minium aut plane negatur, aut saltem pervertitur.

Propositio X.

§. LXXX.

Quamcunque Homo Religionem profiteatur Deo indifferens esse nequit.

§. LXXXI.

Respectu Dei indifferens esset id, cujus etiam contrarium velle posset.

§. LXXXII.

Cum finis omnium rerum generalis, sive Existentiæ hujus Mundi sit manifestatio Gloriæ divinæ (Cap. III. §. 491.). Cumque respectu Dei nihil bonum sit, nisi quod omnia ejus Attributa refert (Cap. III. 408.). Deusque finem suum non obtineret, nisi in hoc Mundo Creaturas etiam rationales produxisset, quæ manifestandæ Gloriæ divinæ aptæ essent (Cap. III. §. 685.). Nec Deus aliter quam propter Finem agere potest (Cap. III. §. 386.); Et habens Voluntatem perfectissimam (Cap. III. §. 403.) non potest velle nisi perfectissimum. Sequitur eum hisce contrarium velle non posse, nempe aliud quid quam quod ad gloriam suam tendit; vel aliquid quod Attributa sua non refert iisque contrarium est; nec velle potest ut Creaturæ rationales Gloriam suam non manifestent, nec quidquam

quam quod imperfectum est. Unde nec Religionem Fini rerum universali vel Attributis suis contrariam velle potest; Quoniam autem respectu Dei indifferens est id, cujus Deus etiam contrarium velle potest (§. 81.). Patet: *Quamcunque Creatura rationalis profiteatur Religionem Deo indifferens esse non posse.*

Propositio XI.

§. LXXXIII.

Per Leges Civiles in quacunque Republica obtinentes, quamcunque homines profiteantur Religionem indifferens esse nequit.

§. LXXXIV.

Leges civiles illæ dicuntur, quæ ad Societatis conservationem & commune Reipublicæ bonum tendunt.

§. LXXXV.

Ratione Legum Civilium indifferens dicitur id, quod nec ad Reipublicæ conservationem & utilitatem tendit, nec etiam in ejus detrimentum cedit.

§. LXXXVI.

Leges civiles particulares ita comparatæ esse debent ut tendant ad Salutem Societatis humanæ universalis. Etenim rationes particulares in Universo semper tendere debent ad obtinendam rationem hujus Mundi universalem; cum in hoc

ipso Universi hujus perfectio consistat (Cap. III. §. 387.) : Sequitur, omnes etiam Societates sive Respublicas particulares tendere debere ad Bonum & Conservationem Societatis humanæ universalis. Patet, etiam Leges Civiles Reipublicæ alicujus particularis ita debere esse comparatas, ut tendant ad Bonum conservationemque Societatis humanæ universalis.

§. LXXXVII.

Liquet inde : etiam Religionem cujusvis Reipublicæ particularis ita debere esse comparatam, ut Legi Civili particulari conformis, etiam ad promotionem felicitatis ac Salutis Societatis humanæ universalis tendat.

§. LXXXVIII.

Supponamus autem dari aliquam Religionem quæ docet : Religionem vi atque armis propagandam, Hæreticos quoscunque ab hac Religione dissentientes igne atque ferro esse delendos, nemini Religionem illam non profitenti fidem servandam esse, Presbytero alicui jus competere supra omnes Reges ac Imperatores sese extollendi, illos deponendi, subditos à fide illis debita liberandi. Cum vero nihil Societati humanæ universali magis noxium dici possit, quam ejusmodi principia ; Sequitur : ejusmodi Religionem per ipsas Leges Civiles uniuscujusque Reipublicæ particularis, quæ tendere debent ad Salutem Societatis humanæ universalis (§. 86.), tolerari non debere, adeoque eam rem indifferentem non esse, dum Religio ejusmodi humanæ Societati noxia sit.

Pro

Propositio XII.

§. LXXXIX.

Quamcunque homo Religionem profiteatur, per Sacram Scripturam indifferens non est.

§. XC.

Respectu Sacræ Scripturæ indifferens est id, quod illa nec ad Deum recte cognoscendum & colendum totamque Christianismi praxin præcipit, nec ceu impium ac noxium interdicit.

§. XCI.

Christus autem non tantum severissimis mandat verbis ut fides ipsi habeatur, sed ut *Fidei* etiam *publica Confessio* edatur. *Quisquis ergo me*, inquit, *agnoverit apud homines, eum ego quoque dignoscam apud Patrem meum qui in Cœlis est. Qui vero me negaverit apud homines, eum ego quoque negabo apud Patrem meum qui in Cœlis est.* Matth. X. 32. 33. Et ut *caveant* sibi *à falsis Doctoribus* Discipulos suos monet. Matth. VII. 15. Et docet *se Viam Veritatem & Vitam esse, neque cuiquam aditum ad Patrem nisi per se patere.* Joh. XIV. 6. Et *hanc* viam ad *Vitam æternam esse* dicit *ut Patrem solum cognoscant verum Deum, & quem misit Jesum Christum.* Joh. XVII. 3. Apostolique inculcant, *in nullo alio Salutem esse, nec ullum aliud nomen esse sub cœlo hominibus datum, per quod servandi simus.* Act. IV. 12. Apostolus Paulus expresse monet Timotheum: *Hæc doce & exhortare. Si quis diversam sequitur Doctrinam, neque sanis Domini nostri Jesu Christi dictis,*

Pietatisque Doctrinæ accedit, is inflatus nihil intelligit, sed morbo circa quæstiones & verborum certamina laborat. 1. Tim. VI. 3. Ut si cœlestis etiam Angelus, *diversum ab eo*, quod Apostoli docuerunt, *Evangelio doceat detestabilis* sit. Gal. I. 8. Unde Johannes *non cuivis spiritui credendum esse dicit, sed explorandos esse Spiritus an ex Deo sint, dum multi falsi vates in mundum prodierint.* 1. Epist. IV. 1. Nihil nunc dicam de Constantia in persecutionibus toties commendata, quæ necessaria minime esset, si quamcunque profiteamur Religionem indifferens foret.

§. XCII.

Ex hisce nunc patet quocunque respectu Religionem consideremus, *Indifferentismum* nullum invenire locum, Nec enim respectu ipsius hominis, ejusque in quo versatur status (per Propos. VI.), nec ratione Dei (per Propos. X.), nec respectu humanæ Societatis, Legisque Civilis (per Propos. XI.), nec denique ratione Sacræ Scripturæ (per Propos. XII.) Religionis Indifferentismus locum invenit.

Propositio XIII.

§. XCIII.

Ea, quæ in Sacris Litteris præscribitur Religio, vera *Religio Prudentum* est, dum *Rationi Status* Regiminis Politici optime inserviat, illudque stabiliat.

Ea

§. XCIV.

Ea enim Religio, vera *Prudentum Religio* est, sive ita dicta *Religio Status* Staats-Religion, quæ Juris Naturæ Principia confirmat atque supponit, quæ summo Imperanti adeoque Legibus etiam Civilibus obtemperandum esse dicit, quæque hominem fortissimis ad hæc obstringit motivis atque vinculis. Hoc ergo si probetur Christianæ Religioni convenire, eam quoque veram *Prudentum Religionem* esse probatum est.

§. XCV.

α. Religio Christiana, quæ in Sacris traditur Litteris, Jus Naturæ præsupponit atque confirmat. Generalissima nimirum Juris Naturæ Regula, primumque Principium hoc est: *Quidquid meum & proximi mei statum perfectiorem reddit, illud faciendum est.* Religio vero Christiana dicit: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Matth. VII. 12. Proximumque ut alterum meipsum diligendum esse asserit (Cap. III. §. 1884.); Imo omnes quas præscribit Leges morales, vel erga Deum, vel erga nosmetipsos, vel erga Proximum observandas, ad felicitatem tam nostram quam Proximi tendere, nemo Adversariorum nostrorum est, qui negare possit.

§. XCVI.

β. Summo autem Imperanti, Legibusque adeo Civilibus etiam obtemperandum esse inculcat Christiana Religio. Dicit nimirum, Magistratum gerere Christiano licitum esse. (Cap. III. §. 1746.). Asserit: Munus Magistratus ab ipso Deo esse institutum: *Omnes mortales*, inquit Apostolus,

ſtolus, *ſuperioribus Poteſtatibus pareant. Nulla eſt enim Poteſtas niſi à Deo : ac quæ ſunt Poteſtates, eæ à Deo ſunt inſtitutæ. Itaque qui Poteſtati, Dei inſtitutioni repugnat : quique reſtiterint, pœnas dabunt,* Rom. XIII. 1. 2. Magiſtratui Politico parendum eſſe dicit Scriptura : *Itaque omnibus parete Perſonis humanis propter Dominum ; & Regi ut Poteſtate pollenti : & Prætoribus, ut ab eo tum ad maleficorum ultionem, tum ad beneficorum laudationem miſſis.* 1. Pet. II. 13. 14. Et ipſe Religionis Chriſtianæ fundator quærentibus, num Magiſtratui Politico officia debita præſtanda ſint? Reſpondit : *Solvite igitur quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo.* Matth. XXII. 21. Oſtendendo verbis hisce hominem tam ad Legem Civilem quam ad Religionem obligatum eſſe. Imo pro Magiſtratu quovis orandum eſſe inquit Apoſtolus : *Exhortor igitur primum omnium, ut fiant ſupplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro cunctis hominibus, pro Regibus & omnibus poteſtate pollentibus, ut tranquillam quietamque Vitam agamus, cum omni pietate ac gravitate.* 1. Tim. II. 1. 2. Imo muneri Magiſtratus obeundo, Chriſtiano nemo aptior eſt (Cap. III. §. 1751.) ; Et munus hoc Eccleſiæ quammaxime neceſſarium eſſe Religio noſtra docet (Cap. III. §. 1752.), & Regimen Politicum Chriſtique, quod plane ſpirituale eſt, ſibi invicem non contrariari, ſed optime conſpirare contendit (Cap. III. §. 1762.).

§. XCVII.

γ. Motiva vero actionum noſtrarum non à pœnis ſolum ac præmiis temporalibus deſumenda eſſe docet, ſed fortiſſima illa tradit, ab ipſis divinis Attributis ac futuro vel felice vel infelice hominis

ſtatu

ſtatu in æternum duraturo deſumta; quæ Societatis humanæ Vincula ita comparata ſunt, ut reliqua, in Legibus civilibus adhibita, parum valerent, ſi hæc non accederent, quæ iis omne robur addunt. Ideo enim Magiſtratui Politico obſequium gerendum, atque homagia ipſi præſtita ſervanda eſſe Chriſtiana Religio innuit, quoniam Magiſtratus ab ipſo Deo ſummo rerum ac independente Domino inſtitutus omnem ſuam acceperit Poteſtatem; ipſorum adeo Deum immorigerorum juſtiſſimum eſſe Vindicem, adeoque ceu Ens omniscium, potentiſſimum, ſimul juſtiſſimum & æquiſſimum, in omnibus quas ſuſcipimus actionibus metuendum ac venerandum eſſe; Homagia Principi vel Magiſtratui præſtita ideo ſervanda eſſe docet, quia in iis invocetur Deus ceu Teſtis omniscius & Judex omnipotens, qui ſervare poſſit & perdere; imo poſt hanc alteram dari vitam, in qua quisque accepturus ſit præmium ejus, quod in corpore fecerit, vel boni vel mali. Sine his omnia, quæ Magiſtratus adhibet vitiorum repagula, criminibus ac ſceleribus reprimendis non ſufficerent.

§. XCVIII.

Denuo ex hisce patet etiam per Jura ac Poteſtatem Magiſtratus Politici, quamcunque homo Religionem profiteatur indifferens non eſſe.

Propoſitio XIV.

§. XCIX.

Omnis Religio falſa Religio nulla eſt.

Per

§. C.

Per Religionem falsam talem intelligimus, quæ *aut* alium præter verum Deum, qualis ex Principiis Rationis & Revelationis cognoscitur, colendum præscribit; *aut* quæ talia præcipit officia, quæ ex obligatione hominis erga Deum Creatorem & Salvatorem non fluunt.

Dicitur vulgo Religionem duas habere partes, dum illa veri Dei *Cognitionem* ejusque verum *Cultum* involvat. Pars prior proprie *Theologiam* efficit, quæ Dei, operumque divinorum scientiam nobis tradit, Religionisque fundamentum constituit; Nisi enim homo veram Dei Creatoris, Conservatoris & Salvatoris notitiam habeat, scire nequit, qualis sit Relatio inter Deum atque hominem? qualis sit hominis à Deo dependentia, & inde fluens Religio, sive obligatio ad actiones suas omnes propter Deum suscipiendas, & ad motiva ab Attributis divinis desumenda? Pars posterior autem proprie Religio est, quæ verum Dei cultum ex obligatione divina fluentem præcipit. Unde vera Religio etiam veram Dei Cognitionem supponit, ut si Deus non recte cognoscatur etiam recte coli nequeat. Hinc est quod Religionem falsam vel inde nasci diximus, quod ex ignorantia alius præter verum Deum colendus præcipiatur, vel talia præscribantur officia, quæ ex hominis erga Deum obligatione non fluunt.

§. CI.

Cum Religio consistat in obligatione hominis ad actiones suas dirigendas ad divinæ Gloriæ manifestationem, motivis actionum ab ejus Attributis atque Dominio desumtis (Cap. III. §. 771. 1057.); Sequitur id dici non posse Religionem, ubi vel divina Gloria, ad cujus manifestationem actiones nostræ suscipiendæ sunt, non agnoscitur, vel non talia præscribuntur officia, quæ ex illa hominis erga Deum obligatione fluunt, ubi enim hæc

hæc desunt nulla est Religio. Talis vero falsa dicitur Religio (§. 100.) : Patet *Religionem falsam nullam Religionem esse.*

Propositio XV.

§. CII.

Qui dicunt perinde esse quamcunque profiteamur Religionem, indifferens esse dicunt, sive veram sive nullam ptofiteamur Religionem,

§. CIII.

Religio aliqua vel vera sit oportet vel falsa est. Religio autem falsa nulla Religio est (per Propositt. præced.) ; Sequitur eos qui falsam profitentur Religionem, proprie nullam profiteri Religionem; Unde *si dicas perinde esse quamcunque profitearis Religionem, idem est ac si diceres, perinde esse sive veram sive nullam profiteamur Religionem.*

Propositio XVI.

§. CIV.

Errant Latitudinarii, atque veræ Religionis essentiam pervertunt, dum perinde esse perhibent cuicunque Christianismi Sectæ addictus sis. Hic

§. CV.

Hic ante omnia tenendum, quod negare nemo poterit: diversas nimirum Christianæ Religionis Sectas in multis Fidei, sive Religionis articulis ita à seinvicem discrepare ut contraria plane statuant. Quæcunque autem sibi contrariantur ambo vera esse nequeunt, sed alterutra Propositio falsa sit oportet. Consequitur omnes in Christiana Religione Sectas veritatem in omnibus fidei Articulis statuere neutiquam posse, dum sibi invicem in multis contradicunt; unde non potest non esse quin hæc vel illa Christianismi Secta falsa statuat. Assensus autem propositioni falsæ datus vocatur Error (Cap. IV. §. 1902.), & is errare dicitur, qui propositionem veram pro falsa habet, aut falsam pro vera (loc. cit.); Nonnullis ergo Christianismi sectis addicti errent oportet.

§. CVI.

Liquet eos etiam errare, qui dicunt perinde esse cuicunque Christianæ Religionis Sectæ aliquis addictus sit. Cum enim nonnullæ Christianæ Religionis Sectæ errent (§. 105.), sequitur eos qui dicunt perinde esse quamcunque profiteamur Christianismi sectam, simul statuere: perinde esse sive vera sive falsa credamus, sive veritatem sive errorem foveamus. Quoniam autem homo quilibet, quod nemo negaverit, veritati studere tenetur, *Latitudinarii errant, dum propositionem huic contrariam statuunt: perinde nimirum esse num aliquis veritati studeat, num vero errori addictus sit.*

§. CVII.

Religionis vero Essentiam ipsos pervertere

ita

ita probatur. Religionis Essentiam pervertit qui statuit perinde esse, num aliquis pro vero habeat id, quod ad veræ Religionis Essentiam pertinet, nec ne? Ad Religionis vero Essentiam pertinet id quod in ea fundamentale est (Cap. IV. §. 1500. 1501.). Quicunque ergo dicit: Perinde esse, licet Religionem aliquam profiteamur quæ fundamentaliter errat, is etiam veræ Religionis Essentiam pervertit. Cum vero in Christianismo tales deprehendantur Sectæ, quæ negant Jesum Christum esse unicam perfectissimamque Salutis nostræ caussam, qui pro peccatis nostris divinæ Justitiæ satisfecerit, qui non homo tantum sed verus simul Deus sit, cujus divinæ Gratiæ soli totum salutis opus, tam quoad Redemtionem, quam quoad ejus applicationem, adscribendum sit, hominemque ad satisfaciendum divinæ Justitiæ, seque ex infinito malo liberandum, actionemque vere bonam Deoque placentem edendam impotentem plane esse, & quæ hujusmodi alia multa. Hæc autem ad Articulos Religionis fundamentales (Cap. IV. §. 1877 - - 1897.) adeoque ad ipsam Religionis Essentiam pertinent (l. c. §. 1800.); Sequitur *eos Religionis Essentiam pervertere, qui statuunt perinde esse cuicunque Sectæ Religionis Christianæ aliquis addictus sit.*

§. CVIII.

Ex hisce omnibus nunc abunde patet, parum eos intelligere quid Religio sit, qui Religionum Indifferentismum stabiliunt; Quorum hypothesis huc tandem redit: *Perinde esse num Deus recte cognoscatur & colatur nec ne? num veritatem an vero mendacium & errorem homo sequatur?*

Objectio-

Objectionum Præcipuarum Solutio.

§. CIX.

OBJICIUNT *primo* Indifferentiſtæ: Delectari Deum Religionum ac cultus varietate, uti etiam Creaturarum diverſitate ſummam ſuam Sapientiam manifeſtet; ita inde quoque Deum Gloriam capere, quod variis modis ab hominibus colatur; aliter ab Ethnicis quorum cultus atque cærimoniæ etiam ſint diverſiſſimæ; aliter à Judæis atque Turcis; aliter à Chriſtianis, qui iterum in varias diviſi ſint partes. Si vero non delectaretur Deus Religionum, cultus atque cærimoniarum diverſitate, eandem etiam hominibus mentem, eandem voluntatis propenſionem indere potuiſſet Cœli Terræque Dominus. Cum vero varias Creaturis rationalibus inſtillaverit naturas, varias de Deo ejusque Cultu opiniones atque notiones, palam eſſe, quod Sapientiæ ac Providentiæ divinæ Religionum ac Cultus divini diſcrepantia adſcribenda ſit.

§. CX.

RESPONDEMUS ſequentibus obſervationibus *a*. Non negamus Deum Creaturarum varietate infinitam ſuam manifeſtaſſe Sapientiam, quæ cum infinito Intellectu tanto major apparet, quanto major Creaturarum quarumcunque diverſitas deprehenditur, ut in toto Univerſo nihil plane ſimile inveniatur; ut omnes Creaturæ à ſeinvicem differant vel Eſſentia, vel perfectionibus, graduumque perfectionis innumeris limitationibus, ut ſtupenda plane ſit illa operum divinorum immen-

immensa varietas. Uti autem Deus omnis realitatis, atque ordinis, omnisque veritatis Auctor est; ita β. vicissim mendacii atque erroris existere minime potest, quod esse deberet si falsi de Deo conceptus, si Idololatriæ atque superstitionis, si Legum ad ipsius Gloriam non tendentium autor atque inventor esset. A varietate ergo Creaturarum earumque essentiæ atque perfectionis gradibus quibus Deus delectetur, ad Religionum Cultusque divini varietatem concludere nequaquam licet; prior enim diversitas nonnisi veritas est, posterior autem nonnisi mendacio atque errore nixa est. Aut ergo dicendum Deum mendacii etiam ac erroris Autorem esse, quod blasphemum atque contradictorium est; aut statuendum nonnisi veram, Attributis divinis dignam, divinæque Gloriæ illustrandæ aptissimam Religionem Deo placere posse, ut omne falsum, mendax, atque erroneum longissime ab Ente perfectissimo absit. Hoc cum à nemine negari possit, qui summi atque perfectissimi Numinis existentiam admittit, consequitur Religionum Indifferentismum, sive falsas ac mendaces Religiones Deo placere minime posse. γ. Et cum Deus malum morale velle non potest (Cap. III. §. 487.), etiam falsarum de Deo opinionum, cultus atque Præceptorum Deum minime decentium, pravarum voluntatis humanæ ad Idololatriam atque superstitionem propensionum Autor esse minime potest; Sed primitus hominem recto de Deo, ejusque Cultu sive Religione sensu imbutum creavit, at hominis culpa, libertatisque ipsi à Deo concessæ abusu factum fuit, ut homo abalienatus à vita Dei omnis lucis ac veritatis fonte, ignorantiæ tenebris

involutus ad absurdissimas de Deo atque Religione opiniones prolapsus sit, unde malum hoc Deo minime adscribendum, neque Deum eo delectari posse dicendum est. Idem est ac si diceretur delectari Deum si à Creaturis rationalibus nec cognoscatur nec colatur, cum tamen eas ad sui glorificationem produxerit.

§. CXI.

OBJICIUNT *porro* Deum infinitis præditum Perfectionibus, nulla re extra se indigentem, propter infinitam suam Super-Eminentiam atque Majestatem, minime decere, ut rerum tam vilium curam gerat, qualis nimirum horum vel illorum hominum de Deo ejusque Regno sit opinio, quaque ipsum quivis ratione colat. Non pluris hæc Dei referre, quam Regis interfit scire, quid subditorum suorum abjectissimus quisque de se suaque Potentia cogitet, vel quid formicæ aliaque hujus generis animalcula in latissime patente Regno suo faciant.

§. CXII.

At Finem Creationis Universi alium esse non posse, quam divinæ Gloriæ manifestationem, in antecedentibus à nobis demonstratum fuit. Dei ergo in Mundi hujus Gubernatione interfit oportet, utrum ipsius Gloria vel manifestetur vel potius obscuretur? Finis autem hic aliter quam per Creaturas rationales, ad quarum numerum homines etiam pertinent, obtineri nequit, unde & illi ad divinæ Gloriæ manifestationem creati sunt; Hæc ipsa autem divina Gloria Religionis finis est. Oportet ergo Adversarii nostri statuant, aut nihil Dei intereſſe an à rationalibus Creaturis glorificetur

tur vel non glorificetur; quod tamen Universi Fini repugnat; Aut statuant oportet: velle Deum ut per hominem glorificetur; Prius Adversarii affirmare nequeunt, statuerent alias, vel nullum existere Deum, Universi hujus Creatorem & Gubernatorem; vel nihil ipsius interesse an Creationis Finem consequatur nec ne; quod dici nequit, ipsa alias divina negaretur Providentia, omnisque plane tolleretur Religio. Posterius igitur concedant oportet, scilicet velle Deum, ut per hominem glorificetur. Si vero hoc Deus velit, per & propter summam suam Perfectionem, infinitamque Majestatem ac Super-Eminentiam, quæ ipsa sua Gloria est, quacunque ipsum homines colant Religione, hoc est, an ipsum glorificent annon glorificent, ipsi perinde esse nequit; sed potius propter ipsam illam summam Super-Eminentiam ac infinitam Majestatem sive Gloriam, propter quam omnia condidit, aliter velle non potest, quam ut per Religionem à Creaturis rationalibus tali colatur modo, ut infinita ipsius Gloria per ipsum Religionis exercitium patefiat.

§. CXIII.

β. Cum Deus ad sui Glorificationem hominem condiderit; & homo Deum per Religionis Exercitium glorificet, ut objectum Religionis ipsa Dei Gloria sit; sequitur: in Religione de re parvi momenti minime agi; ut fallantur Adversarii putantes, per infinitam Dei Excellentiam fieri non posse, ut rerum ejusmodi vilium curam gerat.

§. CXIV.

γ. Quoniam Deus omnium rerum, minima-

rum etiam, Creator, Conservator & Gubernator est; ut nihil in toto Universo existat, quod non per ipsum est id quod est, neque eoipso infinitæ ejus Excellentiæ repugnat ut omnium rerum curam gerat, consequitur, aliter fieri non posse, quam ut res majoris momenti, quæ immediate illius Gloriam respiciunt, uti Religio, curæ cordique habeat. Et si omnium rerum curam gerit, quare non hominis etiam ad Gloriam Dei facti, illiusque actionum, curam gereret?

§. CXV.

℣. Ratio quare Reges atque Principes rerum parvarum nullam gerant curam, imperfectioni potius ipsorum atque intellectus limitationi adscribenda, dum ad omnia adtendere nequeunt, plurima negligere coguntur; Deus vero omnia unico ac simplicissimo actu sibi repræsentans & volens, omniaque eodem Voluntatis actu ad ultimum finem dirigens, universa propterea in hoc Mundo in Systema redacta considerans, non potest velle unum sine altero, sed integrum rerum nexum, cui res minimæ etiam implicitæ sunt, ad ultimum tendens finem, simul vult: ut adeo summam in Deo Perfectionem & supra omnes Creaturas Eminentiam arguat, si Deus omnium rerum curam gerit.

§. CXVI.

Tertio OBJICIUNT: Nullam in Mundo existere Religionem, quæ non veri quid comprehendat, quæ non Dei Existentiam doceat atque Providentiam, Leges justi & injusti, pœnas sceleris, virtutisque præmia.

Licet

§. CXVII.

Licet vero concedatur, in quacunque Religione nonnullas remanere veritatis reliquias, multa tamen ibi deprehenduntur erronea, ad Dei glorificationem nihil plane facientia, sed Attributa divina potius obscurantia, Deo indigna, Spiritumque perfectissimum minime decentia, sibi invicem contraria atque inepta. Cum vero homo ad promovendam propriam Perfectionem creatus, & ad id Jure Naturæ obligatus sit, errorem ac mendacium vitare, & contra, veritatem quærere, illique studere, tenetur. Obligatus insuper per Religionem, ad Deum recte cognoscendum & colendum, ad omnes actiones suas ad divinam Gloriam instituendas; Hoc vero in Religione, falsa de Deo ejusque perfectionibus docente, nec in omnibus divinam Gloriam æternamque hominis salutem, veram quoque ad eam consequendam viam inculcante, fieri nequaquam potest.

§. CXVIII.

DICUNT *porro*: nullam in terra existere Religionem, sectam nullam, quæ non errores atque nævos suos habeat; Unde ex terra egredi nos oporteret, si tali nos adjungere communioni vellemus, quæ nullis plane erroris maculis adsperſa esset, ut omnes plane deserendæ essent Religiones sanctæque Societates sive Ecclesiæ, si omnis erroris expertem profiteri vellemus.

§. CXIX.

At licet concedatur nullam plane in universo terrarum orbe existere Ecclesiam, quæ omnimodam de se gloriari possit infallibilitatem (quod

jam Cap. IV. §. 1811. à nobis assertum fuit) nihil tamen inde pro Religionum indifferentia efficitur, siquidem nec veritates nec errores unius generis sint: alii enim articuli fundamentales & ad ipsam Religionis Essentiam pertinentes, alii non fundamentales sunt (Cap. IV.). Uti Ecclesia deserenda non est, quæ in fundamentalibus non peccat, licet erroneas quasdam foveat opiniones in rebus minoris momenti; ita illi se addicere Societati Ecclesiasticæ non licet, quæ talia profitetur dogmata, quæ veram Religionis Essentiam atque fundamentum pervertunt. In omnibus igitur Ecclesiasticis communionibus in rebus parvi momenti errari posse non negamus: Nullam vero existere Ecclesiam quæ in articulis Religionis fundamentalibus non erret, ab Adversariis nunquam probatum est, nec probari poterit.

§. CXX.

Verum Dei Cultum non in externis quibusdam Cærimoniis atque Confessionibus consistere OBJICIUNT: sed nonnisi in Spiritu & Veritate Deum colendum esse perhibent, ipso id Christo docente Joh. IV. 24. Unde manifestum sit, nihil plane referre cuicunque Communioni Ecclesiasticæ addictus sis, modo corde tuo Deum ceu spiritum perfectissimum colas atque venereris.

§. CXXI.

Respondemus: Utique verissimum esse, rectum Dei Cultum anima non corpore esse peragendum & internum non externum esse, ut revera externus sine interno nonnisi hypocriticus & nullus sit. Certissimum tamen omnino est, cultum inter-

internum cum externo publicisque oris confessionibus debere esse conjunctum. Nam α. Cultus divinus certas requirit cærimonias, quæ animi attentionem promovent atque excitant, (Cap. III. Sectione XXII.); Unde illæ cultui interno nequaquam adversæ esse debent, ut vel attentioni officiant, vel falsos de Attributis divinis Ideas excitent, vel nonnullis veritatibus sive à S. Scriptura, sive à Ratione edoctis adversentur. Liquet inde, in tali nos Communione ecclesiastica versari non posse, in qua cærimoniæ ejusmodi peragendæ sunt, quæ cultui interno nocent & obsunt, quæque Doctores mendacii sunt. β. Deus non anima solum sed & corpore glorificandus est. 1. Cor. VI. 20. unde nec internus cultus sine externo esse potest, nec adeo sine membrorum gestuumque ad veram pietatem Deique venerationem compositione peragi debet. γ. Præter veram fidem, qua corde creditur ad Justitiam, & internum Dei cultum externam etiam oris confessionem necessariam esse, aperte Christus, & Apostolus ipsius, Paulus docet; prior Matth. X. 32, 33. *Quisquis ergo me* professus erit *apud homines, eum ego quoque dignoscam apud Patrem meum qui in cœlis est. Qui vero me negaverit apud homines, eum ego quoque negabo apud Patrem qui in cœlis est.* Posterior Rom. X. 9. 10. *Hæc est, quam de fide publice habemus orationem: quod si & ore Dominum Jesum* confessus fueris, *& à Deo ex mortuis excitatum animo credideris, servabere. Nam & animo creditur ad justitiam, & ore fit* confessio *ad salutem.* δ. Os igitur & animus inter se conspirare debent, alias cultus esset hypocriticus, Deo tantopere displicens. ε. Omnes denique hominis actiones,

sive externæ sint sive internæ, debent esse harmonicæ, ad ulteriorem enim, sine hac harmonia, perfectionem tendere nequeunt. Actionis nimirum cujusvis perfectio in eo consistit, quod cum reliquis ad ultimum tendat finem.

§. CXXII.

At pacem omnibus præferendam esse dicunt, quæ alia OBJECTIO est, & propter falsam aliquam Religionem motus in Societate tam civili quam ecclesiastica excitandos minime esse, sed ipsum Christi Apostolorumque Præceptum atque praxin esse, ut invicem *in charitate toleremus*, ut & ipse Christus Discipulos suos maxima tulit mansuetudine.

§. CXXIII.

Et nos etiam veritati in amore studendum, pacem erga omnes sectandam, constanter docemus, mutuamque tolerantiam jugiter omnibus commendamus, quousque nimirum id divina Gloria permittit. Si vero ipsa Dei Gloria hoc modo offuscaretur, quod fieret si tali nos adjungeremus Ecclesiæ, cujus Doctrina tam quoad theoriam, quam quoad praxin corruptissima, Attributis divinis, Sacræ Scripturæ, Rationis principiis, & saluti æternæ adversa esset; quo in casu majus minori, hoc est divina Gloria omnibus præferenda est. Communissima nimirum in omnibus artibus atque disciplinis regula & omnibus recepta hæc est: Ut si duæ concurrant regulæ, quæ ambæ locum habere nequeunt, minor majori semper cedat. Gloria vero divina majus quidquam esse nequit; sequitur inde: pacem potius cum hominibus abrumpendam quam Dei Glori-

Gloriam negligendam esse. Et si charitas proximi aliter obtineri nequit, quam divinæ Gloriæ abnegatione, illa recte comparata non est, neque talis qualis in sacris præcipitur Litteris. Requirit pacis amor, ut maxima mansuetudine alios veritatis convincamus, minime vero ut tales foveamus errores qui Dei Gloriæ propriæque Saluti obsunt. *Bellum* enim *anteponendum est ei paci quæ à Deo sejungit*, inquit NAZIANZENUS. Commendabat pacem Christus cum suis Discipulis eamque & ipsimet sequebantur; eam vero ipsos in veritatis & divinæ Gloriæ detrimentum sectatos esse nullibi legimus, sed contrarium potius ipsos fecisse, in Evangelistarum atque Apostolorum Scriptis ubique deprehendimus. Unde Christianam Doctrinam maxima inter homines sequebantur dissidia, ut ipsemet Salvator optimus confiteatur: *Se non venisse conciliatum pacem in terris, sed bellum, ita ut homines inimicos habituri sint proprios suos domesticos. Eumque qui Patrem aut Matrem amat supra se, Christo dignum non esse.* Matth. X. 34. 36. 37.

§. CXXIV.

ALIA, quam afferunt, OBJECTIO à maxima Dei erga Creaturas Bonitate, Clementia atque Misericordia desumta est, quæ permittere minime possit, ut maximus hominum numerus pereat, quod omnino fieret, si per nullam aliam Religionem daretur salus, quam per eam, quæ solorum olim Judæorum fuit, hodieque per eam quam parva Christianorum pars profitetur. Cum vero nec per has Dei Perfectiones, nec per summam ejus Sapientiam fieri possit, ut à minima, & ne centesima quidem hominum parte, imo

nec milleſima, recte cognoſcatur & colatur; ſequi contendunt veram Religionem tam arctis circumſcriptam eſſe limitibus non poſſe, qualem nos eam deſcribimus; ſed potius Deum communem aliquem Patrem miſericordem eſſe, qui varii generis habeat Filios, vario ipſum modo colentes, quibus omnibus delectetur & gratioſus eſſe velit.

§. CXXV.

Ad hanc diluendam difficultatem ad ſequentes obſervationes attendendum eſt. α. Deum ceu communem aliquem atque miſericordem Patrem omnibus ſuam manifeſtaſſe voluntatem. Fecerat id, quando ſtatim poſt Adami lapſum Medium obtinendæ ſalutis patefecit; quod non ſolum ante diluvium repetiit, ſed Doctrinam hanc ſalutarem ipſe Adamus ſeris Abnepotibus ſuis, imo ipſi Methuſalemo inculcare potuit; Methuſalem autem ad ipſum illum, in quo diluvium contingebat, annum vivebat; ut nonniſi à ſecundo ore, omnes qui ante univerſale illud diluvium degebant, Doctrinam illam cœleſtem Adamo primitus datam acceperint; ut Revelationis corruptio nulla intervenire potuerit. Imo ne quisquam ullam excuſationem haberet, Deus ſingulari modo Noachum Juſtitiæ præconem excitavit, qui omnibus illius temporis Terræ Incolis, vitiis deditiſſimis atque carnis voluptatibus plane immerſis, Doctrinam ſalutarem centum atque viginti annis explicaret, eamque ſpernentibus juſtam Dei iram atque judicium annuntiaret; ut nemo fuerit qui aliquam invincibilis ignorantiæ ſpeciem prætexere, aut ullam in Deum culpam conjicere potuiſſet; unde omnis tandem in ipſos immorigeros illos homines

mines redundavit culpa, quod veritati obstiterint, & scelerum suorum justas pœnas dederint. β. Post diluvium nemo præter Noachum ejusque familiam superfuit, unde denuo omnibus Terræ Incolis Doctrina salutaris à Noacho repetita atque inculcata fuit; si vero non solum Chamus, sed ipse etiam Canaan divinam illam Revelationem de Semine Mulieris ex Noachi posteris oriundo ludibrio atque neglectui habuit, propterea que à Noacho maledictus fuit, non Deo sed hominum malitiæ id adscribendum est. Ut Deus & hic clementem sese atque misericordem exhibuerit Patrem. γ. Et licet Semi progeniei præcipua illa promissio facta fuit, sæpius tamen insequentibus temporibus Chamitæ & Japhetitæ divinam Revelationem à Semi posteris discendi occasionem habuerunt; degit nimirum ipse Abrahamus per aliquod tempus in Ægypto, eo venditus fuit Josephus, vir pientissimus, cognitionis divinæ, quæ ad pietatem est, gnarissimus; fuerunt ibi per aliquot sæcula Israëlitæ, inter quos semper Viros Dei fuisse, qui à Deo per Abrahamum Isaacum atque Jacobum acceptam promissionem repetiverint & inculcaverint, nullum plane dubium est. Mosis etiam populique Israëlitici ex Ægypto migrantis, & iter quadraginta annis per Arabiæ desertum facientis fama inter omnes Gentes quammaxima fuit, ut & hic reliqui Populi Disciplinam illam cœlestem explorandi & in eam inquirendi ansam habuissent, si voluissent. In Captivitatem deinceps ex Terra Cananæa abducti, ubi Gentibus iterum veritatem salutarem discendi occasio non defuit. Præcipue cum maxima Israëlitarum pars, in Terram patriam nunquam

quam redux, per omnes Mundi plagas disperſa fuit. δ. Tempora denique Eccleſiæ Chriſtianæ quod attinet, Chriſtus Diſcipulos ſuos juſſit ut *in univerſam abeant Terram, Diſcipulosque faciant omnes Gentes.* Si vero tantus Doctrinæ Evangelicæ progreſſus non fuit, ut omnes ad Chriſtum converterentur Populi, id nec Chriſto nec Apoſtolis tribuendum, dum homines pertinaciter Evangelio reſtiterint, nec ſolos Apoſtolos, ſed omnes etiam Chriſtianæ Doctrinæ Confeſſores perſecuti ſint, variisque mortis generibus internecioni eos dederint. Nec hodie Ethnicis, Muhammedanis atque Judæis Chriſti Diſciplinam diſcendi occaſio deeſt, ſed oculos potius claudunt & veritatem reſpuunt. ε. Si vero non hominum, ſed Dei culpa eſſet, quod tantummodo ſupponimus, quod Doctrinam revelatam multæ Nationes non cognoſcunt, Deus etiam non majorem ab homine cognitionem requirit quam ipſi dedit, atque quemvis juxta eam judicat legem quam accepit. ς. Neutiquam ergo ex paucitate eorum, qui Chriſtianam profitentur Religionem, ſequitur per reliquas etiam Religiones æternam obtineri ſalutem, omnes propterea Deo indifferentes eſſe ut quamcunque profiteamur perinde ſit. Deus enim nihil poteſt approbare quam quod univerſis ſuis Attributis conforme eſt, eaque omnia quammaxime illuſtrat; contrarium enim ſi faceret, contradictoria vellet, quod imperfectionem in Deo argueret & indecens eſſet.

§. CXXVI.

Addunt objectionibus hisce Naamanis Syri exemplum, cujus petitio una cum Prophetæ reſponſo extat

extat 2. Reg. V. 17. 18. 19. *Dixitque Naaman: Et non detur quæso servo tuo, onus paris mulorum de terra, non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut sacrificium Diis alienis, nisi JEHOVÆ. Hac in re parcat JEHOVA servo tuo, quando ingredietur Dominus meus ædem Rimmon, ut adoret ibi, & ipse innixus fuerit super manum meam, & curvavero me in æde Rimmon, in hac incurvatione mea in æde Rimmon, ignoscat quæso JEHOVA servo tuo in hac re. Et ait illi vade in pace.* Ex verbis hisce multi ex Adversariis nostris probare satagunt, ipsum Deum Naamano per Prophetam Idololatriæ simulationem permittere, ex quo appareat, illicitum non esse ut in alius Religionis societate degentes, cultum etiam ejus observare audeant, qualiscunque ille sit, modo Deus interne sive corde recte colatur, ut perinde sit quamcunque Religionem ore & gestibus profitearis.

Scripsit in hanc rem Dissertationem lectu, uti cætera omnia, dignissimam SAM. WERENFELSIUS *de Naamane Syro ab hypocrisi vindicato*; extat illa opusculorum Tom. I. Edit. Laus. pag. 223. ed. 1782, P. 255

§. CXXVII.

Si omnes hic perpendimus circumstantias & ipsa illa quæ attulimus verba, facilis erit responsio. Lepra nimirum percussus erat strenuus hic Exercitus Benhadadi Dux. Audivit magnum inter Israëlitas esse Prophetam Elisæum, qui miracula patrare posset. Mittit eum Syriæ Rex ad Joramum Israëlitarum Regem, additis litteris commendatitiis, ut sanari ipsum curaret Israëlitarum Rex. Quo audito Elisæus Regi nuntiandum

dum curat, ut ad se mitteret virum illum, voti compotem se illum facturum. Venit Naaman cum omni comitatu suo ante Elisæi fores, illique hoc ab Elisæo latum erat responsum, ut septies corpus suum in Jordane ablueret. Sanato corpore ad Prophetam redit, & gratum ipsi animum testificaretur, nullum præter Israëlitarum Deum esse publice profitetur, atque Elisæo munus offert; quod cum accipere nollet, poscit ab ipso ut ipsi concederetur tantum terræ onus quantum muli duo portare possent. Alterum petitum, de quo proprie hic agitur, hoc erat, ut condonaret ipsi Jehova, si cum Domino suo ædem Rimmon ingrediatur & Rex innixus fuerit manui suæ, ut incurvare se Naaman cogatur in æde Rimmon. Ad quas petitiones Propheta ipsum dimisit in pace.

§. CXXVIII.

Habetur autem *primo* Naamanis *confessio*, in qua solum Israëlis Deum verum agnoscit. *Secundo* ejus *propositum*, nullum se alium Deum culturum, neque Diis alienis in posterum holocaustum aut sacrificium oblaturum. *Tertio Petitio* duplex, quarum posterior condonationem ejus rei continet, quæ cum hoc suo proposito pugnare videbatur. Unde verba ejus hunc involvunt sensum (interpretationem nunc WERENFELSII appono); *Firma fiat sententia, nullum me posthac Numen neque interna animi veneratione, neque externis corporis cærimoniis, nisi summum Israëlis Deum, culturum. Id solum me sollicitum habet: exigit officium meum, ut Regem nonnunquam in fanum Rimmonis comiter, fierique potest, ut eo sese incurvante in honorem Dei sui, ego me itidem incurvare cogar, si quan-*

quando manu inniti vult, uti antehac consuevit: hoc si quando contingit, quoniam à proposito meo alienum videri possit, id quæso mihi Dominus condonet. Patet ex hisce, hunc belli Præfectum omnem Idololatriæ atque hypocriseos suspicionem evitare voluisse, ne cultum etiam externum Idolo deferre videatur, dum solenniter testatur, non aliam se id facere ob caussam, quam quod officium Domino suo debitum id postulabat, ut ipsum coram Idolo genua flectentem sustentet. Parendum ab una parte erat Regi justo Domino ac Benefactori suo, in re præcipue quam obsequium civiliter Regi debitum requirit, quod facere omnes Regis subditi tenentur. Ab altera vero parte, abhorrebat animus ab eo, quod vel mali speciem habere potuisset, quod scilicet gestu Idololatriam simulet, licet animus ab ea sit alienissimus, dum non Idolo sed Regi servire mens sit, sciens nonnisi Israëlis Deum cultu etiam externo colendum esse.

§. CXXIX.

Tria igitur hic Naaman publice declarat. α. Quidquid hic faciat, in honorem Idoli se minime facere, sed hanc solam ob caussam quod officium Regi debitum id requirat. β. Permissionem à Propheta petit ut posthac hoc munere suo ipsi fungi liceat. γ. Precatur Deum, ne hoc ipsi imputet, cum animus suus ab hypocrisi vel Idololatria longissime absit. Hoc fere modo interpretantur Judæi, RALBAG & ABARBANEL. Prioris verba hæc sunt: *Petit ab Elisa, oraret Dominum, ut condonaret ei hanc rem, quæ erat incurvatio ejus in ædeRimmon, quippe ad quam cogebatur, siquidem Dominus ejus ipso nitebatur ingrediens in ædem Rimmon, ad ado-*

ran-

randum. RASCHI autem Naamanem sic loquentem introducit: *Incurvatio hæc me invito fit, quoniam Dominus meus, seſe incurvans nititur manu mea.*

§. CXXX.

At quid ad hanc petitionem Propheta? *Vade*, inquit, *in pace*; quæ verba omnino concedentis esse videntur, summo enim rigore Propheta recens conversum tractare noluit; nec eum maximo, munus vel vitam amittendi, periculo exponere voluit, cum civile servitium Regi præstare per se malum non fuerit, eo minus quod quilibet, tam ex ipsa Naamanis confessione, quam ex gestibus reliquisque circumstantiis, judicare potuit, omnia non in Idoli honorem, sed ad Regi obsequium præstandum munerique aulico suo satisfaciendum fieri, quod Elisæus Vir Dei præscire potuit, eo magis quod Naaman ipsi certa fide sposponderat, se in posterum non nisi Israëlis Deum, tam animo quam corpore, veneraturum.

§. CXXXI.

Nullum ergo hic Indifferentistæ ad rem suam tuendam præsidium inveniunt. In Indifferentismo nimirum Religionum nulla Religionis particularis Confessio locum habere potest, dum juxta eorum hypothesin quamcunque profitearis perinde sit. Naaman omnia facit quibus ostendere posset se nec hypocritam nec Indifferentistam esse, dum præsentibus omnibus, Elisæo Propheta, Servo ejus Gehasi, & comitantibus eum publice hanc edidit *Confessionem*: Se in posterum nonGentilium Deos sed solum Jehovam culturum. Patroni Indifferentismi aliis sibique persuadere conantur, internum animi cultum sufficere. Naaman

man contra etiam circa externum Cultum anxius fuit, unde non publica tantum Confessione fidem suam testatur, sed Prophetæ consilium in iis etiam petit, quæ externam quandam actionem respiciebant, metuens ne forsan Deum offenderet, vel aliis Idololatriæ suspicionem præberet. Nihil tantopere veretur, quam ne servitium Regi debitum in pejorem intelligi posset partem.

Aliorum adhuc loci hujus Interpretationem brevibus hic apponere lubet. Sunt, inquit WERENFELSIUS Diss. supra citata §. IX., qui de *præterito* verba explicant, iisque, existimant, peccati commissi veniam peti. Horum interpretatio ita habet: *Hanc rem condonet Jehova servo tuo, quod cum ingressus fuit Rex in ædem Rimmon, ut Jese ibi incurvaret, & innixus fuit manu mea, si tum incurvavi me in æde Rimmon, hanc incurvationem meam in Templo Rimmon quæso condonet Jehova servo tuo.* Argumentum eorum potissimum Grammaticum est; Gerundium בבוא ajunt per præteritum explicandum esse, præterito sequente: duplex autem præteritum hic sequi נשען & והשתחויתי: Hæc tria igitur ita exponenda esse: *Cum ingressus fuit, & innixus fuit, & ego incurvavi me.* Nam ו in hoc ultimo non esse conversivum præteriti in futurum, quoniam accentus pro more ex penultima in ultimam non est retractus, dicitur enim והשתחויתי accentu in penultima. Quanquam enim ab hac accentus retractione verba quiescentia *lamed he* eximantur, illud tamen nonnisi in conjugatione *Kal*, non item in *hitpahel* habere locum; ut igitur omnino verbum והשתחויתי præteritum sit. Plura qui vult adeat ipsam Werenfelsii Dissertationem.

§. CXXXII.

Addunt denique hisce Adversarii nostri ipsum Christi Apostolorumque Exemplum, qui Ritus

judaicos obſervabant; & Pauli qui Judæis Judæum, Græcis Græcum ſeſe exhibebat.

§. CXXXIII.

Chriſtum & Apoſtolos ritus illos cærimoniales obſervantes quod ſpectat, α. Tenendum Cultum illum ritualem ab ipſo Deo inſtitutum, tunc temporis quo Chriſtus eum obſervavit nec de jure nec de facto adhuc abrogatum fuiſſe, ſed gradatim antiquandum. β. Cum Chriſtus fidelium etiam ante Chriſti adventum viventium Salvator fuit, neceſſarium omnino erat ut & Legis cærimonialis obſervationem in ſe ſuſciperet, quo pro delictis hac in re commiſſis ſatisfacere poſſet. γ. Apoſtolis denique tam Paulo quam cæteris Evangelium inter Judæos & Græcos prædicantibus caute admodum erat agendum, ne infirmis adhuc ſcandalo eſſent, adeoque Doctrinæ Evangelicæ propagationi obeſſent, unde tolerandi erant ad tempus ii, quorum mens Legi moſaicæ adhuc nimis affixa erat, quam ut breviſſimo temporis ſpatio ab ea abalienari potuiſſent; Apoſtolis propterea hac in re non nimis properandum erat.

* * * * *
* * * *
* * *
* *

C A-

* * * \

§. IV.

Ita quidem retinent Sacram Scripturám, sed *alterum* adhuc *fidei Principium* stabiliunt; nempe *infallibilitatem Papæ*, & *supremum* illius in Articulis credendis *Dominium*, à cujus etiam arbitrio ipsa S. Scripturæ interpretatio dependet, absque ulla demonstratione pro vera agnoscenda.

§. V.

Et uti *primarium* Religionis Peccatoris *fundamentum* est, *Jesum Christum esse unicam & perfectissimam Caussam salutis*, ita eum ut Prophetam, Sacerdotem & Regem profitentur; sed ipsi alium substituunt, à cujus ore atque nutu dependendum sit, adeoque ipsum hoc fundamentum tollunt. Quoniam enim Christus unicus noster Propheta, Sacerdos & Rex est, sed alius ejus loco substituitur, revera ipsum unicum Salvatorem esse negatur.

Hypothesis Primaria
sive
Πρῶτον ψεῦδος

§. VI.

Religionis Pontificiæ *Hypothesis primaria* est SUPREMATUS PAPÆ, sive *dependentia ab ipso, in Articulis credendis & faciendis, tanquam infallibili Ecclesiæ Capite & Domino.*

§. VII.

Fundamentum Religionis Peccatoris esse *dependentiam à Christo* ceu unico Salvatore, suo loco demonstravimus. Uti autem hoc veræ Religionis funda-

fundamentum est, ita Religionis pontificiæ fundamentum in eo consistit, *quod ab alio dependent*, & eoipso totalem illam à Christo, ceu unico Mediatore, dependentiam ut Religionis revelatæ fundamentum evertunt, & aliud ejus loco substituunt.

§. VIII.

Hoc autem quando dicimus, non ita intelligendum est, quasi putaremus, omnium & singulorum Errorum primos Autores hunc intendisse scopum, & hypothesin hanc primariam supposuisse. Uti enim Errores in Ecclesia paulatim fuere introducti, ita singulorum Errorum Patroni peculiarem potuerunt habere scopum.

§. IX.

Sed Religionem Pontificiam nunc consideramus ceu in Systema redactam, & quatenus nunc omnes illi Errores in canonem relati sunt; & Autoritate Papæ, propterque illam, hi Articuli credendi sunt & faciendi.

§. X.

Et ita communem aliquem nunc scopum habent, nempe ut *supremus* stabiliatur *fidei Dominatus*, diverso licet scopo multi Errores in Ecclesiam irrepserint & introducti sint.

§. XI.

Dominatus enim ille nunc quasi *Fundamentum* illorum *Doctrinale* est, cui omnes reliqui Errores superædificati sunt.

§. XII.

Et ad illum scopum assequendum & tuendum omnia diriguntur, nempe salutem aliter in

Christo obtineri non posse, quam *dependenter à Pontifice Romano* ut *Ecclesiæ Capite.*

§. XIII.

Primariam etiam hancce *hypothesin* per omnes reliquos Religionis illius Errores sese extendere, & illos animare ex ipsorum Pontificiorum verbis clarissime patet, qui passim fatentur: nihil vel credendum vel faciendum esse, nisi quod Ecclesia repræsentativa credit & præcipit; & ab illius ore dependendum non propter veritatis ad conscientiam demonstrationem, sed propter *solam* illius *Autoritatem*; nec quenquam salvari posse, nisi agnoscat *Papam Supremum Ecclesiæ Caput* esse, in cujus *dependentia* omnia quærenda sint, per quæ salus obtinetur.

§. XIV.

Et ita Papa effertur supra omnem dictum Deum aut Numen; ita ut in templo sive Ecclesia Dei sedeat, tanquam Deus, ostendens seipsum quod sit Deus. 2. Thess. II. 4.

§. XV.

Sed hoc πρῶτον ψεῦδος esse ex tota illorum Doctrina de Pontifice evidens est, si enim omnia Capita infra percurremus, & in Systema redigemus, omnia huc tendere manifestum erit.

§. XVI.

Pontificem nimirum *summum Prophetam* esse perhibent, ut non aliud sit Fidei fundamentum quam ipsius Decretum & Testimonium.

§. XVII.

Unde, si Papæ summa definiendi & præscribendi

bendi fidei Articulos competit Potestas, alia præscribere non potest, quam quæ *dominatui* huic subordinantur Dogmata, & quibus ille suffulcitur.

§. XVIII.

Et illi tanquam *Summo Sacerdoti* etiam soli jus competere dicunt, Sacrificium Christi ad remissionem peccatorum applicandi, & peccata remittendi.

§. XIX.

Quo omnes illi Errores tendunt, quos committunt circa modum salutem impetrandi & applicandi.

§. XX.

Et cum summus Rex esse velit, sibi jus tribuit Potestatem dispensandi, etiam ipsam salutem vendendi, & pro arbitrio aliis adscribendi.

§. XXI.

Imo juxta Religionis illius statuta non sufficit, ut aliquis id credat, aut faciat, quod Ecclesia, hoc est Papa, dicit, sed *quia* id dicit & præscribit. Quomodo autem omnes Errores huc tendant nunc ostendemus.

Occasio Errorum Ecclesiæ Pontificiæ.

§. XXII.

Papismi Errores ortum trahunt vel ex Episcoporum, potestatem suam pro dignitate Urbis metropolitanæ extendentium, dominandi libidine: Vel ex rigidiori & male in-

tellecta Ecclesiæ nascentis disciplina ; vel ex studio retinendi ritus Paganorum , hosque hac ratione alliciendi ad Christianismum : Omnes autem nunc in primaria quam stabilivimus hypothesi concurrunt ?

§. XXIII.

Omnes ergo Errores respiciunt vel *Regimen Ecclesiæ* sive *Hierarchiam Pontificiam* ; vel *Doctrinam & fidem* ; vel *Ritus & Cultum publicum* ; priores introducunt *intolerabilem in conscientias Tyrannidem*, sequentes *hæresin* , ultimi vero *Idololatriam* & *superstitionem*. Unde etiam tria nascuntur Errorum Capita.

SECTIO I.

in qua

illi Errores in Systema rediguntur qui Ad Hierarchiam pontificiam pertinent.

§. XXIV.

Hos ortum trahere diximus , *ex Episcoporum potestatem suam pro dignitate urbis metropolitanæ extendentium dominandi libidine.*

Ab hoc Capite incipimus, quia constituit Centrum pontificiæ Religionis, & per omnes reliquos Errores sese exserit, qui omnes hypothesi huic accommodati sunt.

§. XXV.

Ab initio nimirum N. T. juxta institutum Dominicum atque ordinationem divinam, *unus* fuit *Rex*, *unum Ecclesiæ Caput*, *unus Dominus*.

Mini-

§. XXVI.

Miniſtri hujus Domini erant Apoſtoli, Doctores, Paſtores, Epiſcopi, Presbyteri, qui omnes ex æquo ejus fuerunt Legati, nullo alio diſcrimine quam ætatis, & quod quidam diutius verbo laborarunt.

§. XXVII.

Nondum erant tunc temporis Archiepiſcopi, Epiſcopi à Presbyteris diſtincti, non Hierarchia Eccleſiaſtica, non Vicarius Dei omnipotentis, non Monarcha viſibilis, qui eſſet Caput omnium Sanctorum, qui pari Majeſtate qua Chriſtus uteretur, qui conſcientiis filiorum Dei leges præſcriberet, de legibus moralibus diſpenſaret.

§. XXVIII.

Et ipſi etiam Epiſcopi & Presbyteri nonniſi nomine differebant, quod ex Act. XX. 17. & 28. coll. cum Tit. I. 5. & 7. abunde patet; Conſentit inſuper antiquitas, Theophylactus, Hieronymus ad Titum, Theodoretus ad Philipp. Aërius apud Epiphanium, qui vixit tempore Concilii Ancyrani, &c.

§. XXIX.

Ab hac autem inſtitutione paulatim homines receſſerunt, quando primo facta eſt *diſtinctio inter Epiſcopos & Presbyteros*: quamvis incertum ſit, quando nova hæc inſtitutio in Eccleſiam introduci cœperit, cum enim Concilium Nicænum Anno 325 haberetur, diſtinctio hæc jamjam erat ſtabilita; Concilium enim Can. VI. illam firmiter juſſit obſervari tanquam ἀρχαιαν ἐθην καὶ παραδοσιν ἀρχαιαν. Et Synodus Ancyrana, undecim præter propter annis ante Nicænam habita, Presbyteris

omnem ordinandorum Presbyterorum & Diaconorum ademit potestatem.

§. XXX.

Summa tamen adhuc eo tempore Episcoporum fuit puritas; nondum fuit aliquis qui se Oecumenicum vocavit; nondum Hierarchia Romana: sed eam demum peperit sequioribus temporibus multorum φιλοπρωτια & dominandi libido; quibus non satis fuit esse Episcopos, sed concedente id Constantino M. alii aliis majorem sibi vindicabant potestatem, prout enim quisque Metropolin cujusque Provinciæ incolebat, ita reliquis ejusdem Provinciæ Episcopis præficiebatur, qui ab initio *Metropolitani*, octavo deinde Seculo *Archiepiscopi* dicti.

§. XXXI.

Inter Metropolitanos autem quatuor, *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Antiochenus* & *Alexandrinus*, quibus propter urbis Sanctitatem etiam quintus accensebatur nempe *Hierosolymitanus*, dignitate inter se pares habebantur, ut ex Can. VI. Concilii Nicæni patet, eæ enim principales Romani Imperii civitates erant.

§. XXXII.

Quia autem urbs Roma cæteras amplitudine antecellebat, atque *Romani Imperii Caput* erat, hinc factum est ut in ea Pontificiæ dominationis sedes collocaretur, & quia habitaculum Imperatoris Roma Constantinopolim translatum fuit; hinc est, quod Episcopo Constantinopolitano secundus dabatur locus, & teste SOCRATE *Lib. V. Hist. Eccles. Cap. VIII.* p. m. 303. Synodus Constantinopo-

nopolitana habita Anno 381. Can. III. Constantinopolitanum Episcopum honoris prærogativas post Romanum habere jussit, eo quod Byzantium Nova esset Roma.

§. XXXIII.

Labefactato autem penitusque deleto Imperio Romano in Occidente, urbisque Romanæ Gloria valde obscurata, de Principatu contendebant utriusque Civitatis Episcopi, donec Imperator Phocas ira in Patriarcham Constantinopolitanum commotus, quod Mauritii cædem approbare nollet, Episcopo Romano Bonifacio III Primatum detulit, eumque *Episcopum Oecumenicum caputque omnium Ecclesiarum* fecit.

§. XXXIV.

Et in hoc consistit *fundamentum Hierarchiæ Papalis*; sic ortus est Episcoporum ac Archiepiscoporum omnium Episcopus, Sacerdos universalis totius orbis habitabilis, Monarcha visibilis, cui potestas data judicandi omnes.

§. XXXV.

Hic autem nondum consummata fuit Hierarchia Papalis, sed omni opera ab eo tempore Pontifices Romani haud segniter in id incubuerunt, ut *Primatum* istum novis *additamentis* semper magis extenderent, unde temporis tractu variis artibus & usurpationibus, quasi per gradus ad tantum fastigium ascenderunt.

§. XXXVI.

Ad illorum autem Dominationem stabiliendam multum contulit, ab una parte, quod sedes Imperii Romani alio est translata, tum enim ὁ κατεχων

τεχων è medio fuit ſublatus, ſi enim in urbe Roma perpetuo manſiſſet Imperatoria Majeſtas, nunquam permiſiſſet illa, ut Epiſcopus Romanus amplitudinem ſuam, aut Majeſtatem æquaret, aut ſuperaret.

§. XXXVII.

Conſtantinopolitani enim nunquam dignitatem ſuam eousque potuerunt extendere, etſi non minores forſan Romanis ſpiritus geſſerint.

§. XXXVIII.

Ab altera parte, Dominationem hanc etiam multum promovit ingraveſcens Barbaries, dubia enim luce adulterinæ merces facilius emtorem inveniunt, ut Epiſtolæ illæ decretales, quæ primis tribuuntur Pontificibus, pro genuinis nunquam fuiſſent acceptæ, niſi denſa ignorantiæ caligo ubique regnaſſet: ut de variis artibus quibus uſi ſunt Epiſcopi Romani nunc taceam.

§. XXXIX.

Ad adultam autem ætatem, ἀκμην & vigorem pervenit Dominatus hic in Eccleſia ſupremus, ſub Gregorio VII. qui Papa factus Anno 1073. die 10. Calend. Maii, & id quod cumulo Antichriſtianæ Dominationis deerat adhuc ſuperaddidit, & ſeſe ſuper omne σεβασμα extulit.

§. XL.

Perſpecto nunc breviter Hierarchiæ hujus ortu, reſtat ut primo ejus *formam* & ſecundo *Errores*, qui inde fluunt & ad eam ſtabiliendam faciunt, conſideremus.

Forma

§. XLI.

Forma hujus Dominatus plenius ex dictatis, tum GREGORII, tum Innocentii III conspici potest. Priores extant Epistolarum scriptarum Anno 1074. Lib. II. Ubi statuit: Romanum Pontificem solum dici universalem. Illum solum posse Episcopos ordinare & deponere.

§. XLII.

Illi soli licere pro temporis necessitate novas condere Leges. Illius solius nomen, tanquam unicum in Mundo, recitandum esse in Ecclesia. Nullam Synodum absque ejus præcepto generalem vocandam. Nullum Capitulum seu Librum absque illius Autoritate Canonicum esse dicendum.

§. XLIII.

Sententiam ejus à nemine debere retractari, & ipsum solum omnium retractare posse, eamque à nemine esse judicandum. Majores causas cujuscunque Ecclesiæ ad Apostolicam sedem esse referendas. Romanam Ecclesiam nunquam erraſſe, nec in perpetuum, testante Scriptura, esse erraturam.

§. XLIV.

INNOCENTIUS III. qui ab initio Seculi XIII. vixit, *Decretal.* Lib. I. Tit. 33. *De majoritate & obedientia* Cap. VI. inter alia ita loquitur: subesse Romano Pontifici, omni humanæ Creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis.

§. XLV.

Hæc de Forma Monarchiæ hujus sacræ. *Media* quibus illa conservatur, sunt vel ejus subditi,

ti, vel falsa dogmata, Dominatui huic accommodata.

§. XLVI.

Consideratur nempe Ecclesiæ status ut Regnum aliquod visibile, quod à nutu Monarchiæ visibilis in rebus credendis & faciendis ita dependet, uti in rebus civilibus plebs ab arbitrio Regis pendet.

§. XLVII.

Subditi ejus sunt, vel communis plebs, quæ Laicorum nomine venit; vel sunt ii qui ad ordinem Ecclesiasticum pertinent: Posteriores considerandi sunt tanquam numerosus aliquis exercitus, qui Principis sui Regnum, variis artibus, vi, stratagematibus augere & amplificare conatur.

Vide de his quæ nunc dicturi sumus Illustr. PUFENDORFII *Hist. Universalem* in Capite de Papa, qui pro magna sua rerum politicarum notitia, ut in aliarum, ita etiam in Aulæ Romanæ rationem status penetravit.

§. XLVIII.

Hic exercitus constat ex iis, qui simpliciter ordinis Ecclesiastici sunt, ut communes Sacerdotes; vel ex iis qui voto singulari alicui disciplinæ sese addixerunt, unde varii illi Monachorum ordines, & Jesuitæ, ex quibus Papa militem suum prætorianum confecit, quosque cervici non Laicorum tantum, sed & ipsorum Sacerdotum imponit, ut ipsos in obsequio continere possit.

§. XLIX.

Unde Præfectos suos, sive Generales, Romæ residentes habent, ut ibi consilia capi, & mala imminentia declinari possint, si enim Episcopus aliquis jussa vel autoritatem Pontificis sperneret, impla-

implacabili odio ſtatim ipſum conſectarentur Monachi.

§. L.

Secundum Medium, quo Papa Autoritatem & Hierarchiam ſuam ſtabilire & conſervare poteſt, ſunt falſa dogmata: Etenim Pontificiæ Dominationis ratio eſt, ut ad Autoritatem divitiasque Pontificis & Cleri omnia referat; Unde vel priſca Religionis Chriſtianæ dogmata Dominationi Eccleſiaſticæ ſunt accommodata; vel nova, quæ ei inſerviunt, ſunt inventa.

§. LI.

Dogmata vero illa quæ immediate huc faciunt, & vel dignitati vel proventui Hierarchiæ inſerviunt, præcipue ſequentia ſunt.

§. LII.

Principem locum obtinet *Autoritas & Majeſtas Papæ*, quo pertinet α. quod ſtatuunt Regimen Eccleſiæ, poſt Chriſtum, debere eſſe Monarchicum, & Epiſcopos urbis Romæ ſupremam & Monarchicam Poteſtatem jure divino, ſupra omnes in toto orbe & Eccleſias & Eccleſiaſticos habere.

Ad hoc forma Monarchica maxime fuit idonea, cum Pontifex ipſius Jeſu Chriſti omnium rerum Arbitri vicarium & quaſi Vice Deum ſe eſſe hominibus perſuaſit, cui rei ex variis Regiminum generibus nullum Monarchico accommodatius excogitari poteſt.

§. LIII.

β. Nihil etiam magis Papæ Autoritatem auget, quam quod ipſi adſcribunt etiam poteſtatem temporalem ſummam in omnium Chriſtianorum Bona & res; adeo ut de iis diſponere, etiam Regna mutare poſſit. Cujus poteſtatis ipſi falſo adſcrip-

scriptæ etsi documenta ediderit in Henricis, Fridericis &c. magnopere tamen dubito, an Moderni Principes tam dociles essent ut Christi Vicarium ita revererentur.

§. LIV.

γ. Ad homines porro ad obsequium movendos, & horrore percutiendos, nihil magis est idoneum, quam divina in ferendis legibus Majestas; hinc Papæ sibi adscribunt vim coactivam & potestatem in legibus condendis etiam conscientiam obligantibus; quod si semel imperitis hominibus persuasum est, nullo alio argumento ad probanda Religionis Christianæ Capita, quam vulgato illo αὐτος ἐφα opus est.

§. LV.

δ. Et major hauddubie est Autoritas, si Ecclesiastica cum civili sit conjuncta, hinc statuunt, civilem jurisdictionem convenire Personis Ecclesiasticis, ut quis sit simul Ecclesiasticus & Politicus Pastor & Princeps.

§. LVI.

Ad constituendam enim Monarchiam Ecclesiasticam, necessum fuit, ut sedem suam ibi constituat, ubi locus fuit tantum sui juris & ditionis, unde proprios habet reditus, ne eos illi detrahendo vi coërceri possit; ut porro propriis nixus viribus urgente necessitate vi gladii & milite domestico sese defendere possit.

§. LVII.

ε. Multum contra Papæ dignitati derogaret, si ipsius satellitibus, Ecclesiasticis puto, nutui Principis secularis obtemperandum esset; unde

eos

eos eorumque actiones cauſſasque civiles, atque bona temporalia exemit à poteſtate & judicio, ut & tributis Principum vel Magiſtratus ſecularis, à quo nimirum ipſis majus immineret periculum, quam à Tribunali ſuo, qui ipſis muneris neceſſitate conjunctus eſt; quamobrem plurimi ex illis Pontificis Potentiam haud ægre ferunt.

§. LVIII.

Electionem quoque Paſtorum ad ſolos ſpectare Epiſcopos perhibent, atque potiſſimum ad Papam Romanum, à quo ut Capite, omnis Eccleſiaſticus ordo & jurisdictio in cæteros Epiſcopos & Paſtores derivetur, ut adeo nemo pro vero Eccleſiæ Chriſti Paſtore agnoſcendus ſit, niſi ab Epiſcopis vel electus, vel ab iisdem muneri ſuo inauguratus & confirmatus, vel de ejus Succeſſione ex publicis tabulis conſtet.

§. LIX.

§. Non è re etiam Pontificiæ Majeſtatis eſſe videbatur, ut ipſe qui dignitate omnes mortales excederet, ſatellitum ſuorum Judicio ſubeſſet: unde ſeſe ſupra Concilia effert, & ſtatuit ſui ſolius eſſe, generale Concilium convocare, ei præſidere, autoritatem eamque infallibilem ei dare.

§. LX.

§. Ut porro Autoritas Papæ, qui eſt Eccleſia repræſentativa, magis urgeatur, contendunt, ne quidem Libros Sacros & Canonicos ſine Autoritate & commendatione Eccleſiæ recipi à fidelibus poſſe; putantes veram atque unicam viam inſtituendi atque ad fidem adducendi homines eſſe viam Autoritatis, non demonſtrationis Veritatis ad

conſcientiam ; ideo veterum Pontificiorum nonnulli omnem Scripturæ autoritatem ab Eccleſia ita ſuſpenderunt, ut eam non majori fide dignam æſtimarent ſine teſtimonio & judicio Eccleſiæ, quam Titum Livium & Alcoranum Muhammedicum : verum cum hoc nimis crudum appareret, recentiores non tam explicandæ Veritatis, quam amoliendæ invidiæ gratia, diſtinxerunt inter Autoritatem Scripturæ IN SE, & autoritatem QUOAD NOS ; ut Quæſtio ſit, non an Scriptura ſit in ſe divina & vera ? id enim habere à Deo omnis veritatis Autore : ſed unde nobis divinam aut veram eſſe conſtet ? Scilicet ab Eccleſia.

§. LXI.

Egregie certe, ut nimirum alteri Errori fundamentum ſubſtruant ; ſi enim tanta eſſet Eccleſiæ Autoritas, ut ejus teſtimonium & judicium de divinitate S. Scripturæ eſſet infallibile, Eccleſia etiam poſſet condere Canonem, ergo poſſet credenda & ſervanda præcipere, imo dogmata fidei & vitæ condere, quod intendunt.

Si quis dicat etiam nos multos S. Scripturæ Libros abſtracte conſideratos ideo tantum pro divinis & Canonicis agnoſcere, quia Eccleſia nobis illos tales eſſe tradiderit. Ex. gr. in Epiſtola Pauli ad Philemonem nihil occurrere unde Characteres divinitatis ejus agnoſceremus ; niſi quod Pauli nomen præfixum habeat, & à S. Johanne pro divina habita & à prima Eccleſia talis agnita fuerit ; ad quod reſpondetur diſtinguendum eſſe inter viam Autoritatis & Demonſtrationis ; Papa nimirum ideo vult hunc vel illum Librum pro divino agnoſci, quia ipſe id jubet absque ulla addita probatione, nos autem neminem id credere obligamus niſi probatum fuerit, Epiſtolam hanc vel alium aliquem librum ſemper pro divino eſſe habitum ab ipſis etiam viris Apoſtolicis.

Tanta

§. LXII.

H. Tanta porro Pontificis Majestas & autoritas esse traditur, ut in rebus Fidei decidendis sit *infallibilis*, nec errare possit.

§. LXIII.

Unde ipsi soli Sacram Scripturam interpretandi potestatem tribuunt, à cujus autoritate omnes debeant petere Sacræ Scripturæ certissimam & infallibilem interpretationem necessario sequendam; penesque ipsum omnium controversiarum Theologicarum dijudicandarum esse Arbitrium contendunt; ne nimirum aliquid Dominationi Ecclesiasticæ noxium proferatur, & ut summum Pontificis Romani tribunal stabiliatur.

§. LXIV.

θ. A Lectione etiam S. Scripturæ Laicos arcent, eamque nemini permittunt nisi facultate ab Ordinariis impetrata, post examen ingeniorum rite institutum; quod non tantum ad amplitudinem Sacerdotum multum confert, quippe qui soli digni cum quibus Deus per Verbum suum colloquatur.

§. LXV.

Sed sicuti Hierarchia hæc per ignorantiam fuit stabilita, ita per eandem debet conservari; ideo vulgo oraculorum divinorum lectione interdicunt, ne ibi aliquid inveniant quod rationibus Papæ sit contrarium, fraudulentiamque Sacerdotum detegant, & caligine discussa ad instar asinæ Bileami insessori suo obloqui incipiant, in præsidium hujus Erroris S. Scripturam obscuritatis arguunt.

§. LXVI.

Qui Error alios adhuc gignit 1. à fide credendorum notitiam excludunt; fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri dictitantes, ut BELLARMINUS *de Justif.* L. I. c. 7.

§. LXVII.

2. Fidem implicitam commendant, quæ nihil aliud est quam cœcus cum Romana Ecclesia in credendis, faciendis fugiendisque, consensus & obsequium.

§. LXVIII.

3. Fidem definiunt, assensum generalem, quem præbet intellectus iis omnibus quæ à Deo revelata sunt, & per Ecclesiam nobis credenda proponuntur, sive scripta illa sint sive non scripta.

§. LXIX.

4. Ut tandem vulgus à lectione Scripturæ facilius arcere possint, dicunt: non opus esse, ut S. Scriptura in aliam quam linguam latinam transferatur, quippe in cruce Jesu consecratam.

§. LXX.

1. *Imperfectam* porro dicunt esse *S. Scripturam*, & universam salutis doctrinam, quæ ad Religionem, sive fidem & mores est necessaria, non contineri in ea, atque ideo Christianos præter Scripturam hic indigere aliis sine scripto *Traditionibus*, vel *divinis*, vel *apostolicis*, vel *ecclesiasticis*, easque in Ecclesia Romana continua successione servatas, tanquam principium & normam fidei, pari pietatis & reverentiæ affectu cum S. Scripturis esse suscipiendas & ad eas in gravioribus doctrinæ capitibus

bus veluti ad certum judicii Canonem esse recurrendum.

§. LXXI.

Ut scilicet, si quod utile rei Pontificiæ dogma extiterit, *nullo præter Traditiones argumento* opus esset.

§. LXXII.

Et cum in Ecclesia Romana progressu temporis multa fuerint innovata in Doctrina fidei, Cultu & Regimine Ecclesiæ, quæ nullum in Scriptura habent fundamentum; hinc comminiscuntur *Verbum non scriptum*, in quo pro innovationibus suis & additamentis præsidium quærunt.

§. LXXIII.

id. Tota quoque de *remissione peccatorum* Doctrina (quam ex disciplina veteris Ecclesiæ natam infra videbimus) dominationi Aulæ Romanæ & avaritiæ Clericorum fuit accommodata, ad eam enim requirunt

§. LXXIV.

1. *Confessionem Auricularem*, per quam & homines sibi obnoxios facere possunt, cujusvis ingenium & indolem cognoscere, consilia clandestina detegere, iisque obviam ire: neque id fit absque utilitate Clericorum, quibus confitentes nummum solvere tenentur.

§. LXXV.

2. Requiritur *Satisfactio operis* pro Sacerdotis Arbitratu præstanda, quæ consistit vel, si ii, quibus pœna irrogatur, sint locupletes, in donatione Summæ pecuniæ ad pias causas; hoc est, in usum templorum, Cœnobiorum, pauperum, in-

ter quos etiam sunt ordines mendicantium; ut adeo omnia semper ad usum eorum, qui sacro sese addixerunt ordini redeant;

§. LXXVI.

Vel expiari crimina possunt, certis precationum formulis, peregrinationibus, jejuniis, laceratione corporis: sed si hæc pœna gravis nimis videatur, etiam pecunia redimi potest.

§. LXXVII.

3. *Absolutionem* quoque à peccatis, etiam in foro divino, Papæ adscribunt; quam Potestatem & Sacerdotibus conferre possit. Quod multum momentum ad dignitatem aulæ Romanæ habet; nihil enim est, quod homines magis ad venerationem incitat, quam opinio: Papam gratiæ divinæ & salutis per Christum partæ esse *dispensatorem*, & absque absolutione ejus vel Sacerdotum ipsius, non dari aditum ad beatitudinem vitæ cœlestis, & nihil magis homines ad obsequium præstandum, ad labores & sumtus perferendos permovet, quam iræ divinæ metus, & æternæ Salutis amittendæ discrimen.

§. LXXVIII.

ιβ'. Ecclesiam Romanam insuper *thesaurum operum supererogatoriorum*, ut vulgo vocant, habere dicunt, ex superabundantibus Christi & Sanctorum passionibus conflatum; quem eroget Papa pro potestate sua & arbitrio, Indulgentiis & Jubilæis, pro peccatorum venia & absolutione varie ac plenissime hominibus impertienda.

§. LXXIX.

Quæstuosissimum profecto mercium genus, magno

magno enim pretio venduntur, nec qui eas vendit opus habet ut ipse eas emat, nec iis servandis ullus impenditur sumtus, nec situs eas corrumpit, nec vetustas imminuit, nec emtori, postquam falsas deprehendit, eas reddendi tempus datur ullum.

§. LXXX.

19. Totam quoque *de Sacramentis* Doctrinam rei Pontificiæ & loculis Clericorum explendis accommodarunt: numerum ideo eorum Pontifices ad septem auxerunt, quorum nullum à Sacerdotibus gratis administratur.

§. LXXXI.

In genere quidem eorum *efficaciam à Sacerdote* dependentem faciunt. Unde ad Sacramenti administrandi efficaciam & perfectionem necessario requiri dicunt *intentionem ministri*, ut sine ea efficax non sit.

§. LXXXII.

In specie vero ex S. Cœna fecerunt *Missam*; hoc est Sacrificium verum & expiatorium corporis & sanguinis Christi, pro peccatis vivorum & mortuorum (ut nontantum vivos sed & mortuos in purgatorio degentes, Pontifici & Sacerdotibus vectigales facerent) atque impetratorium omnis generis beneficiorum. Unde nemo locuples moritur, qui non Testamento aliquid pro certo Missarum numero leget; & nemo rem majoris momenti suscipit, qui non, ut res feliciter succedat, Missam peragi curet, pro qua merces sacrificulis solvenda.

§. LXXXIII.

Et ut Clerici præ Laicis in Sacra Synaxi prærogativi quid haberent : *primo* S. Cœnam Laicis nonnisi semel in anno distribuunt : & *secundo* non obstante quod (sic pronuntiavit Concilium Trident.) Christus S. Cœnam sub utraque specie administravit, Laicis nihilominus Calicem negant, iisque tantum inconsecratum porrigunt.

§. LXXXIV.

Unde Concil. Trident. Sess. 21. decrevit. *Si quis dixerit , ex Dei præscripto, vel necessitate Salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, Anathema sit.*

§. LXXXV.

ιδ'. Ex Baptismo Cognationem aliquam spiritualem oriri statuunt inter Susceptores e Baptismo, & Baptizatum hujusque parentes, quæ inter eosdem impediat Matrimonium ; ut nimirum si tales Matrimonium inire velint , dispensatio à Papa emenda sit, & etiam hac in re ab ipso dependerent homines.

§. LXXXVI.

ιε'. Ex *Matrimonio* quoque *fecere Sacramentum:* Ut scil. omnium earum rerum , quæ ad Conjugium pertinent , jus & arbitrium penes Clerum esset ; quæ cum late pateant, Dominationi Pontificis & Clericorum multum additur.

§. LXXXVII.

Novi quoque *Cognationis Gradus* ad prohibendas nuptias à Pontifice sunt constituti, ut Principes præcipue sibi obligare posset & frequentibus dispen-

dispensationibus ansam daret, quod tamen etiam absque magnæ pretiosi nummi copiæ solutione non fit.

§. LXXXVIII.

Sed & quod Clericis Matrimonio interdixit Hierarchiæ Pontificiæ inservit, ita enim singularem sanctitatis speciem coram Populo præ se ferunt, Bona Ecclesiastica nec per hæreditatem distrahuntur, nec majorem Liberorum & Conjugum, quam rei Ecclesiasticæ rationem habere coguntur, nec respectu familiarum suarum Magistratui Civili obligantur, & adversus Principes, in quorum ditione vivunt, mandata Pontificis promtius exequi audent ; Quia enim propria tantum vita ipsis curanda, Principum indignationem sustinere nullo negotio possunt.

§. LXXXIX.

Hæc de *Cælibatu Clericorum* Lex à Gregorio VII. in Synodo Romana 1074. habita, fuit stabilita, ab Ecclesia Romana pro Articulo fidei accepta, & Germaniæ, Clericis resistentibus licet, & Papam hæreticum clamantibus, vi multa obtrusa fuit.

§. XC.

15. Sacramentis tandem etiam *extremam unctionem* annumerant, quæ non minus ac reliqua Sacramenta Clericorum inservit utilitati, optimam enim in ejus administratione habent occasionem monendi, ut, si morientes divites sunt, aliquid ad pias causas, hoc est Cleri & Cœnobiorum, testamento legent.

§. XCI.

16. Multum quoque utilitatis Clericis affert

totus ille in Cultu Ceremoniarum apparatus, tot templa non neceſſaria, altaria, dies feſti, quæ omnia in infinitum fere aucta, ut tot millia Clericorum haberent unde viverent; ut nihil nunc dicam, de cibis certis temporibus prohibitis, de execrationibus, variis miraculorum commentis, quibus omnibus ſuperſtitioſos homines pecunia ſua emungere ſolent.

§. XCII.

m. Magnum etiam dignitati Papæ pondus addit, quod poteſtatem homines per canoniſationem in divorum numerum reponendi ſibi attribuit, quaſi ipſi etiam jus eſſet in cœlum ejusque habitatores.

§. XCIII.

Hi ſunt præcipui Errores, qui ad primam quam poſuimus claſſem referri poſſunt, & immediate ad ſtabiliendum illum Dominatum Papalem faciunt, & fundamentum Regni Chriſti in hac terra evertunt.

SECTIO II.

De Origine Errorum, qui ſpectant Doctrinam ſive fidem, & Hæreſin conſtituunt.

§. XCIV.

Hi Errores, qui ſtricte ad res credendas pertinent, ortum trahunt *ex rigidiore & male intellecta Eccleſiæ naſcentis Diſciplina*; Quæ illorum *occaſio* fuit; Nunc autem illorum talis ad totum Pontificiæ Reli-

Religionis Systema relatio est, ut etiam ad primariam illius hypothesin sive πρῶτον ψεῦδος stabiliendum & confirmandum conformati sint & accommodati, quod est supremus Dominatus (§. 6.) in Ecclesia Dei.

Suo loco jam ostendimus quænam inter πρῶτον ψεῦδος hæreseos alicujus & occasionem differentia sit; ex quibus facile patet; quod Error ex occasione aliqua oriri potuerit & pedetentim irrepere & à quibusdam foveri, licet nondum illam ad hypothesin Hæreseos primariam relationem habuerit, quam deinceps habet, postquam omnes Errores in Systema coacti & in canonem relati sunt; in ædificio enim quovis singulæ ejus partes demum relationem ad finem aliquem generalem habent, ad quem obtinendum suum quæque particula confert, quando cum seinvicem conjunctæ sunt, quam relationem antea, nondum in ordinem redactæ, non habuerunt, licet prius jam extiterint; ita multi Errores jam antea possunt existere quam in systemate aliquo ad certam aliquam hypothesin stabiliendam adhibentur. Neque putandum est Errorem illum, qui primus notus fuit, semper in Systemate aliquo πρῶτον ψεῦδος esse, siquidem πρῶτον ψεῦδος ita nominatur, non à tempore quod Error ille primus promulgatus fuerit, sed à Scopo, quia in Hæresi illa primaria sive præcipua hypothesis est, ad quam reliqui Errores omnes tanquam finem communem tendunt.

§. XCV.

Magnum in Ecclesia primitiva disciplinæ Ecclesiasticæ fuisse rigorem ejusque totam rationem ex Tertulliano, Cypriano, Origine & Eusebio luculenter intelligimus.

§. XCVI.

Rigoris hujus in foro Ecclesiastico Caussæ variæ erant & graves: & quidem α. *Impunitas* in foro civili; deerant nimirum Christiani Magistratus,

tus, ad quos delinquentes in scelerum pœnam & vindictam deferrentur.

§. XCVII.

β. Calumniæ & Cavilla in innocuam Christianorum gentem, de promiscuis stupris, incestibus, infanticidiis, conspirationibus nocturnis, manducatione carnis humanæ, & si quæ alia, orta partim ex male intellectis Christianorum mysteriis vel ritibus, partim ex nefandis hæreticorum sceleribus, veris Christianis adscriptis. Ne autem hostibus justa daretur calumniandi caussa, sed potius ut eos actu ipso convincerent, ad severiorem adacti fuerunt disciplinam, præcipue cum hæc crimina ipsis imputata aciem Imperatoriæ Majestatis strinxerunt.

Vide TERTULL. *in Apol.* Cap. 39. pag. 80. CYPRIANUM *contra Demetrium*; JUSTINUM MARTYR. *in Dialogo cum Tryphone*, & EPIPH. *Hæres:* L. I. Cap. 68. pag. 344.

§. XCVIII.

γ. Tandem etiam in caussa fuerunt graves persecutiones, quibus in Christianam Gentem immanissime sævitum fuit; ne vero infirmiores facile succumberent, sanctissimamque abnegarent Religionem, rigore Disciplinæ cautum fuit.

§. XCIX.

Objectum hujus disciplinæ erant lapsi, vel in scandalosum aliquod crimen, quorum alia erant minus capitalia, qualia stupra &c. alia erant summa, sive capitalia, in quæ deinceps statuta fuit pœna capitis, ut Idololatria, homicidium, adulterium. Vel

§. C.

Vel in Apostasiam, sive abnegationem Christi: hi erant vel *sacrificati*, qui Idolis sacrificarunt, aut immolata gustarunt: alii *thurificati*, qui thus adoleverant: alii *Libellatici*, qui vel Libello dato se Christianos non esse affirmabant, vel quibus Libello à Præside testimonium dabatur eos sacrificasse, ut contra persecutores tuti essent; vel *Traditores*, qui Biblia Sacra Persecutoribus comburenda tradiderunt, frequenti apud Cyprianum distinctione.

§. CI.

Ex lapsis fiebant Excommunicati, ligati, ejecti; quatenus nim: à Sacris Eucharisticis prohibebantur; aucto deinceps Disciplinæ rigore, etiam à precibus & auditione Verbi arcebantur.

§. CII.

Tempus sive duratio hujus Excommunicationis pro delinquentium vel delictorum ratione varia fuit: Seculis duobus prioribus tamen nondum adstricta erat rigori Canonum ad eos gradus, qui temporibus sequentibus obtinuerunt, quando illis subinde nontantum ad tempus resipiscentiæ usque, nontantum ad numerum aliquot mensium vel annorum, sed ad Dies Vitæ usque pax negata, & pœnitentia Ecclesiastica ad mortem usque extensa fuit.

§. CIII.

Aliquando autem Pax ipsis data quando excommunicati, auxiliante gratia divina, pœnitentiam egerunt, quoque eo tempore ad pœnitentiam publicam admissi sunt; Primus ejus gradus

fuit

fuit *Exomologesis*, sive Confessio, eaque primitus nequaquam privata vel secreta, sed publica erat. Hinc TERTULL. *de Pœnit.* Cap. IX. pag. 198. Scribit: Sub pœnitentia positos, Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus deprecationes suas injungere. Et CYPRIANUS invehit in eos *Epist. X.* Qui ante Exomologesin, sive publicam gravissimi delicti factam Confessionem, ante manuum ab Episcopo & Clero impositionem, offerebant lapsis pacem & Eucharistiam dabant.

§. CIV.

Confessionem hanc sequebatur *Satisfactio Canonica* sensu metonymico sumta, quatenus nimirum ab Ecclesiæ senioribus pœnitentibus impositum fuit, ut resipiscentiam suam & mutatam sententiam, certis testarentur operibus, ejusque darent argumenta externa, ut v. g. extra fores Templi habitu lugubri, cilicio induti, cinere consperſi, cum lachrymis & jejunio prostrati commorarentur, & ita à Fidelibus transeuntibus pacem exorarent.

§. CV.

Seculo IV. in Canonibus Nicænis τεσσαρες τοποι ἐπιτιμιων obvii, προσκλαυσις, *fletus* ad fores Oratorii; ἀκροασις *auditio verbi*, quo inter Catechumenos in exteriore Templi parte, iis erat orandum & commorandum; ὑποπλασις, intra Templum nimirum sese retro Ambonem *prosternebant* & cum Catechumenis exibant; & tandem admittebantur ad συστασιν, *consistentiam*, inter reliquos fideles sedentes, usque ad finem omnium Sacrorum; nondum vero ad S. Cœnam admittebantur,

tur, quod tum demum licebat, quando per absolutionem Ecclesiæ iterum fuere reconciliati: labente tamen Seculo IV. multum remitti cœptum de illo graduum rigore.

§. CVI.

Præter supra memorata satisfactionis opera, sub persecutionibus, præcipue à *Thurificatis* exigebatur, ut publicas super Martyrum sepulchris funderent preces, quibus thurificationem revocarent, majorem a Deo in perferendis persecutionibus peterent Constantiam, testatumque darent, sese ad exemplum Martyris in isto loco sepulti ad Martyrium perferendum paratum habere animum.

§. CVII.

Postquam excommunicati hujusmodi externis signis & argumentis pœnitentiam probarunt, ab Ecclesiæ Senioribus deliberatum est, an pro commisso scandalo sufficienter satisfactum sit, numque opera eorum, respectu disciplinæ Ecclesiasticæ, *in foro Ecclesiæ* pro satisfactoriis haberi possint? cumque compertum esset ea ab Ecclesia pro talibus agnosci, secuta est *Absolutio* prævia Oratione atque manuum impositione.

§. CVIII.

In illa autem α. non agebatur de remissione peccati coram Dei Tribunali, sed de remissione pœnæ Ecclesiasticæ, per quam pœnitens, impleto pœnitentiæ tempore, reconciliabatur Ecclesiæ.

Unde CYPRIANUS dicit: *Neque præjudicamus Domino, judicaturo, quominus si pœnitentiam plenam & justam peccatoris invenerit, tunc ratum*

ratum faciat, quod à nobis hic fuerit ſtatutum. Inter ejusdem Epiſtolas eſt una Firmiliani Epiſcopi Cæſarienſis in Cappadocia, qui ita loquitur: *Non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed ut per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum convertantur.*

§. CIX.

ß. Hæc *Abſolutio* fuit *publica*, non privata; nihil enim in tribus prioribus ſeculis de Abſolutione privata legitur. CYPRIANUS qui Seculo III. vixit, dicit *Epiſt. VI.* ſe à primordio Epiſcopatus ſui ſtatuiſſe, nihil ſine conſilio & conſenſu plebis privata ſua ſententia gerere, & *Epiſt. IX.* Pœnitentes juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ Exomologeſin venire, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, jus communicationis accipere, & *Epiſt. XXVIII.* dicit: Negotia Eccleſiæ tractanda eſſe, & limandam plenius rationem, nontantum cum Collegio, ſed & cum plebe univerſa, expenſa enim moderatione librandam & pronuntiandam rem eſſe, quæ in poſterum circa Miniſtros Eccleſiæ ſtatuat exemplum; Ipſe etiam CYPRIANUS alibi provocat ad Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem: unde patet omnem actum, nontantum per Eccleſiæ Præpoſitos, ſed & per univerſam Eccleſiam gubernatum fuiſſe.

§. CX.

Tempus huic pœnitentiæ Miniſterio, ut TERTULLIANUS loquitur, varium fuit aſſignatum. *Concil. Angyr.* Sec. IV. habitum c. 4. Lapſos inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, & in Oratione communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam pervenire debere decrevit. Quan-

§. CXI.

Quandoque autem imminutus est disciplinæ rigor, & facta INDULGENTIA, idque propter varias causas 1. ex causa morbi, infirmitatis, mortis instantis.

§. CXII.

2. Ex causa desperationis, quando nempe incidebant in summas Diaboli tentationes.

§. CXIII.

3. Ex privilegio Martyrum, sive Confessorum, in carceribus agentium, à quibus efflagitabant pacis Libellos; ad quorum intercessionem pœnitentibus pax dabatur, rigor pœnæ Canonicæ condonabatur, & cum Ecclesia reconciliabantur: Ut ex TERTULL. *ad Martyr.* passim videre est; sed mirum deinceps horum Libellorum abusum fuisse videre est apud CYPRIANUM *Epist. XXIX. XXX.*

§. CXIV.

4. Etiam alii de Ecclesia bene meriti aliquando fuere admissi ad impetrandam pro amicis absolutionem, vicem etiam eorum subeundo, præstantes aliquod pœnitentiæ opus; Qui autem Errores ex hisce successu temporis enati sint, nunc indagabimus: Ut & quomodo ad hypothesin primariam suffulciendam faciant.

§. CXV.

Sic nimirum se habuit Ecclesia sub persecutionibus & Magistratibus Ethnicis; sed longe alia fuit rerum facies sub Imperatoribus Christianis, tunc enim jamjam Clerici supra Laicos sese efferre incipiebant; Unde AMBROSIUS (sive HI-

LARIUS Diaconus) in Locum 1. Tim. V. 14. 17. queritur: *Et Synagoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine Consilio nihil agebatur in Ecclesia, quod, qua negligentia obsoleverit, nescio: forte Doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli aliquid volunt videri.* Et HIERONYMUS in verba Matth. XVIII. *Dic Ecclesiæ. Istum locum Presbyteri & Episcopi intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur. Legimus etiam in Levit. de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus, quomodo leprosus ibi immundus vel mundus fit, sic ligat vel solvit Episcopus & Presbyter.*

§. CXVI.

Et ita *confessio* peccatorum *publica* mutata fuit in *privatam*; unde in Ecclesia Constantinopolitana constitutus fuit *Pœnitentiarius*, postea tamen abrogatus, ut legere est apud SOCRAT. H. E. Lib. 4. c. 19. p. m. 308. SOZOM. L. 7. 16. p. m. 542. *Pœnitentiarii munus erat audire confessionem criminum & peccatorum gravium, ad quæ tum temporis adstricta erat confessio.* Obsolevit tamen deinceps confessio una cum Pœnitentiariis in Ecclesiis Orientalibus.

§. CXVII.

Sed contra in Ecclesiam latinam fuit introducta, in qua sic crevit Confessio, ut omnibus Sacerdotibus potestas confessiones audiendi daretur; Unde CONFESSIO AURICULARIS enata, quam Pontificii nunc tanquam ad Salutem necessarium quid considerant; Quæ quare postea in Sacramentorum numerum relata sit, & quomodo Hierarchiæ Papali inserviat jam (§. 73.) ostendimus.

Sed

§. CXVIII.

Sed nontantum in hocce pœnitentiæ gradu à primitivo more aberratum fuit, sed disciplina hæc ad cujusvis lapsus & peccati genera fuit applicata. Opera Pœnitentiæ ficta sunt plurima, & subsequentibus ignorantiæ seculis satisfactio hæcce Canonica non amplius ut talis considerata fuit; nempe quod locum solummodo habeat in foro Ecclesiæ, respiciens Disciplinam Ecclesiasticam, commissum tantum scandalum, non ipsum peccatum tollens; sed opera hæcce pœnitentialia, magno rei Christianæ detrimento, habita fuerunt pro satisfactoriis etiam in foro divino, quibus justitiæ divinæ satisfieret, remissioque peccatorum ex merito impetraretur.

§. CXIX.

Inde *de bonorum Operum meritis*, justificationisque propter justitiam inhærentem nata est opinio. Hinc est, quod putent Pontificii, uti etiam Tridentina Synodus decrevit: Opera bona *vere mereri* vitam æternam, & ipsius quoque vitæ æternæ consecutionem & Gloriæ augmentum. BELLARMINUS ait: *Vitam æternam tum quoad primum gradum, tum quoad cæteros, reddi bonis meritis filiorum Dei.* Id quod tamen dependenter à Pontifice fit (§. 12. & 13.).

§. CXX.

Ex imperita porro hacce operum sive castigationum pœnitentialium, (quibus, ex ritu veteris Disciplinæ, Ecclesiæ satisfit), confusione cum pœnis satisfactoriis justitiæ divinæ persolvendis, nata est opinio: Justificato secundum Oeconomiam Gratiæ condonari solummodo peccati

culpam, quæ dicitur, & pœnam exitii æterni; eo sensu, ut ipsis adhuc pro pœna temporali omnium peccatorum post Baptismum commissorum, per opera aut castigationes pœnitentiales, *à Sacrificulis præscriptas* justitiæ divinæ in hac vita satisfaciendum sit. Quæ Doctrina sedi Romanæ stabiliendæ multum confert (§. 74.).

§. CXXI.

Id autem si quis in hac vita præstare neglexerit, nolunt tamen eum exitio æterno adjudicare, sed neglectum resarciri post hanc vitam posse statuunt, inde huic Errori Dogma quoddam Platonicum *de Purgatorio* accommodarunt, de quo ita BELLARMINUS: *Constituunt Scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, sive unum in quatuor partes divisum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine Baptismo abeuntibus, quartum pro justis qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet.* Lib. II. *De Purgat.* cap. 6.

§. CXXII.

Patres priorum seculorum illud ignorant, neque ulla ejus mentio à veteribus facta, sed primum tempore Gregorii I. in Ecclesia Christiana hic error suscitatus, à Beda in occidente propagatus, temporum ignorantia nutritus servatusque, & à Concilio Florent. A. C. 1439. dedicatus fuit. Purgatorio autem pro fundamento substernunt errorem de remissione culpæ, non omni condonata pœna, uti vidimus, de peccatis aliis mortalibus, aliis venialibus, de restricta Christi satisfactione ad mortalia tantum.

BEL-

BELLARMINUS ad illud probandum Ethnicos in testimonium advocat, PLATONEM *in Gorgia & Phædone*, CICERONEM *in Somnio Scipionis*, & VIRG. *Æneid.* Lib. VI.

§. CXXIII.

Inde orta suffragia, orationes, opera pœnalia viventium, Missæ quibus defuncti juventur, Indulgentiæ Papales, quibus pœnæ & dolores mitigentur: Sed revera purgatorium Clericorum & Monachorum Aurifodina est, & sedis Romanæ non minimum fulcrum.

§. CXXIV.

Cum autem hoc de satisfactione dogma cum perfecta Christi Satisfactione conciliare non possent; hinc opus Salutis inter hominem & Christum partiti sunt, & ideo distinxerunt Lytrum Christi in *sufficientiæ & efficaciæ*. Peccata in mortalia & venialia, antebaptismalia & post baptismum commissa; contendentes Christum quidem lytrum sufficiens persolvisse, Deum autem non velle ejus applicationem, nisi pro peccatis mortalibus, & antebaptismalibus, pro reliquis ipsi homini satisfaciendum esse.

§. CXXV.

Natum hinc aliud dogma *de applicatione meriti Christi per baptismum*, ejusque efficacia; quia nimirum putant, Christi meritum tantummodo pro peccatis ante Baptismum commissis applicari; hinc ejus applicationem adscribunt Baptismo, quando statuunt: Hominem per Baptismum, uti sub V. T. *ex opere operantis*, ita sub N. T. ex *opere operato* justificari, quæ est justificatio prima; ut adeo Baptismus sit vehiculum gratiæ physicum, non morale.

§. CXXVI.

Inde orta est opinio *de absoluta Baptismi necessitate*, quare ab una parte in casu extremæ necessitatis, si fatum urgeat, ipsis etiam Laicis & Mulieribus Baptismum administrare concedunt: Ab altera parte statuunt; omnes quotquot absque Baptismo decedunt, etiam infantes, absolute esse damnandos, & non sola cœlesti, sed & naturali beatitudine carituros; quia absque eo gratia nec remissionis peccatorum nec veræ regenerationis, cuiquam conferatur.

§. CXXVII.

Cum autem negotium salutis inter Christum & hominem partiantur, hinc ipsis etiam necessario tota de fide atque justificatione sana doctrina fuit immutanda & pervertenda; Cum enim per Baptismum meritum Christi homini applicari putent; hinc perhibent hominem eo sensu dici in S. S. ex fide & per fidem justificari, quatenus per fidem ad justificationem h. e. gratiam habitualem illi in Baptismo infundendam prævie præparetur & disponatur, sive justificationem primam fieri per remissionem peccatorum in Baptismo, per novi habitus infusionem, cujus initium sit fides, quo habitu si quis per liberum arbitrium recte utatur, & bona opera præstet, acquiri meritum vitæ æternæ, quæ sit justificatio secunda; hominem quidem, ante conversionem & justificationem primam, opera facere meritoria ex congruo, postea meritoria ex condigno.

§. CXXVIII.

Quia justificationem per infusionem novi habitus considerant; hinc est, quod phrasim de imputa-

putatione justitiæ Christi, sive justificatione per imputatam Christi justitiam passim vel imperite, vel maligne traducant.

§. CXXIX.

Supra vidimus (§. 118.), ipsos statuere opera justorum vere & proprie esse meritoria vitæ æternæ; cum vero ad vitam æternam consequendam perfecta requiratur legis divinæ servatio; hinc est quod hominem in hac vita legem Dei perfecte & absolute implere posse statuunt.

§. CXXX.

Etsi vero putent, justificationem ex operibus atque inde legis impletionem regenitis non impossibilem, negare tamen non audent, in regenitis ipsis remanere concupiscentiam aliquam mali; inde est quod negant, ne legis servationem impossibilem faciant, *concupiscentiam*, sive *motus primo primos per se & ex natura sua*, quales inveniuntur etiam in Baptizatis & justificatis, *esse proprie peccatum:* Unde Concilium Tridentinum Sess. V. 5. inquit. *Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, Anathema sit.*

§. CXXXI.

Ex hisce nunc omnibus facile patet, ipsis cum Pelagianis statuendum fuisse; *Liberum ad bonum Arbitrium*, in iis quæ ad pietatem pertinent, in homine adhuc post Adami lapsum supereſſe; unde dicunt: illud Adami lapsu solummodo læsum

fuisse, non exstinctum, viresque nonnullas etiam in natura corrupta remansisse, sed sopitas & semimortuas. BELLARM. *Controv.* Lib. V. cap. 13. *de Gr. & Lib. Arb.* pag. 803.

§. CXXXII.

Ut autem negare possint hominis ad bonum vires per lapsum esse exstinctas, & tantam per illum in homine factam fuisse mutationem ratione virium naturalium, etiam negant justitiam illam primo homini fuisse naturalem, sed imaginem Dei in facultatibus animæ tantum constitisse perhibent, & nonnisi supernaturale ei ademtum fuisse donum, relictis omnibus naturalibus, hominem creatum fuisse in puris naturalibus; ignorantiam atque inclinationem ad vitia vocant languores ac morbos; Justitiam autem originalem supperadditam esse tanquam donum supernaturale, atque frænum aliquod aureum, quod carnis lasciviam comprimeret, sceleratos animi motus cohiberet, & omnes tum animi, cum corporis partes in obsequio teneret; jam vero quia supernaturali hoc dono spoliati simus, carnem, equi ad instar, sine fræno, ferocibus capi cupiditatibus.

§. CXXXIII.

Cum ergo statuunt liberum ad bonum Arbitrium (§. 130.), dum ita Concilium Tridentinum de hac re pronuntiat: *Si quis liberum hominis Arbitrium post Adæ lapsum amissum & exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum Anathema sit:* Hinc est, quod etiam negant, gratiæ efficaciam consistere in actione Dei physica, quæ determinet

net voluntatem ad volendum, vel eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inſpiratum; ſed in interna ſuaſione, quæ quidem per liberum Arbitrium reſpui, ſed tamen infallibilem effectum habere poſſit, quia Deus talem adhibeat ſuaſionem, quam videat congruere ingenio convertendorum, & quam certo norit ab illis non iri contemtum. Vide BELLARM. *de Lib. Arb. & Gr.*

§. CXXXIV.

Etſi vero hominis viribus nimium tribuant, negare tamen non audent eum peccati laqueis eſſe adeo implicitum, ut deſtitutus divino auxilio iis ſe expedire non valeat; quare etiam aliquid Gratiæ divinæ tribuendum erat. Sententiam Pontificiam de hac re nobis exponit ANDRADIUS, qui Concilii Tridentini haud exigua pars fuit, quando fatetur: Liberum Arbitrium ſine inſpiratione & auxilio ſpiritus non poſſe efficere ſpirituales actiones, id vero non fieri ac ſi mens ac facultas, qualis eſt in homine ex prima nativitate, ante converſionem prorſus non habeat ullam potentiam, vires & facultates ad inchoandas & efficiendas ſpirituales actiones; ſed ideo, quia naturales illæ vires & facultates, licet nec deletæ nec exſtinctæ, adeo tamen peccatorum laqueis implicatæ ſint, ut homo non poſſit ſe propria virtute ab illis explicare, (rem ſimilitudine ægroti declarat) cujus vires morbo fractæ & debilitatæ ſunt, ubi Medicus vires adhuc reliquas licet attenuatas, confirmat & roborat &, ſi quæ amiſſæ, reſtituit.

§. CXXXV.

Cum itaque hominem actionum suarum bonarum principium faciunt, Deum vero tantummodo tanquam ejus adjutorem considerant: Hinc cum Pelagianis etiam *de Prædestinatione* male sentiunt: Nam præsertim Scotistæ, Franciscani & Jesuitæ cum Arminianis paria faciunt, nisi quod loco fidei perseverantis, *electionis caussam bona* substituant *Opera*, destinationem ad Salutem cum Pelagio è prævisione digni usus liberi arbitrii & bonis operibus derivantes: dissentiunt tamen Thomistæ & Bellarminus, qui diserte negat: ullam posse Prædestinationis divinæ à parte nostri caussam assignari. Lib. II. de Gr. & Lib. Arb. Cap. IX. pag. 608. quamvis etiam hac in parte parum sibi constet.

§. CXXXVI.

Hi sunt errores, qui ex male intellecta *satisfactione canonica* in disciplina veterum orti sunt. Monuimus insuper, excommunicatis, & præcipue thurificatis aliquando impositum fuisse, ut supra Martyrum sepulchra majorem in persecutionibus tolerandis constantiam orarent, eoque testatum darent, se instar hujus vel illius Martyris ad mortem pro nomine Jesu subeundam paratissimum habere animum.

§. CXXXVII.

Innocua hæc consuetudo deinceps Originem dedit *a*. Peregrinationibus religiosis ad loca sacra adorandi caussa institutis; quæ ad augendas divitias Ecclesiasticas multum contribuunt & rei Pontificiæ perutiles sunt.

Ea

§. CXXXVIII.

Ex quo porro more, atque nimia veneratione, creditaque ad tumulos præsentia sanctorum, etiam orta videtur eorum *Invocatio*. Quem deinde errorem multum foverunt Apostrophæ Oratoriæ Basilii, Nysseni, Nazianzeni, &c. qui cum essent oratores summi, variis figuris rhetoricis usi, defunctos Martyres mox alloquebantur tanquam præsentes, mox suffragia eorum petebant.

§. CXXXIX.

Uti autem Satisfactio relata fuit ad forum divinum, ita etiam ABSOLUTIONIS notio fuit corrupta, per quam peccator pœnitens olim reconciliabatur Ecclesiæ; cum pedetentim in remissionem peccatorum & absolutionem, in foro divino perversa est.

§. CXL.

Hæc absolutio ab initio sacerdotum precibus certis formulis fiebat, docente GREG. I. Lib. XII. Ep. 32. *Peccatores precibus Sacerdotum Ecclesiæ Catholicæ reconciliari.* Multis etiam seculis absolutionem verbis precativis fuisse factam probat, tum manuum impositio usitata: *Quid enim est impositio manuum nisi oratio super hominem*, inquit AUGUSTINUS *de unico Bapt.* Lib. III. Cap. 30. tum Officium Rom. quod in Bibliotheca Patrum habemus, quale Caroli M. & Ludovici Pii tempore in usu fuit; ubi formula non judiciaria, sed precativa hisce extat verbis. *Deus dimittat tibi omnia peccata tua, & liberet te ab omni malo.*

§. CXLI.

In Concilio deinceps Lateranensi, An. 1215. habi-

habito, potestas Ministrorum judicativa, multis licet contradicentibus, orbi Christiano fuit obtrusa, atque in Concilio Trid. confirmata; Ita enim habent ejus verba Sess. XIV. can. 6. *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel remissa esse peccata declarandi; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut judice sententia pronunciatur*, & Can. 9. *de Pœnit. Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, anathema sit.*

§. CXLII.

Quantum autem hæc doctrina Dominationis Pontificiæ sit fulcrum ex (§. 76.) apparet.

§. CXLIII.

Miror tamen quod contendant, in absolutione Sacerdotali utendum forma judicativa, & tamen in ultimo suo extremæ unctionis Sacramento, ubi inprimis sententia definitiva opus esset, antiquam formulam precativam retineant.

§. CXLIV.

Aliquando in Ecclesia veteri disciplinæ rigorem remissum fuisse diximus facta *Indulgentia* (qua sensim ad Indulgentias Papales via fuit munita) ad *intercessionem* alicujus Martyris sive Confessoris; Qui, sicuti tunc temporis pro Mediatoribus respectu Ecclesiæ & Disciplinæ fuerunt admissi, ita sequentibus temporibus, uti omnes Martyres, ita omnes de Ecclesia bene meriti, nontantum vivi, sed & mortui, pro Mediatoribus etiam apud Deum fuerunt habiti.

Nata

§. CXLV.

Nata inde temeraria distinctio inter *Mediatorem Redemtionis & Intercessionis*, *Primarium & Secundarium*, *Excellentiorem & participationis*; Vide BELLARM. L. I. *de Sanctor. Beatit.* Cap. XX. Tom. II. operum pag. 2056.

§. CXLVI.

In præsidium autem hujus erroris, & ut facilius efficiant, merum hominem posse esse Mediatorem, docent: Christum non esse Mediatorem, nisi secundum naturam humanam, uti THOMAS concludit Part. III. q. 26. art. 2. dicens: *Cum Christus, secundum quod Deus, nullo modo à Deo ipso distet, nec quippiam alteri non suum deferat, nullo pacto convenit Christo esse Mediatorem, in quantum Deus est, sed in quantum homo.*

§. CXLVII.

Cum autem Christus secundum naturam humanam in V. T. non extitit, & per consequens Mediatoris munere fungi nondum potuit, adeoque Patribus V. T. Mediator defuit: Hinc est, quod negent: Patres ante adventum Messiæ fatis functos in Gloriam cœlestem fuisse assumtos, quin ipsos post mortem in locum tertium, quem Limbum Patrum appellant, perveniisse perhibent.

§. CXLVIII.

Unde ille error est natus, quod Christi anima à corpore separata descenderit ad inferos, hoc est, ad inferiores partes terræ, ut animas Patrum Oeconomiæ Veteris, in Limbo infernali loco proximo hærentes inde liberaret & educeret.

Cum

§. CXLIX.

Cum porro aliquando ex disciplina veterum aliqui excommunicati propter intercessiones Martyrum, vel aliorum de Ecclesia bene meritorum, in Ecclesiam iterum fuere recepti, & unus pro altero ad absolutionem impetrandam fuit admissus, imo unus pro altero pœnitentiæ opera præstando, subinde in foro Ecclesiastico potuit satisfacere; inde corrupta satisfactionis significatione, natus est error de *Operibus supererogatoriis*, quatenus id quod alter præstitit in alterius rationes referri potest.

§. CL.

Inde est, quod statuant: Pœnæ temporariæ, in quam post Baptismum, peccantes incurrunt, remissionem impetrari posse, nontantum per satisfactiones proprias, sed & alienas, h. e. opera pietatis meritoria sive pœnitentias, in alterius gratiam susceptas, ut sunt Eleemosynæ, peregrinationes, Missæ &c.

§. CLI.

Et dari publicum aliquem Ecclesiæ thesaurum, qui constet nontantum meritis Christi, sed & meritis operum supererogatoriorum sanctorum hominum, ex quo à Pontifice Romano, aut sacrificulis ad Papæ præscriptum, dispensari queant indulgentiæ sive remissiones: quod quomodo Hierarchiæ Pontificiæ inserviat indicavimus (§. 77. 78.).

§. CLII.

Ut autem aliquis opus supererogatorium præstare possit, opus est ut aliquid supra id, quod lex Dei postulat, facere possit, ad quod ergo per eam

eam non est adstrictus ; Hinc statuunt, præter communem perfectionem lege Christi & Apostolorum præceptam, ad quam eniti omnes Christiani tenentur, aliquem majorem & gloriosiorem dari perfectionis Christianæ gradum sive statum, quam Evangelicam vulgo perfectionem vocant.

§. CLIII.

Hinc est, quod præter legem Christi & Apostolorum fingant duodecim consilia, quæ consiederant non tanquam mandata, ad quæ homo obligatus sit, sed tantum tanquam consilia, quæ facere vel omittere in libera hominis potestate situm sit.

§. CLIV.

Hæc autem illa sunt α. *Abnegatio sui* Matth. XVI. 24. β. *Castitas* Matth. XIX. 12. γ. *Paupertas voluntaria* Matth. XIX. 21. δ. *Juramenti intermissio* Matth. V. 34. ε. *Vindictæ intermissio* Matth. V. 39. ϛ. *Injuriarum Patientia* Luc. VI. 20. ζ. *Eleemosynæ erogatio* Luc. VI. 30. η. *Intentio bonis operibus recte formandis* Matth. VI. I. ϑ. *Sollicitudo victus ex animo ejicienda* Matth. VI. 31. ι. *Occasio peccandi vitanda* Matth. XVIII. 9. ια. *Correctio fraterna* Matth. XVIII. 15. ιβ. *Factorum cum Doctrina convenientia ;* Matth. XXIII. 3.

§. CLV.

Solent vulgo Pontificii ad tria præcipua & substantialia ista revocare perfectionis Consilia ; scil : ad *Voluntariam paupertatem*, sive abstinentiam, *cœlibatum perpetuum*, & *obedientiam cœcam erga superiorem*, Abbatem, aut spiritualis vitæ directorem;

Hinc

§. CLVI.

Hinc est, quod eos, qui se huic Vitæ statui addixerunt, cæteris communis Ordinis Christianis habeant sanctiores: illisque tantam inesse virtutis excellentiam rentur, ut ea non solum Deo pro se satisfacere, verum etiam de abundantia aliis largiri, & miserorum Laicorum crimina, operibus supererogatoriis expiare queant.

SECTIO III.

De Erroribus, qui circa Cultum publicum committuntur.

§. CLVII.

Occasionem errorum, qui à Pontificiis circa cultum divinum committuntur, esse diximus, *studium perversum retinendi ritus paganorum, eosque hac ratione alliciendi ad Christianismum.*

§. CLVIII.

Ex quo enim per Constantinum M. ejusque successores effectum est, ut professio Religionis Christianæ non tuta tantum, sed & honorata esset, Gentilismus contra proscriptus, per edicta imperatoria, Templa Gentilium in Urbibus clausa, sacrificia abolita, superstitio pagana cessare jussa, & in pagis & vicis tantum, ubi templa aliquamdiu patuere, permissa.

§. CLIX.

Hinc factum est, ut Mundus velut intrusus fuerit in Ecclesiam, & plurimi animo minus Christiano Christianam profiterentur Religionem.

Quam

§. CLX.

Quam difficile autem sit abstrahi ab opinionibus & ritibus inde ab infantia conceptis & assuetis, nemini non notum est, quo factum est, ut plurimi, etsi nomen Christo dedissent, superstitiones tamen & ritus suos retinerent, consuetudinibusque gentilium dediti essent.

§. CLXI.

Hoc cum observaretur consultum ductum fuit, consentiente in id ex rationibus politicis Constantino M., quo gentiles confluentes ad Ecclesias assuetos externæ templorum ac ceremoniarum pompæ, & pridem cavillantes Christianorum paupertatem & simplicitatem, eo facilius lucrifacerent, eorum genio in hujusmodi rebus aliquid concedere, ritusque in cultu publico gentilium haud absimiles introducere; ex quarum plurimarum superstitionum admixtione fœdissima tandem Idololatria enata est.

§. CLXII.

Institutum hoc etiam Seculo VI. secutus dicitur Gregorius M. Romanus Episcopus; Is zelo conversionis Anglorum, qui magnam partem Gentilismo adhuc erant addicti, incensus, Augustinum quendam, Benedictini ordinis Monachum, cum Sociis in Insulam misit; ut autem inceptum opus eo felicius succederet, Gregorius huic Legato suo scripto mandasse fertur, ut Templa, Altaria, & Cerimonias Gentiles non abrogaret, sed in hac re eorum genio sese accommodaret.

§. CLXIII.

Ex hoc autem Constantini M. Christianorumque instituto factum, ut ab initio jam Seculi IV.

rituum & Ceremoniarum apparatus mire fuerit auctus, sed magis adhuc sequente ætate, cum nontantum paganæ superstitionis tenaces Gentes plurimæ permixtæ essent Christianis, sed & à Juliano Apostata Gentilismo restituto, Paganis templa, sacrificia, & omnia Sacra reddita essent, atque successores Juliani superstitionibus hisce conniverent. Quo factum, ut Cultus ille Paganus fuerit introductus; præcipue cum in multis luxui, ambitioni, avaritiæque Cleri Romani inserviret.

§. CLXIV.

Quantum autem ad Cultum illum novum, quia α. Gentiles delectabantur Templis magnificis atque ornatis; hinc illis aliquid gratificare volentes, ad eorum imitationem templa exstruebant ornatiora, quorum celeberrimum fuit Hierosolymitanum illud, in loco sepulchri Dominici ædificatum, quod *peregrinationibus religionis ergo* susceptis mox occasionem dedit; uti etiam Gentilibus in more positum fuit, ut ad templa celebriora, Ephesum, Delphos &c. proficiscerentur.

§. CLXV.

Accessit deinde *Dedicatio*, more, magis ac magis aucta superstitione, à Gentilibus mutuato; inde *aspersio aquæ lustralis* variæque Ceremoniæ. Forma Templorum situsque etiam à Gentilibus fuerunt transsumta: Romani nimirum templa sua dividebant in Vestibulum, Porticus, Basilicam & Cellam Sanctiorem, quam divisionem Christiani imitantes, etiam templa quatuor partibus constantia struxerunt, quæ erant Ἔμβολος: Πρόναος sive Παρθηξ: Ναος: & Βημα sive ἱερατειον, quam partem Latini

Latini *Chorum* postea appellarunt, isque ex more gentili Orientem versus semper spectabat.

§. CLXVI.

Uti autem Gentiles templa sua certis Diis *dicabant*, Jovi, Dianæ, Junoni, Herculi &c. ita præcipue tempore Gregorii M., crescente superstitione, Christiano-pagani templa sua Mariæ, aliisque divis Jacobo, Petro, Paulo, Martyribus dedicare incipiebant.

§. CLXVII.

β. Gentiles in Templis varia habebant Altaria, quorum unum vocabant *Aram maximam*. Ita Christiani, jam Constantini temporibus, in Gratiam Gentilium, mensam Donorum celebrationi Eucharistiæ destinatam *Altare* vocabant; aucto deinde altarium numero, unum etiam à cæteris distinguebatur, quod Germani vocant, der Fron-Altar.

§. CLXVIII.

Etiam Eucharistiæ vocem mutarunt in Sacrificium, addito deinde etiam Missæ vocabulo, quo Gentiles post peracta Isidis sacrificia utebantur, quando dicebant λαοις ἀφεσις, Romani, *ite missio est*; Unde in Ecclesia Catechumenis ante Eucharistiæ celebrationem barbare dicebant: *ite Missa est*; Hinc teste POLYDORO VIRGILIO vocis *Missæ* non Nomen tantum, sed & res à Gentilibus mutuata.

§. CLXIX.

Inde ortum trahit *Sacrificium incruentum*, Panificia, oblata Molis similia, quas gentiles idolis suis immolabant; imo tota illa mimica atque

theatralis repræsentatio, varii illi gestus ante altare mox dextrorsum, mox siniſtrorsum &c. quæ nunc maximam Cultus Romanensis partem efficiunt, à Gentilibus in Christianismum fuerunt introducta.

§. CLXX.

Ita more Gentili etiam *Vestes Sacras* mutarunt in *Albas* & *Auro intertextas*, qui Sacerdotum Gentilium Ornatus erat: Albis quidem vestibus Clerici jam Clementis Alex. tempore distingui cœperunt, ut videre est in ejus *Pædagogo* Lib. II. Cap. 10. & Lib. III. Cap. 11. verum præcipue Constantini M. ævo illis major accessit ornatus, de ipso enim Constantino legimus, illum Macario Episcopo Hierosolymitano vestem sacram auro contextam donasse, qua indutus sacra perageret.

§. CLXXI.

In gratiam porro Gentilium in templis toleratæ fuerunt *imagines*, quas tribus prioribus seculis nullas habuit Ecclesia, Seculo enim demum IV. introduci cœperunt, ad usum tamen innocuum, minime ad Cultum Religiosum, Seculo IV. in Synodo Eliberitana hoc Canone rejectæ: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus pingatur.*

§. CLXXII.

Nimia deinde cum veneratione à Populo honorari incœperunt Seculo V. Gregorius I. deinde, qui magno Gentiles convertendi zelo fuit incensus, tuebatur eas in Ecclesia habendas, non tamen adorandas, uti patet ex *Epistola ad Severum Episcopum Massil*: exarata, qui imagines omnes frangi jusserat. Sed

§. CLXXIII.

Sed uti ad deteriora semper ulterior fuit prolapsus, ita demum Seculo VIII. disputatio de imaginum cultu & usu in nervum erupit; Unde seculum Iconoclasticum appellatur. Disceptatum nimirum usque ad annum 787, quo sub Irene Imperatrice Concilium Nicænum II fuit indictum, in quo *Cultus imaginum* sancitus, & iis decretus honor salutationis, osculi, adorationis, incensorum, Cereorum &c.

§. CLXXIV.

Controversia autem de Imaginibus aliam *de Eucharistia* progenuit, dum enim spiritualis cultus evanuit & vis fidei est emortua, carnalis opinio de S. Cœna radices agere potuit.

§. CLXXV.

Voluere nimirum Christum quasi præsentem habere in Cœna magis, quam in imaginibus, quæ necdum sufficiebant.

§. CLXXVI.

Controversia agitari cœpta statim ab initio Seculi VIII. & cardo quæstionis hic erat, an in S. Cœna Corpus Christi dicatur esse *sub figura* i. e. Sacramentaliter in signo, an *ipsum Corpus* nude, proprie, vere, substantialiter?

§. CLXXVII.

Paschasius deinde *Radbertus* circa Annum 822. de Corpore & Sanguine Domini librum scripsit, in quo defendit: Substantiam panis & vini post consecrationem esse, fieri, sive mutari in veram Carnem & verum Sanguinem Christi. Controversia diu agitata, in Synodo Romana VI. sub

Gregorio VII. anno 1079. concluſum fuit; Converti ſubſtantialiter panem in Corpus Chriſti & vinum in ejus Sanguinem : & Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Anno 1215. poſita aperte TRANSSUBSTANTIATIO. Craſſæ propterea & damnabilis Idololatriæ ſe reos faciunt, quando panem miſſaticum, quem in ipſum Chriſtum converſum eſſe ſibi perſuadent, eodem geſtu & ritu adorationis in publicis & quotidianis Sacris proſequuntur, quo ipſum proſequerentur Chriſtum, ſi præſens in his terris adeſſet.

§. CLXXVIII.

Gentiles porro Chriſtianis permixti, vel etiam nomen ore Chriſto dantes, *diebus feſtis* ſuis otiati ſunt, recenſueruntque heroica geſta Deorum ſuorum: Chriſtiani, ut genio illorum in hac re indulgerent, illosque à ludis ſuis Bacchicis avocarent, iisdem quos Gentiles Diis ſuis conſecraverant diebus, Eccleſiam convocarunt, atque in templis loco geſtorum Deorum Gentilium, Martyrum ſuorum recoluerunt memoriam, iisque certos dedicaverunt dies.

§. CLXXIX.

Et uti Gentiles ſua habuerunt Februa, Vinalia, Rubigalia, Ambarvalia, ita pedetentim alia horum loco in Eccleſia inſtituta ſunt feſta, quorum numerus, præcipue cum avaritiæ Sacerdotum inſerviret, & Hierarchiæ prodeſſet, multum fuit auctus. Inter quæ & illa, quæ celebrarunt Gentiles, facilis eſſet comparatio, ſi id brevitas, cui ſtudemus, permitteret.

Per

§. CLXXX.

Per ἀποθεωσιν quoque Martyres suos assimilarunt Gentilium heroibus, & ad imitationem eorum Divos fecere, Divasque: PLINIUS Lib. II. *Hist. Nat.* Cap. VII. de Romanis ait: *Hic est vetustissimus referendi bene merentibus Gratiam mos, ut tales Numinibus adscribant:*

§. CLXXXI.

Nec discedit ab eo TULLIUS Lib. II. de *Nat. Deorum* Cap. 24. *Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes Viros in Cœlum fama ac Voluntate tollerent, hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius &c.*

§. CLXXXII.

Inde est, quod & Christiani, ut etiam hac in re Gentilibus similes fierent, per Canonisationem (ut barbare vocant) in Divorum numerum Sanctos suos reposuere, quibus nonnulla negotia curandą à Deo commissa voluere, inde Patroni Negotiorum, Regionum & Urbium præsides, &c.

§. CLXXXIII.

Ita porro Dogma Veterum Platonicorum Angelos colentium, uti videre est apud PLATONEM *in Convivio*, Canone 35 Synodi Laodicenæ Anno 360. vel aliquanto serius damnatum, damnabili instituto, in usum iterum reduxerunt.

§. CLXXXIV.

Hinc conficta Angelorum Hierarchia & Classes. Et uti Gentiles olim Genium, ita Papales unicuique hominum suum attribuunt Angelum

tutelarem, non singulis solum hominibus singulos, sed toti insuper Mundo septem, universæ autem Ecclesiæ unum præficiunt; certis denique Regnis & provinciis certos præesse Angelos credunt.

§. CLXXXV.

Inde est, quod uti sanctis, ita etiam Angelis divinum exhibent Cultum, illosque invocant, ut eorum apud Deum impetrent intercessionem, illorumque auxilium in rebus dubiis consequantur; Concedunt tamen, soli summo Deo summum Cultus divini Gradum, quem λατρειαν vocant, esse deferendum; Mariam autem *Hyperduliæ*, Angelos vero & Sanctos tantum *Duliæ* honore esse afficiendos.

§. CLXXXVI.

Quia tandem Gentiles Cultus Christiani simplicitatem cavillabantur; hinc rituum & ceremoniarum apparatus valde fuit auctus, unde jam Seculo IV. invaluit usus Thuribuli, cereorum & lampadum medio etiam die accensio.

§. CLXXXVII.

Hinc ornatus & tonsura Clericorum, in Baptismo cereorum accensio, salis in os Baptizatorum injectio; Hinc sequioribus temporibus ceremoniæ & res plures, quibus vim spiritualem adscribunt; Hinc Agni Dei, aqua lustralis, sonitus campanarum, Reliquiæ; Hinc processiones & pompæ, usus Organorum durante cultu divino, Battologiæ in precibus Rosaria &c. quarum rerum omnium peculiarem instituere collationem & convenientiam nimis prolixum foret.

Hæc

§. CLXXXVIII.

Hæc præcipua Theologiæ Pontificiæ dogmata sunt atque Ecclesiæ Romanæ ritus, ex omnibus nunc hisce placitis simul sumtis patet communem illam, quam posuimus, *hypothesin* illorum *primariam*, centrum atque animam totius Religionis ita dictæ Catholicæ esse, & ceu commune virus totam Theologiam pontificiam pervadere.

§. CLXXXIX.

Unde πρῶτον ψεῦδος illud nontantum multa erronea produxit dogmata, quæ Dominatum illum immediate stabiliunt, sed etiam omnia reliqua placita, alia ex occasione nata, ita infecit, ut quicquid in illis erronei est, ad communem illam hypothesin referendum sit, ut usibus illius inserviat.

§. CXC.

Et cum isti, de Ecclesiæ repræsentativæ Autoritate, dogmati reliqua omnia ceu fundamento sunt superstructa, hinc est quod pontificii etiam de Ecclesia disputare semper incipiant.

§. CXCI.

Hactenus Systema Religionis Pontificiæ tale exhibuimus, quale à Concilio Tridentino formatum fuit, atque à majori Ecclesiæ Romanæ parte recipitur; Superest ut breviter illud tradamus quale à BOSSUETO aliisque Doctrinæ illius Confessoribus creditur: Hic nimirum Eruditorum Ecclesiæ illius finis fuit, ut ostendant, differentiam inter Ecclesiam Protestantem & Romanam tantam non esse, ut priores sufficientem habuerint caussam, cur à posterioris Ecclesiæ

communione sese separaverint, siquidem in fundamentalibus omnia sarta maneant tectaque, & nonnisi in ritibus quibusdam externis iisque parvi momenti dissensus consistat.

§. CXCII.

Is etiam illorum Scopus esse videtur, ut Protestantes hac ratione ad communionem suam alliciant, iisque qui in Ecclesia Protestante nati & educati postea Doctrinæ Pontificiæ nomen dederunt, prætextum dent, quo sese excusent cur ad aliorum Castra transierint.

§. CXCIII.

SUPREMATUM PAPÆ, sive summum Conscientias in rebus credendis obligandi Jus atque Dominium, quod attinet; non negant potestatem illam Papæ Romano ceu Ecclesiæ Capiti competere, eamque ad unitatem fidei conservandam & ad Schismata atque sectas eliminandas quammaxime utilem & necessariam esse dicunt.

Ita nimirum Eruditissimus BOSSUETUS, *Expos. de la Doctrine Catholique* §. XXI. p. m. 139. 140. „Et certes, si les Auteurs de la Reformation pretendue eussent aimé l' unité, ils n' auroient ni aboli le gouvernement Episcopal, qui est établi par Jesus-Christ même, & que l'on voit en vigeur dès le tems des Apostres, ni mepriſé l'autorité de la Chaire de S. Pierre, qui a un fondament si certain dans l'Evangile, & une suite si évidente dans la tradition: mais plutost ils auroient conservé soigneusement l'autorité de l'Episcopat, qui établit l'unité dans les Eglises particulieres, ET LA PRIMAUTE DU SIEGE DE SAINT PIERRE, QUI EST LE CENTRE COMMUN DE TOUTE L' UNITE CATHOLIQUE."

Ad

§. CXCIV.

Ad quam sententiam tuendam sequentibus utuntur prætextibus. α. Quod Ecclesia sit, quasi Custos Canonis sive Librorum Canonicorum, cum illi concredita sint τα λογια του Θεου, Rom. III. 2. Rationem nimirum cur, Exempli caussa, Liber Ruth, Canticum Canticorum, Epistola ad Philemonem pro libris Canonicis recipiantur, aliam non esse quam perpetuam Ecclesiæ traditionem, adeoque *illius Autoritatem*; ex meris enim Characteribus intrinsecis divinis dignosci non posse num hi Libri etiam ad illorum numerum pertineant, qui Canonem efficiunt, nec ne? unde res hæc ad Ecclesiæ testimonium redeat.

Ita BOSSUETUS l. cit. §. XIX. „L'Eglise estant éta„blie de Dieu, pour estre Gardienne des Ecritures & „de la Tradition, nous recevons de sa main les Ecri„tures Canoniques; & quoi que disent nos Adver„saires, nous croyons que c'est principalement son „Autorité qui les determine à reverer comme des Li„vres divins le Cantique de Cantiques, qui a si peu de „marques sensibles d'inspiration prophetique. - - En„fin ce ne peut estre que par cette Autorité qu'ils „reçoivent tout le corps des Ecritures saintes, que „les Chrestiens écoutent comme divines avant même „que la lecture leur ait fait ressentir l'Esprit de Dieu „dans ces livres. - - C'est pourquoi l'Eglise profesSe „qu'elle ne dit rien d'elle-même, & qu'elle n'in„vente rien de nouveau dans la doctrine: elle ne fait „que suivre & declarer la revelation divine par la di„rection interieure du saint Esprit, qui lui est don„né pour Docteur.„

§. CXCV.

Alter prætextus est, quod Ecclesia nihil doceat & credere jubeat, nisi præeunte Spiritu S. quo Duce si Ecclesia agat homines non posse non

non obligari ad ea recipienda quæ Ecclesia præcipit.

Hoc modo sese explicat BOSSUETUS l. cit. p. 122. seq. „ Ainsi tant qu'il y aura des disputes qui partageront les fidelles, l'Eglise interposera son autorité, „& les Pasteurs assemblez diront après les Apostres, „*il a semblé bon au Saint Esprit & à nous* Act. XV. 38. „Et quand elle aura parlé, on enseignera à ses enfans „qu'ils ne doivent pas examiner de nouveau les Articles qui auront esté resolus, mais qu'ils doivent recevoir humblement ses decisions. En cela „on suivra l'exemple de Saint Paul & de Silas qui porterent aux Fideles ce premier jugement des Apostres, „& qui loin de leur permettre une nouvelle discussion de ce qu'on avoit décidé, *alloient par les villes, leur enseignant de garder les ordonnances des Apostres*, „Act. X. 4. C'est ainsi que les enfans de Dieu acquiescent au jugement de l'Eglise, croyant avoir entendu par sa bouche l'oracle du saint Esprit. „

§. CXCVI.

Tertius prætextus est, quod nos obligemur credere Ecclesiam aliquam veram, Sanctam, Christianam, Catholicam juxta Symbolum Apostolicum quod & nos cum Ecclesia Romana profitemur; si vero credimus Ecclesiam aliquam veram & sanctam esse, etiam tenemur credere ea vera esse quæ illa dicit; nam si illius Doctrinam & Fidei Dogmata, quæ credenda proponit pro falsis haberemus, simul negaremus Ecclesiam illam veram, sanctam & catholicam esse; Si vero Ecclesiam aliquam pro vera habemus illius etiam Doctrinam absque ullis dubitationis fluctibus recipiemus, eique nos submittemus, eoque ipso Ecclesiæ Autoritatem agnoscemus.

Quod BOSSUETUS *Expos. de la Doctrine de l'Eglise Cathol.* pag. 123. hoc modo exprimit, „ Et c'est à cau-

„ se

„se de cette créance, qu' après avoir dit dans le Sym-„bole, *Je croy au Saint Esprit*, nous ajoustons incon-„tinent après, *la sainte Eglise Catholique*: par ou nous „nous obligeons à reconnoitre une Verité infallible & „perpetuelle dans l'Eglise universelle, puisque cette „même Eglise, que nous croyons dans tous les tems, „cesseroit d'estre Eglise, si elle cessoit d'enseigner la „Verité revelée de Dieu. Ainsi ceux qui apprehen-„dent qu'elle n'abuse de son pouvoir pour etablir le „mensonge, n'ont pas de foy en celuy par qui elle est „gouvernée. „

§. CXCVII.

Quarto ita hoc de Ecclesiæ Autoritate Dogma excusant, quod Ecclesia non propria Autoritate, nullo ad Verbum Dei Traditionesque respectu habito, res credendas præscribat; & illam ipsam Verbo divino sive scripto sive tradito sese submittere asserunt; unde dici minime possit Ecclesiam independentem sibi ac illimitatam potestatem arrogare in præscribenda credendorum norma; sed nonnisi ea illam præcipere ajunt, quæ ipsamet à Deo acceperit.

„Et quand nos adversaires, *inquit* BOSSUETUS, vou-„droient regarder les choses d'une façon plus humai-„ne, ils seroient obligez d'avouer que l'Eglise Catho-„lique, loin de se vouloir rendre maitresse de sa foy, „comme ils l'en ont accusée, a fait aucontraire tout „ce qu'elle a pû pour se lier elle-même, & pour „s'oster tous les moyens d' innover: puisque non seu-„lement elle se soumet à l'Ecriture Sainte; mais que „pour bannir à jamais les interpretations arbitraires, „qui font passer les pensées des hommes pour l'Ecri-„ture, elle s'est obligée de l'entendre en ce qui re-„garde la foy & les mœurs, suivant le sens des saints „Peres, dont elle professe ne se departir jamais, de-„clarant par tous ses Conciles & par toutes les pro-„fessions de Foy qu'elle a publiées, qu'elle ne re-„çoit aucun dogme, qui ne soit conforme à la tra-„dition de tous les Siecles precedens „

Quinto

§. CXCVIII.

Quinto denique perhibent, & ipsos Protestantes, sive vocentur Reformati sive Augustani Confessores, in controversiis componendis, in fidei Formulis condendis & vero Scripturæ sensu determinando non minus ac Pontificios ad Ecclesiæ Autoritatem confugere; adeo ut contra eas quas Ecclesia condidit confessiones nullus Doctor aliquid proferre audeat; Propterea fieri ut si Secta aliqua oriatur, Doctrinæ illius Examen Ecclesiæ per Synodum vel Concilium repræsentatæ committatur, & quidquid Synodus illa decreverit ad id credendum & docendum quemlibet Ecclesiæ illius Socium obligari & publica quasi Autoritate adigi, & ita quidem ut si Verbi divini Minister, vel Doctor publicus, Ecclesiæ judicio atque Decreto sese submittere nolit, & formulas sive Confessiones ab Ecclesia receptas & præscriptas recipere iisque subscribere recuset, ille ex Ecclesiæ communione ejiciatur, atque à Doctoris munere removeatur; unde appareat Ecclesiæ Protestantis membra particularia non minus ac Ecclesiæ Romanæ consortes ab Ecclesiæ Universalis judicio ac Autoritate pendere.

. Sæpe citatus BOSSUETUS allegat Decretum Synodi Charentonensis contra Sectam independentium, verba ejus ita habent: „ Ensuite ce meme Synode de„cide que cette secte est autant préjudiciable à l'Estat „qu'a l'Eglise; qu'elle ouvre la porte à toute sorte d' „irregularitéz & d'extravagances; qu'elle oste tous „les moyens d'y apporter le remede; & que si elle „avoit lieu, il se pourroit former autant de Religions „que de Paroisses ou assemblées particulieres. Ad„dit BOSSUETUS: Il faut donc necessairement, se„lon la Doctrine de ce Synode, que chaque Eglise, „& à plus forte raison chaque particulier depende, „en

„en ce qui regarde la Foy, d'une autorité ſuperieure, „qui reſide dans quelque aſſemblée ou dans quelque „corps, à laquelle autorité tous les fidelles ſoumet„tent leur jugement. Car les Indépendans ne refu„ſent pas de ſe ſoumettre à la parole de Dieu, ſelon „qu'ils croiront la devoir entendre; ni d'embraſſer les „deciſions des Synodes, quand après les avoir exami„nées, ils les trouveront raiſonnables- - - - C'eſt de „cette prétention des independans que ſuivent les in„conveniens que le Synode de Charenton a ſi bien „marquez. Car quelque Profeſſion qu'on faſſe de ſe „ſoumettre à la parole de Dieu, ſi chacun croit avoir „droit de l'interpreter ſelon ſon ſens, & contre le „ſentiment de l'Egliſe declaré par un jugement der„nier cette pretention ouvrira la porte à toute ſorte „d'extravagances - - enfin elle donnera lieu à former „autant de Religions non ſeulement qu'il y a de Pa„roiſſes, mais encore qu'il y a de teſtes. „

§. CXCIX.

Ad hæc, quæ ex *Boſſueto* in præcedentibus adduximus, obſervandum quod differentia inter Autoritatem illam, quam Eccleſia Romana ſibi arrogat, & inter eam qua Eccleſia Reformata utitur, in hoc conſiſtat, quod prior non niſi per viam *meræ Autoritatis* procedat, neque cuiquam ex hominibus privatis Dogmatum examen permittat, ſed potius eos obliget ut cœca fide omnia ea amplectantur, quæ Romana Eccleſia vel illius Caput Pontifex Romanus vera pronuntiat eaque credere jubet.

§. CC.

Eccleſia autem Proteſtans dicta, ſive ſit Reformata ſive illa quæ Auguſtanam profitetur Confeſſionem, ita erga privatos agit, ut ab iis etiam nil *absque examine* admitti velit; neque petit ut quisquam aliquid *cœca fide* amplectatur, ſed propter

ter solam *Demonstrationem* sive φανερωσιν *veritatis ad omnem Conscientiam hominum*; adeo ut si aliquis de veritate aliqua in Libro Symbolico aut Confessione publica contenta convictus non sit, Ecclesia obligetur ipsum per Evidentiam Demonstrationis convincere eique monstrare, Dogma illud in S. Litteris esse contentum. Ecclesia ergo Romana nonnisi *Autoritative*, & *imperative* agit; Protestans vero *Demonstrative*.

§. CCI.

TRADITIONES quod attinet, hanc suam mentem esse dicunt, quod tota Doctrina Evangelica ab initio Christianismi nonnisi viva voce per Christi Apostolorumque prædicationem tradita fuerit; dum temporibus illis quibus Christus in terra vixit, & immediate sequentibus nihil adhuc Litteris consignatum fuerit; postea autem ab Apostolis Virisque Apostolicis multa ex iis, quæ prædicata fuere, litteris fuisse mandata; Quæcunque vero à Christo Apostolisque fuere docta, sive scripta sint sive non scripta, pari modo pro Dei Verbo esse habenda; Unde obligati simus non minus ad ea credenda, quæ oretenus à Christo, Apostolis, Virisque Apostolicis fuere tradita, quam ad ea recipienda, quæ ipsimet Apostoli scripta Ecclesiæ tradiderunt.

§. CCII.

Hinc fieri asserunt, ut Ecclesia Romana doceat: Traditiones non minus ac Verbum scriptum pro Verbo Dei esse habendas, illasque credere præcipiat. Non ergo ita hoc esse intelligendum ac si propter solam Papæ Autoritatem illiusque præceptum Traditionibus fides habenda sit, sed

sed ideo ad id obligari quemlibet hominem dicunt, quia est Doctrina Apostolica.

§. CCIII.

Eandem hac in re Ecclesiæ etiam Protestanti mentem esse eruditi inter Pontificios perhibent, dum & nos omnia ea quæ Apostoli docuerunt pro Dei Verbo habeamus, neque quidquam illorum ceu falsum rejiciamus; num vero scriptum vel non scriptum sit perinde esse.

BOSSUETUS Lib. cit. §. XIX. pag. 119. de Traditionibus ita loquitur: „Jesus Christ ayant fondé son „Eglise sur la prédication, la parole non écrite a été „la premiere regle du Christianisme; & lors que les „Ecritures du Nouveau Testament y ont été jointes, „cettes parole n'a pas perdu pourcela son autorité: „ce qui fait que nous recevons avec une pareille Ve„neration tout ce qui a esté enseigné par les Apo„stres, soit par ecrit, soit de vive voix, selon que „Saint Paul mesme l'a expressement declaré. 2 Thess. „II. 24. Et la marque certaine qu'une Doctrine vient „des Apostres, est lors qu'elle est embrassée par tou„tes les Eglises Chrestiennes sans qu'on en puisse mar„quer le commencement. Nous ne pouvons nous „empescher de recevoir tout ce qui est établi de la „sorte, avec la soumission qui est deuë à l'autorité „divine; & nous sommes persuadez que ceux des Mes„sieurs de la Religion pretendue Reformée qui ne „sont pas opinatres, ont ce mesme sentiment au fond „du cœur, n'estant pas possible de croire qu'une Do„ctrine receuë dès le commencement de l'Eglise vien„ne d'une autre source que des Apostres. „

§. CCIV.

Sed non animadvertit Eruditus Vir Reformatos docere α. Omnia ea, quæ ad Salutem scitu, creditu factuque necessaria sunt, in S. Litteris esse contenta, neque Verbo scripto aliquid addendum

aut detrahendum esse Apoc. XXII. 18. Et S. Litteras potentes esse quemlibet sapientem reddere ad Salutem, adeo ut Traditione orali nullo modo opus sit. ß. Hanc ipsam esse rationem cur ad Salutem creditu necessaria ab Apostolis atque Evangelistis scripta fuerint, ne ea per oralem Traditionem corrumperentur. Traditio enim, si corruptioni non esset obnoxia, suffeciisset, neque Verbo scripto opus fuisset; sequitur inde nullam Traditionem pro Dei Verbo esse habendam, nisi Doctrina illa in ipso Verbo scripto inveniatur; si vero ibi reperitur pro Traditione amplius habenda non est.

§. CCV.

De Justificatione ita exponunt mentem suam, quod homo justificetur gratis, per misericordiam divinam, propter Jesum Christum.

Ita BOSSUETUS *Expos. de la Doctrine de l'Eglise Cathol.* pag. 31. §. VI. „Nous croyons premierement „que nos pechez nous sont remis gratuitement par „la Misericorde divine, à cause de Jesus-Christ. Ce „sont les propres termes du Concile de Trente, qui „ajouste que nous sommes dit justifiez gratuitement, „parce qu'aucune de ces choses qui précedent la ju„stification, soit la foy, soit les œuvres, ne peut „meriter cette grace. Concil. Trid. Sess. VI. c. 9. & c. 2.

§. CCVI.

Ita vero actum Justificationis concipiunt, ut Christi justitia non solum Peccatori imputetur, sed & communicetur per infusionem, quod sit opus Spiritus S. per quam Justitiæ Christi infusionem fiat, ut homo nontantum justus reputetur coram Deo, sed & actu justus factus sit.

„Ainsi

„Ainſi la juſtice de Jeſus-Chriſt eſt non ſeulement im-
„putée, mais actuellement communiquée à ſes fidel-
„les par l'Operation du ſaint Eſprit, en ſorte que non
„ſeulement ils ſont reputez, mais faits juſtes par ſa
„grace. Si la juſtice qui eſt en nous, n'eſtoit juſtice
„qu'aux yeux des hommes, ce ne ſeroit pas l'ouvrage
„du ſaint Eſprit : Elle eſt donc juſtice mesme devant
„Dieu, puisque c'eſt Dieu mesme qui la fait en nous,
„en répandant la charité dans nos cœurs : ait Boſ-
„ſuetus l. c.

§. CCVII.

Operum meritis talem citatus Epiſcopus induit faciem, ut videatur nihil plane liberi Arbitrii viribus, ſed omnia in ſolidum divinæ Gratiæ adſcribere, ut quidquid homo habet boni ſit opus Spiritus S., qui in homine operetur & velle & perficere; per ſingularem vero divinam Gratiam ac Miſericordiam fieri, ut ipſum illud Spiritus S. opus ita reputetur à Deo, ac ſi ab ipſo homine præſtitum eſſet; unde homini remunerationem propter illud promittat.

„C'eſt un premier principe, que le libre arbitre ne
„peut rien faire qui conduiſe à la felicité éternelle
„qu'autant qu'il eſt meû & élevé par le Saint Eſprit.
„Ainſi l'Egliſe ſcachant que c'eſt ce divin Eſprit qui
„fait en nous par ſa grace tout ce que nous faiſons
„de bien; elle doit croire que les bonnes Oeuvres
„des fidelles ſont très-agreables à Dieu, & de gran-
„de conſideration devant lui : & c'eſt juſtement qu'el-
„le ſe ſert du mot de Merite avec toute l'Antiquité
„Chreſtienne, principalement pour ſignifier la va-
„leur, le prix & la dignité de ces œuvres que nous
„faiſons par la Grace. Mais comme toute leur Sain-
„teté vient de Dieu qui les fait en nous, la mesme
„Egliſe a reçu dans le Concile de Trente comme Do-
„ctrine de Foy catholique, cette parole de Saint Au-
„guſtin, que Dieu couronne ſes dons en couronnant
„le merite de ſes Serviteurs : inquit Boſſuetus.

§. CCVIII.

Doctrinam *de Satisfactionibus* Fidelium ita Episcopus hic exponit, ut videri velit, nihil se cum Ecclesia Romana infinitæ dignitati ac pretio Satisfactionis Christi derogare, licet statuatur ; Fidelibus etiam Opera Satisfactoria esse præstanda. Ita nimirum comparatam esse Christi Satisfactionem asserit, ut perfectissime per eam totum Redemtionis pretium pro nobis præstitum sit, adeo ut ipsi nihil plane desit quod ad Liberationem à Pœnis æternis exigitur ; Sapientiæ tamen divinæ placuisse pœnas quasdam temporales homini subeundas præscribere, ne baptizatus & per Justificationem à Pœna æterna liberatus voluntaria committeret peccata, sed ab iis hac ratione refrenaretur : & revera Satisfactionem hancce per pœnas temporales nihil aliud esse quam Satisfactionis Christi plenariam applicationem.

„Les Catholiques enseignent d'un commun accord, „que le seul Jesus-Christ Dieu & home tout ensem„ble, estoit capable par la dignité infinie de sa per„sonne, d'offrir à Dieu une Satisfaction suffisante pour „nos pechez. Mais ayant satisfait surabondamment, „il a pu nous appliquer cette satisfaction infinie en „deux manieres : ou bien en nous donnant une en„tiere abolition, sans reserver aucune peine ; ou bien „en cominuant une plus grande peine en une moin„dre, c'est à dire, la peine eternelle en des peines „temporelles. Comme cette premiere façon est la „plus entiere & la plus conforme à sa bonté, il en „use d'abord dans le baptesme : Mais nous croyons „qu'il se sert de la seconde dans la remission qu'il „accorde aux baptisez qui retombent dans le peché, „y estant forcé en quelque maniere par l'ingratitude „de ceux qui ont abusé de ses premiers dons ; de „sorte qu'ils ont à souffrir quelque peine temporelle, „bien que la peine éternelle leur soit remise. Il ne

„faut

„faut pas conclure de la que Jesus-Christ n'ait pas „entierement satisfait pour nous, mais au contraire „qu' ayant acquis sur nous un droit absolu par le „prix infini qu'il a donné pour nostre salut, il nous „accorde le pardon à telle condition, sous telle loix, „& avec telle reserve qu'il lui plaist. - - Il est juste, „& mesme il est salutaire pour nous, que Dieu, en „nous remettant le peché avec la peine éternelle que „nous avions meritée, exige de nous quelque peine „temporelle pour nous retenir dans le devoir; de „peur que sortant trop promtement des liens de la „justice, nous ne nous abandonnions à une temerai- „re confiance, abusant de la facilité du pardon. - - „rien ne manque à ce prix que le Sauveur a payé „puis qu'il est infini; & ces reserves de peines, dont „nous avons parlé, ne proviennent d'aucun defaut „de ce payement, mais d'un certain ordre qu'il a „établi pour nous retenir par de justes apprehensions, „& par une discipline Salutaire. - - A quoi il faut „ajouster que ce que nous appellons satisfaction après „toute l'Eglise ancienne, n'est après tout qu'une ap- „plication de la satisfaction infinie de Jesus-Christ. „BOSSUET §. VIII. l. cit.

§. CCIX.

Propter infinitam autem Dei Bonitatem, & propter mysticam illam fidelium, non solum cum Capite Christo, sed cum seinvicem etiam, unionem in unum Corpus mysticum, fieri posse perhibet Episcopus modo citatus, ut Deus id, quod unum ex Ecclesiæ membris boni præstitit aut perpessum est, in alterius rationibus à Deo poni possit, adeo ut unus fidelium pro alio satisfacere queat ratione pœnarum temporalium.

„Cette mesme consideration doit appaiser ceux qui „s'offensent, quand nous disons que Dieu a tellement „agréable la Charité fraternelle, & la communion „de ses Saints, que souvent mesme il reçoit les Satis- „factions que nous lui offrons les uns pour les autres.

„Il semble que ces Messieurs ne conçoivent pas com-
„bien tout ce que nous sommes est à Dieu ; ni com-
„bien tous les égards , que sa bonté lui fait avoir
„pour les fidelles qui sont les membres de Jesus-
„Christ, se rapportent necessairement à ce divin chef
„ - - ce qui montre que satisfait par les uns, il veut
„bien s'adoucir envers les autres , honorant par ce
„moyen son fils Jesus-Christ dans la communion de
„ses membres, & dans la Sainte Societé de son corps
„mystique. „

§. CCX.

De Purgatorio BOSSUETUS eadem docet, quæ communiter à tota Ecclesia Romana fuere tradita.

§. CCXI.

De Sacramentis in genere eadem cum reliquis Pontificiis tradit Episcopus, & in specie etiam quæ Baptismum, quæ Confirmationem, quæ extremam Unctionem, quæ Matrimonium & quæ Ministrorum consecrationem spectant omnia retinet.

§. CCXII.

Addenda autem sunt tum quæ de Pœnitentia & Confessione auriculari, tum nonnulla quæ de S. Cœna & præcipue de ejus adoratione habet.

§. CCXIII.

Confessionem cum Absolutione quod attinet, tali illam imbuit colore, ut videatur, priorem quam maxime esse salutarem ad refrenanda scelera, ad bona Consilia conferenda, ad afflictos consolandos : posteriorem vero id est Absolutionem nonnisi Autoritate & Nomine Jesu Christi fieri, ita tamen ut illa non modo terminis generalibus fiat, sed ita ut ipso actu peccata ipsis con-

condonentur per Jesum Christum, eoipso tempore quo Sacerdos judicium illud sive Sententiam Absolutionis externe pronuntiat, dum Ministerium illud externum Ecclesiæ commissum sit, cum interna Christi Gratia conjunctum.

„Les termes de la commission qui est donnée aux Mi„nistres de l'Eglise pour absoudre les pechez, sont si „generaux, qu'on ne peut sans temerité les reduire „aux pechez publics ; & comme quand ils pronon„cent l'absolution au nom de Jesus-Christ, ils ne font „que suivre les termes exprès de cette commission, „le jugement est censé rendu par Jesus-Christ meme, „pour lequel ils sont établis juges. C'est ce Pontife „invisible qui absout interieurement le Penitent, pen„dant que le Prestre exerce le Ministere exterieur. „Ce jugement étant un frein si necessaire à la licen„ce ; une source si feconde de sages Conseils ; une si „sensible consolation pour les ames affligées de leurs „pechez, lors que non seulement on leur declare en „termes generaux leur absolution, comme les Mini„stres le pratiquent, mais qu'on les absout en effet „par l'autorité de Jesus-Christ après un examen par„ticulier & avec connoissance de cause. BOSSUETUS loc. cit. pag 56.

§. CCXIV.

Dogma de *Transsubstantiatione* Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna quod attinet, Eruditissimus hicce Episcopus communem Ecclesiæ Romanæ opinionem quidem retinet, sed id agit, ut ostendat, Reformatos, nisi sibimetipsis manifeste contradicere velint, ad Pontificiorum Sententiam proxime accedere, dum & ipsimet ex phrasi illa : *Hoc est Corpus meum*, non meram faciant figuram, sed realem etiam & substantialem Christi fruitionem in S. Cœna statuant, adeo ut reipsa cum Pontificiis conveniant, licet consequentias ex propria sua Sententia fluentes admittere nolint.

„Nos adversaires *inquit pag. 77.* ont bien veu que de „simples figures & des simples signes du Corps & du „sang ne contenteroient pas les Chretiens accoustu„mez aux bontez d'un Dieu qui se donne à nous s „reellement. C'est pourquoi ils ne veulent pas qu'on „les accuse de nier une participation réelle & substan„tielle de Jesus-Christ dans leur Cene. Ils asseurent „comme nous, qu'ils nous y fait participans de sa pro„pre substance ; Catech. Dim. 53. ; ils disent quil „nous nourrit & vivifie de la substance de son Corps „& de son Sang. Conf. de Foy, Art. 16. ; & jugent „que ce ne seroit pas assez qu'il nous montrast par „quelque signe, que nous eussions part à son Sacri„fice, ils disent expressément que le Corps du Sau„veur, qui nous est donné dans la Cene, nous le cer„tifie : Dim. 52. Catech. ; Paroles très-remarqua„bles, que nous examinerons incontinent.

„Voila donc le Corps & le Sang de Jesus-Christ pré„sens dans nos Mysteres, de l'aveu des Calvinistes ; „Car ce qui est communiqué selon sa propre Substan„ce doit estre réellement present. Il est vrai qu'ils „expliquent cette communication, en disant qu'elle „se fait en Esprit, & par foy : mais il est vray aussi „qu'ils veulent qu'elle soit réelle. - - - Or cette ma„niere particuliere de posseder Jesus-Christ dans la „Cene doit aussi estre réelle, puis qu'elle donne aux „Fideles la propre substance du Corps & du Sang de „Jesus-Christ. Tellement qu'il faut conclure des „choses qu'ils nous accordent, qu'il y a dans l'Eu„charistie une maniere réelle de recevoir le Corps & „le Sang de nostre Sauveur qui ne se fait pas par la „foy ; & c'est ce que l'Eglise Catholique enseigne. „ - - - Il faut donc qu'ils reconnoissent qu'outre la „Communion, par laquelle nous participons Spiri„tuellement au Corps de nôtre Sauveur & à son Es„prit tout ensemble en recevant le fruit de sa mort, „il y a encore une communion réelle au Corps du „mesme Sauveur, qui nous est un gage certain que „l'autre nous est assurée, si nous n'empeschons l'effet „d'une telle grace par nos mauvaises dispositions. Ce„la est necessairement enfermé dans les principes dont „ils conviennent ; & jamais ils n'expliqueront cette

„Veri-

„Verité d'une maniere tant soit peu solide, s'ils ne „reviennent au sentiment de l'Egliſe. „

„Qui n'admirera ici la force de la verité ! Tout ce „qui suit des principes avouez par nos Adverſaires „s'entend parfaitement dans le ſentiment de l'Egliſe.

§. CCXV.

Ex præſentia vero Chriſti reali in S. Cœna clare ſequi, inquit Autor, Chriſtum ibi præſentem etiam adorandum eſſe, adeo ut Idololatria vocari minime poſſit, ſi quis certiſſime perſuaſus, Jeſum Chriſtum Dei Filium ſubſtantialiter adeſſe, in genua procumbat, illique cultum divinum exhibeat, non enim panem ſed ipſum Jeſum Chriſtum adorari.

§. CCXVI.

Sacrificium Miſſæ quod ſpectat, negat BOSSUETUS cum aliis, illud ceu novam pro Peccatis noſtris propitiationem conſiderandum eſſe, ſed ceu perpetuam Sacrificii Chriſti repræſentationem, pro Peccatis interceſſionem & Sacrificii Chriſti applicationem.

§. CCXVII.

Vi nimirum, inquit, pronuntiationis iſtorum verborum, *Hoc enim eſt Corpus meum*, ipſum Dei Filium in menſa ſacra præſentem ſiſti, ſub ſpecie ſignorum mortem ſuam repræſentantium: per hunc vero religioſum actum ſummum Dei Dominium agnoſci, quatenus ipſe Jeſus Chriſtus præſens renovet quaſi & continuet aliquo modo memoriam ſuæ ad mortem usque Crucis obedientiæ, adeo ut nihil hic deſit quod ad verum Sacrificium pertinet.

§. CCXVIII.

Dubitari ideo nullo modo posse, quin ipse actus hic à manducatione distinctus per se Deo placeat, ipsumque ut oculis propitiis nos respiciat obliget, dum ipsi voluntariam charissimi sui Filii mortem, quam pro peccatoribus pertulit, ob oculos ponat; imo potius ipsum Filium suum, sub mortis ejus, per quam placatus est, signis, oculis ejus præsentem sistat.

§. CCXIX.

Apud omnes vero Christianos in confesso esse, solam Jesu Christi præsentiam efficacissimæ apud Deum pro Genere humano intercessionis modum esse, juxta ea quæ Apostolus dicat Heb. IX. 24. Unde Ecclesia Romana credat, Jesum Christum sub hac mortis figura in mensa sacra præsentem pro nobis intercedere, Patrique suo mortem pro Ecclesia perpessam perpetuo hac ratione repræsentare.

§. CCXX.

Hancque veram esse Ecclesiæ Romanæ Sententiam, dum dicit Christum pro nobis in S. Cœna sese offerre; hunc esse modum illum quo per oblationem hanc Deus nobis magis propitius reddatur, & hanc esse caussam cur Sacrificium vocetur propitiatorium.

§. CCXXI.

Fieri autem, inquit, ut considerantes quid Christus in hoc Mysterio operetur, & ipsum in Sacra Cœna cum mortis suæ signis per veram fidem realiter præsentem videntes nos cum illo in statu hoc uniamus, ipsumque Deo ceu unicam victimam nostram offeramus, eumque unicum nostrum

noſtrum Salvatorem agnoſcamus, firmiſſime perſuaſi, nihil plane nobis eſſe quod Deo à nobis offerri poſſit præter ſolum Jeſum Chriſtum infinitumque mortis illius meritum.

§. CCXXII.

Et per ipſam hanc hoſtiam piacularem atque divinam, nos preces noſtras Deo conſecrare: ſimul etiam Jeſum Chriſtum Deo offerentes nos diſcere, quomodo & ipſi in ipſo & per ipſum nos Deo ceu Hoſtias viventes offerre debeamus.

§. CCXXIII.

Tale Romanæ Eccleſiæ quotidianum eſſe Sacrificium illud, toto Cœlo à Sacrificiis illis legalibus ſub V. T. oblatis differens. Sacrificium vere ſpirituale & Novo Fœdere digniſſimum, ubi victima præſens nonniſi vera fide percipiatur, ubi mors nonniſi per repræſentationem quandam interveniat, ubi ſanguis nonniſi myſtice fundatur.

§. CCXXIV.

Nihilominus tamen Sacrificium hoc quam veriſſimum eſſe, dum Jeſus Chriſtus vere in eo contineatur, Deoque ſub hac mortis figura offeratur. Sed Sacrificium commemorationis eſſe, quod nos nequaquam à Crucis Sacrificio abducat, ſed per omnes ſuas circumſtantias potius ad illud adducat, non ſolum quia totum quantum eſt ad illud ſeſe referat, ſed nonniſi per illud ſubſiſtat, & ab illo omnem ſuum effectum atque vim habeat.

Hisce tandem Doctrinam hanc BOSSUETUS claudit verbis §. XIV. pag. 102. „ Après cela, toutes ces „fauſſes idées que Meſſieurs de la Religion Prétenduë „Refor-

„Reformée se font du Sacrifice que nous offrons, de„vroient s'effacer. Ils devroient reconnoistre fran„chement que les Catholiques ne prétendent pas se „faire une Nouvelle Propitiation, pour appaiser Dieu „de nouveau, comme s'il ne l'estoit pas suffisamment „par le Sacrifice de la Croix, ou pour ajouster quel„que Supplement au prix de nostre salut, comme s'il „estoit imparfait. Toutes ces choses n'ont point de „lieu dans nostre Doctrine, puisque tout se fait icy „par forme d'intercession & d'application, en la ma„niere qui vient d'estre expliquée.„

§. CCXXV.

Ex hisce sæpius citatus Episcopus conclusionem tandem infert, differentiam, quæ in hac Doctrina inter nos & Romano-Catholicos intercedit, magni momenti non esse, & in verbis potius quam in reipsa consistere.

§. CCXXVI.

De utriusque Signis in S. Communione eadem Autor hic cum reliquis Romano-Catholicis Doctoribus tradit.

§. CCXXVII.

De *Cultu Religioso* in genere asserit; illum totum ad Deum referendum esse, neque aliter Sanctis illum exhiberi, nisi in relatione ad Deum omnis Cultus finem ultimum.

§ tertio pag, 10. hanc Doctrinam hisce comprehendit verbis: „La mesme Eglise enseigne que tout culte „Religieux se doit terminer à Dieu, comme à sa fin, „necessaire; & si l'honneur qu'elle rend à la Sainte „Vierge & aux Saints peut estre appellé Religieux, „c'est à cause qu'il se rapporte necessairement à Dieu.

§. CCXXVIII.

Invocationem vero Sanctorum quod attinet, dicit:

dicit : Ecclesiam , dum statuit perutile esse ut Sancti invocentur , nos docere : ipsos per eundem Charitatis Spiritum, & propter idem Societatis fraternæ vinculum , invocandos esse , quod facit ut ipsorum auxilium , dum in hac Terra vivunt , imploremus.

§. CCXXIX.

Neque magis invocationem hancce muneri Christi mediatorio præjudicium afferre, ac interceſſio Fidelium nobiscum in hac Terra viventium.

In Transitu hic observandum quæstionem proprie non esse , An Sancti in loco Beatorum degentes pro Ecclesia militante intercedant ? id enim fieri posse Doctrina Reformatorum non inficiatur ; sed quæritur an Beati in Cœlis a nobis in hac Terra viventibus sint invocandi ?

§. CCXXX.

Maximum etiam discrimen esse , asserit , inter modum quo Dei auxilium imploramus , & illum modum quo Sancti invocentur. Dum nimirum ad Deum ipsum preces fundimus dicimus *miserere nostri ! exaudi nos !* Sanctorum vero interceſſio dum petitur , nullam aliam adhiberi formulam quam solitam illam *Ora pro nobis !*

§. CCXXXI.

Neque ex mente ipsius Concilii Tridentini alio sensu Sanctos esse invocandos , & ad ipsorum interceſſionem confugiendum esse , quam ut Gratiam divinam per solum Dominum Jesum Christum acquiramus. Neque revera , quidquid per Sanctorum interceſſionem obtinemus , aliter quam per ipsum Jesum Christum & in illius nomine

mine nos obtinere. Neque ipsos etiam Sanctos aliter quam per nomen Jesu Christi orare & nonnisi in illius nomine exaudiri, ut adeo per illorum intercessionem infinito & unico Christi merito nihil plane derogetur.

§. CCXXXII.

Hac ratione si modus invocandi Sanctos consideretur facile patere, nullam ex Perfectionibus Essentiæ divinæ infinitæ propriis Deo aufferri, neque ullam ex qualitatibus illis soli Deo propriis, aut ex operationibus nonnisi ipsi competentibus ulli Creaturarum tribui; ut adeo omne Idololatriæ crimen procul absit.

§. CCXXXIII.

Neque objici posse, Pontificios, dum Sanctorum auxilium implorant, & ipsos seu ubique terrarum præsentes adorant, illis quoddam immensitatis genus attribuere, vel saltem cognitionem Secreti cordis ipsis adscribere, dum non impossibile sit ut Sancti vel per immediatam Dei revelationem, vel alio modo nobis ignoto, hominum in hac terra degentium Vota ac desideria cognoscant, quanquam cognitionis hujus ratio & modus accurate determinari nequeat. Adeo ut Sanctorum conditio ac perfectiones minime super creaturarum sortem extollantur.

§. CCXXXIV.

Cultum vero imaginum quod spectat, asserunt illis non alio sensu honorem exhiberi, quam quatenus repræsentent suum Archetypum, adeo ut honor non ipsis imaginibus, sed illi objecto quod repræsentant exhibeatur; neque illis aliam tribui

tribui Virtutem quam quod noſtram attentionem acuant, ut preces majori cum reverentia atque animi præſentia fiant.

De Methodo cum Pontificiis diſputandi.

§. CCXXXV.

Ad modum cum Pontificiis diſputandi quod attinet, quæſtio hæc ad tria recurrit, α. Quibusnam incumbat *onus probandi?* β. *Quænam* diſputationis debeant eſſe *principia?* γ. *Quænam* diſputationis præcipua debeat eſſe *Materia?*

§. CCXXXVI.

Probandi onus quod ſpectat, idem Pontificii conſilium ſequuntur, quod olim Alcibiades Pericli, de rationibus Populo reddendis ſollicito, dabat, ut nimirum id præcipue ageret, ut ejus neceſſitatem à ſe removeret. Idem Pontificii etiam in confutandis Proteſtantium dogmatibus faciunt, ut diſputandi negotium facilius ſibi reddant. Neque hac in re male faciunt Adverſarii, dum cauſſæ ſuæ debilitatem ipſi ſatis agnoſcunt, facilius propterea arbitrantur ſe reſpondentis munus ſuſcipere, dum argumentorum noſtrorum robur aut falſis interpretamentis, aut ſophiſticis diſtinctionibus eludere tentant.

§. CCXXXVII.

In fidei propterea negotio contra Proteſtantes ad *Jus Præſcriptionis* provocant, id eſt, ad perpetuam dogmatum, jurium, & Sacrorum ſuorum poſſeſſionem, ut ſi Proteſtantes contra ea aliquid

aliquid habeant, quæ affirmant probare teneantur.

§. CCXXXVIII.

Pontifex ergo Romanus poſſeſſionis jure, antiquiſſimoque præſcriptionis titulo, onere probandi exemtus eſt. At quid hic præſcriptio, rerum temporalium dominium reſpiciens? Quid hic Juſtiniani auctoritas? Deus in rebus fidei ac Religionis nullam præſcriptionem valere voluit; *Legem & oraculum* nos inquirere jubet Eſ. VIII. 20. In præſcriptione etiam poſſeſſio debet eſſe tranquilla, ut nulla unquam quæſtio aut dubitatio intervenerit; at quoties Pontifici illi, œcumenicum ſe dicenti, poteſtatemque in Reges ac Imperatores ſibi vindicanti, ejusque Reſcriptis, contradictum ſit, ita notorium eſt, ut probatione non indigeat. Si porro temporis longinquitas in Religionis Articulis atque dogmatibus aliquid faceret, Ethnicorum, Muhammedanorum Judæorumque Religio eodem quo Papiſtica gauderet Præſcriptionis titulo; ut adeo id, quod nunquam docuit Deus, fidei dogma, temporis ſucceſſu verum fieri poſſet, quod revera falſum eſt. Valere igitur poteſt præſcriptio circa id quod *Meum* vel *Tuum* dicitur, minime autem circa id quod in Religione *verum* vel *falſum* eſt. Fruſtra ergo ad præſcriptionem refugiunt Adverſarii. Recte ait JOHANNES VIII. Papa: *In talibus enim, ſi annorum prolixitas valeret, Deusque reprehendendus eſſet, qui poſt quadringentos & triginta annos filios Iſraël, de duriſſima ſervitute Pharaonis, & fornace ferrea liberavit. Et ipſe Redemtor noſter, qui humanum genus poſt tot annorum millia, de inferni clauſtris eripuit.* C. Porro. Caus. 16. Quæſt. 3.

Vide

Vide Mag. MULLERI Jenens. orationem *de Pontificiorum in confutandis Protestantium Sacris Charlataneria* pag. 7. & JOH. PET. DORING Dissert. sub præsidio Ven. JOH. CHRIST. KIRCHMEJERI habitam, in qua *Auctoritas Pontificia ex ipsis Pontificum Decretis, sive Jure quod vocant, Canonico, eversa & refutata.* Marb. 1734.

§. CCXXXIX.

Nos vero jure à Papa Romano postulare possemus, ut nobis probet se eum esse, quem se venditat, nempe *Ecclesiæ Caput*, & *Christi in Terra Vicarium*, jus habentem cum plenitudine potestatis, conscientias obligandi, leges præscribendi, novos fidei Articulos faciendi, indulgentias concedendi, Christi sanctorumque merita pro lubitu dispensandi, Concilia convocandi & dissolvendi, Reges deponendi, illorumque subditos ab obsequio, à fidelitatis juramento absolvendi; eamque Potestatem non humanam tantum sed divinam esse.

§. CCXL.

α. Inficias ire non poterit Ecclesia Romana, tantum hac in re à Christi Vicario, eadem cum ipso potestate pollente, peti posse, quantum à Christo peti potuit; ut, si ipse Christus noluit ut proprio ipsius credamus testimonio ac autoritati, quæ sine dubio tanta ac Papæ fuit, sed ad alia provocavit veritatis missionis suæ argumenta ac documenta, hauddubie etiam Papa hac in re similem se ei exhibere teneatur, idemque summo jure ab ipso peti possit. Atqui Christus se divinitus missum ac prædictum Messiam esse, sibi credi

di noluit, eam solum ob caussam, quia ipse hac de re exhibuit testimonium; sed provocat ad Testimonium Patris: *Qui misit me Pater, is de me testatus est.* Provocat ad opera sua. SI EGO DE MEIPSO TESTOR, MEUM TESTIMONIUM VERUM NON EST. *Alius est qui de me testatur, ac verum esse testimonium quod de me dicit scio. - - - Quæ enim opera mihi perficienda Pater tradidit, hæc quæ ego facio opera de me testantur, me à Patre esse missum.* Joh. V. 31. 32. 36. 37. Et Johannis Discipulis ad ipsum missis quæstum, num verus sit Messias, an alius exspectandus sit? Respondit: *Ite renuntiatum Johanni, quæ auditis & videtis. Cæci vident, & claudi ambulant; leprosi purgantur, & surdi audiunt; mortui resurgunt, & PAUPERES EVANGELIUM DOCENTUR.* Matth. XI. 5. Noluit, hic etiam, Christus simpliciter sua decidere Autoritate, simplicique quæstionis affirmatione, sed argumenta potius de veritate convincentia adducit. Provocat porro ad S. Scripturæ testimonium: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas - - & eæ sunt quæ de me testantur.* Joh. V. 39, Unde Discipulis suis Emauntem proficiscentibus, *exorsus à Mose, omnes obiens vates, eis per omnia scripta, quæ de seipso dicta forent, interpretabatur.* Lucæ XXIV. 27, Sequitur: etiam Papam, se Christi Vicarium & Ecclesiæ Caput dicentem, non minus ac ipsum Christum, hujus muneris sui fidem facere, hancque dignitatem suam indubiis argumentis probare obligatum esse. Siquidem non major ipsi quam Christo competat autoritas.

§. CCXLI.

β. Quod Christus fecit etiam Discipuli ejus fecere, *onus* nimirum *probandi* in se suscipiendo.

Dum

Dum nullam aliam ob cauſſam fidem ſibi haberi volebant, quam propter miracula, & propter Veritatis demonſtrationem ad omnium hominum conſcientiam. *Quin turpi occultatione repudiata, non nos callide gerimus, neque divinam Doctrinam fallaciter tractamus, ſed Veritatis declaratione nos ipſos apud omnem hominum conſcientiam in Dei conſpectu commendamus.* 1. Cor. IV. 2. Si igitur Apoſtoli Jeſu Chriſti hoc fecerunt, ut omne probationis onus in ſe ſuſciperent, divinitusque ſe miſſos eſſe probarent, ſummo jure id etiam ab eo exigi poteſt, qui Chriſti Apoſtolum Vicariumque ſe eſſe noſtris temporibus gloriatur.

§. CCXLII.

γ. Legato porro omni, cum mandato Principis ſe veniſſe dicit credendum non eſt, niſi ſcriptis id probet; neque juxta ipſum Jus Canonicum, Legatio absque litteris, quas vocant credentialibus, ſuſcipienda: Ergo & Papa Romanus, dum à ſummo Principe Chriſto mandatum ſe habere aſſerit, & eadem ſe cum Apoſtolis Legatione fungi dicit, ſolennes & authenticas divinaque autoritate obſignatas literas, exhibere debet, miſſionemque ſuam ex Scriptura nobis demonſtrare. Quod cum nec faciat, nec facere poſſit, eidem etiam nec credere poſſumus.

§. CCXLIII.

δ. *Alleganti* denique, ſive provocanti ad factum aliquod, quod Adverſarius negat, incumbit probatio: dum non præſumatur factum, ſed probari debeat. Papa vero eam quam ſibi tribuit autoritatem, fundat in facto aliquo, nempe quod

Christus tantam ipsi concesserit potestatem. Sequitur iterum ipsi probationem incumbere.

Vide Dissert. cit. DORINGII §. 11. p. 5.

§. CCXLIV.

Quidquid autem sit, nos *probationis onus* lubentes suscipimus, dum minori negotio rem nostram tueri possumus, modo legitima admittere velint PRINCIPIA, ex quibus argumentatio, justa ratiocinatione, deduci potest. Papæ auctoritas principii loco adhiberi nequit, dum ipsa illa, de qua agitur, quæstio sit. Recurrendum propterea erit aut ad ea quæ ipsa RATIO dicit; aut ad ea quæ Deus in S. LITTERIS nobis patefecit; aut ad *testimonia* PATRUM; aut denique ad CONCILIORUM *Decreta*. Aliud enim nihil supereſt, ad quod in Fidei ac Religionis causſa refugere queamus.

§. CCXLV.

Primum ex hisce quod spectat principium, RATIONEM scilicet, quæ in Articulis Theologiæ mixtis adhibenda est, Pontificii haud facile illud admittunt, nec etiam admittere possunt, dum unum ex primariis illorum dogmatibus sit: *Absque rationibus credendum esse, fidemque infallibili Ecclesiæ Romanæ auctoritate niti debere, de Ecclesiæ autem auctoritate dubitandum nunquam esse.* Sive ante omne articulorum Religionis examen firmiter tenendum esse, dari Infallibilem aliquem in Terra Judicem, eumque visibilem, cujus placitis sine mora subscribendum sit; quod si admittatur statim appariturum inquiunt, quid credendum vel non credendum sit. At de hoc ipso inter nos & eos maxima lis est; petunt

petunt ergo ut Articulum maxime controversum absque ulla probatione admittamus, quæ omnino facillima breviſſimaque diſputandi methodus eſſet. Eadem ratione petere poſſem ab Atheo, ut id ſolum mihi concedat, *Dari Deum Univerſi hujus autorem.* Aut à Naturaliſta, *S. Scripturam divinam continere Revelationem.* Aut à Judæo, *Jeſum Chriſtum*, quem nos colimus, *promiſſum eſſe Meſſiam ac Generis humani Salvatorem.* Ita à nobis Adverſarii petunt: ut *infallibilem Papæ autoritatem* ipſis absque ulla probatione largiamur. Hac ratione ſine ullo dubio tota confecta eſſet Diſputatio. Si ergo rationibus pugnare nolunt, ſi omnem examinis viam reſpuunt, ſi nullum privati hominis judicium admittere volunt, fruſtranei fuerunt omnes illorum, Proteſtantem Eccleſiam in Eccleſiæ Romanæ communionem reducendi, conatus; rationibus enim, falſis licet, ut hoc efficerent uſi ſunt; omnis argumentis illorum, quibus nos oppugnarunt, adimitur vis atque efficacia. Cum ergo nos autoritatem humanam in fidei Articulis agnoſcere nequeamus, aut ad Rationes, aut ad divinam Revelationem in S. Litteris contentam refugiendum eſt. Quocunque igitur ſeſe Pontificii vertant, produnt cauſſam ſuam. Si rationibus contra nos utuntur, oſtendunt eoipſo ſe à fidei ſuæ fundamento, ſive ab infallibili illa autoritate diſcedere, ejusque ad convincendos homines inſufficientiam, ſi non verbis, ſaltem facto indicant. Si contra nullis utuntur rationibus, ſed ad ſolam illam autoritatem ejusque præſcriptionem refugiunt, nullis ſe argumentis cauſſam ſuam tueri, neque adeo alios de Eccleſiæ ſuæ Dogmatibus convincere poſſe indicant.

Bene omnino differit celebris ille Anglus SHERLOK *préservatif contre le Papisme* §. II. *Je voudrois seulement demander à ces impetueux Amateurs des disputes, s'ils admettent que je sois en droit de juger par moi-même en matiére de Religion. S'ils disent que non, pourquoi viennent-ils donc me rompre la tête de leurs disputes: le but de la dispute n'est il pas de convaincre? & comment convaincre un homme à qui l'on ne permet de juger de la force des Raisons qu'on lui allégue. Voudroient-ils disputer avec une pierre? ou faire un beau discours pour persuader a un cheval qu'il est hors de son chemin? n'est ce pas la même chose? ne perdent-ils pas leur tems tout de même de disputer contre un homme, à qui il ne sert de rien de pouvoir comprendre ce qu'on lui dit, s'il n'est pas en droit de suivre son jugement? s'ils répondent qu'oui, je leur demande si c'est la Doctrine de leur Eglise que chaque particulier peut juger par soi-même? si ce n'est pas là ce qu'ils appellent l'Examen particulier qu'ils reprochent aux Protestans comme une héresie grossiere & la source de l'incertitude de leur foi? S'ils ouvrent une fois cette bréche aux hérétiques pour entrer dans l'Eglise, j'ai peur qu'ils n'y perdent beaucoup, & que l'Eglise elle même n'ait de la peine à se sauver. Car quoi? si tout ce grand & magnifique appareil de l'infallibilité des Papes & des Conciles se reduit après tout à l'Examen particulier c'est fait de l'Eglise. Ces gens-là ne voient pas, par cela même qu'ils disputent contre nous, qu'ils s'engagent à trahir la cause de leur Eglise, & qu'ils abandonnent le principe de l'infallibilité, ce qui va à leur perdre un bon nombre de bons Catholiques, qui ne sont retenus que par les engagemens d'une foi aveugle & implicite.* Alte-

§. CCXLVI.

Alterum Principium ex quo Proteſtantes cum Eccleſia Romana diſputare poſſunt *Sacra Scriptura* eſt. Hujus autoritatem ſufficientiamque ad omnes fidei Articulos probandos aut admittat oportet Romana Eccleſia aut nobiſcum diſputare deſinat. Res hic ad duas redit quæſtiones, α. An Sacra Scriptura unica ac perfecta fidei norma ac Regula agnoſcenda ſit, & ita quidem ut nullum Religionis Dogma pro fidei Articulo haberi poſſit, niſi ex S. Scriptura probatum ſit? *Altera quæſtio* hæc eſt, quomodo verus Litterarum Sacrarum ſenſus ſciri poſſit, & qua ratione de eo certi eſſe queamus?

§. CCXLVII.

Primam quæſtionem aut affirment oportet Adverſarii aut negent; Si faciant prius, contradicunt Concilio Tridentino, quod duplicem ſtabilit fidei normam, *Scripturam* ſcilicet & *Traditionem.* Si vero quæſtionem negent, ſibimetipſis non conſtant, dum nos de Religionis ſuæ veritate & S. Scriptura convincere conantur, cum tamen ipſimet ſtatuant fidei Articulos in ea non clare eſſe contentos. Cum vero ad convictionem Demonſtrationis Evidentia requiratur, eoipſo quod ex S. Scriptura nos convincere conantur Scripturæ Sacræ in tradendis fidei Articulis evidentiam agnoſcunt, adeoque Traditionibus minime opus eſt. *Traditiones* autem pro Religionis principio agnoſcere non poſſumus, dum a ſola illæ Pontificis auctoritate pendeant, cum vero illa in quæſtione ſit, hucusque etiam de Traditionum auctoritate & certitudine non conſtat, neque ergo illæ donec Papæ Infallibilitas probata

sit, Religionis norma haberi possunt. Aut ergo Traditiones seponant oportet & ex Sola Scriptura disputent, aut disputare desinant; prius cum faciant, si eis nobiscum res sit, altera occurrit quæstio, quomodo nimirum verus Scripturæ sensus cognosci queat?

§. CCXLVIII.

Pontificii hic ad infallibilem Interpretis humani explicationem refugiunt. At in disputando committunt circulum, dum maxima inter nos & illos controversia circa ipsum illum, quem statuunt, infallibilem in terra Judicem versatur. Ipsi ergo dum ad Judicis hujus in decidendis fidei Articulis, & explicandis Sacræ Scripturæ locis, infallibilitatem recurrunt, id fundamenti loco ponunt, quod in quæstione est. Unde seponenda ipsis Papæ in explicanda S. Scriptura infallibilitas si nobiscum certare velint, & nonnisi ad vocabulorum in S. Litteris adhibitorum sensum, ad Phrasium significatum, ad Autorum Sacrorum scopum, ad sequentium & antecedentium connexionem, ad fidei analogiam, ad Veteris & Novi Testamenti collationem recurrendum; quæ auxiliante divinæ Spiritus Gratia unica ad cognoscendum verum Scripturæ sensum via est, qua sola utendum, si nobiscum disputare animus sit.

§. CCXLIX.

Adversarii dum videant, aliter se quam ex sola divina Revelatione, in Veteris & Novi Testamenti Libris contenta, contra nos disputare non posse, ex Scriptura quidem Sacra caussam suam tueri satagunt; at in probatione sua sequentes

tes in primis committunt errores. α. Nimirum Argumenta ſua ex phraſi Biblica aliqua abſtracte à reliquis ſumta deſumunt ; ut nullam habeant rationem nec nexus cum antecedentibus & ſequentibus, nec Autoris ſcopi, nec temporis & circumſtantiarum, nec fidei denique Analogiæ. Ita ad Traditiones ſuas probandas ſufficere arbitrantur, ſi ad alia provocent loca, in quibus Apoſtoli, antequam Libri N. T. omnes Litteris erant conſignati, de Doctrina Sanctis vel *ore* vel ſcriptis *tradita* loquuntur. Nec ad purgatorium illum ignem, quem poſt hanc vitam ſtatuunt, probandum aliud afferre poſſunt dictum, quam ubi vox *ignis* occurrit 1. Cor. III. 13. 14. 15. Præter ſolam enim hanc vocem plane nihil inveniunt quod ipſis faveat, dum totus oſtendat contextus, omniaque verba ibi adhibita, nullum ibi de animarum poſt hanc vitam purgatione ſermonem eſſe. Eodem etiam modo Confeſſionem auricularem ſuam ex Confeſſione ſoli Deo debita, in litteris Sacris commendata, probare nituntur. Ut multa alia exempla brevitatis cauſſa transgrediamur.

Vide SHERLOCK *Préſervatif contre le Papiſme* Cap. II. Sect. II. §. VII. ſeqq.

§. CCL.

β. Alius error quem in probando committunt hic eſt, quod argumenta eorum ex S. Litteris deſumta imperfecta ac inſufficientia ſunt, dum parvam tantum aliquam theorematis vel dogmatis partem probare ſatagunt, cum tamen totus fidei Articulus, quantuscunque ejus complexus ſit, probandus eſt. Hujus rei exemplum no-

bis principale ipsorum dogma præbet, *quod scilicet Papa Romanus Christi Vicarius eadem cum Christo Potestate ac Infallibilitate gaudeat.* Qui Articulus ex Adversariorum hypothesi sequentes complectitur veritates. α. Petrum Principem Apostolorum fuisse. β. Christum ipsum universæ Ecclesiæ Caput ac visibilem suum in terra Vicarium constituisse. γ. Petrum Romæ per aliquod tempus Episcopatu fuisse functum. δ. Papam Romanum ejus Successorem esse. ε. Eundemque iisdem cum Petro gaudere qualitatibus, privilegiis, Potestate, ut non minus ac ipse Sanctus Apostolus, Ecclesiæ Caput, infallibilis Christi Vicarius ac magnus ovium Pastor sit. Ad has autem positiones tuendas sequentia proferunt Christi verba: *Tu es Petrus, & super hac petra construam meam Ecclesiam, quam orci portæ non superabunt: tibique cœlestis Regni claves dabo.* Matth. XVI. Quæ verba licet sensu Pontificio acciperentur, nihil aliud significarent quam Doctrinam deinceps à Petro prædicandam Ecclesiæ ac Fidei Christianæ fundamentum esse, ipsique, peccatorum remissionem ac vitam cœlestem credentibus promittendi, potestatem à Christo fuisse concessam. Addunt loco huic ad Thesin suam probandam Petri ad munus Pastorale vocationem: *Pasce Oves meas.* At nihil plane in utroque dicto de Petri Episcopatu Romæ gesto vel gerendo, de Pontifice Romano, de ejus in sede Petri præ omnibus reliquis Episcopis successione, de eadem potestate ac infallibilitatis spiritu, quem Petrus habuit, etiam Papæ donato, occurrit; nihil de visibili Christi in Ecclesia Vicario ac Capite, de conscientiarum obligatione legumque præscriptione, & quæ alia sibi Papa Romanus tribuit. γ. In

§. CCLI.

γ. In hoc etiam Romanæ Ecclesiæ Doctores fallunt, quod non ex claris Scripturæ verbis conclusionem aliquam, ad rem suam tuendam, evidenter deducunt, sed per multas potius atque longe quæsitas consequentias eum extorquent sensum, quem probandæ rei suæ aptissimum censent, nec clarum aliquem adducunt locum ex quo dogma, de quo agitur, evidenti conclusione demonstrari potest. Ita ex dicto Christi Matth. XII. 32. *si quis contra Sanctum Spiritum dixerit, non ignoscetur ei, nec in hoc sæculo nec in futuro*, concludunt dari peccata, quæ in altera vita condonentur, & per consequens etiam ignem dari purgatorium. Eadem ratione, ut unicum solum exemplum addam, ex 2. Petr. III. 16. *Paulus pro ea, qua donatus est, Sapientia, vobis scripsit, at in omnibus Epistolis, de hisce rebus in eis loquens: in quibus insunt obscura quædam, quæ indocti infirmique, ut & cætera scripta, in suam perniciem detorquent*, probant, Laicos ab omni plane Scripturæ lectione esse arcendos.

§. CCLII.

δ. Ultimo in hoc etiam verum Scripturæ sensum detorquent, quod eum omissa omni veri sensus disquisitione, hypothesi suæ accommodant; hoc est, dogmata sua fundamenti loco ponunt, & juxta regulam hanc Scripturam Sacram explicant; minime vero Scripturam Sacram primo fidei normam constituunt, articulosque Religionis ei conformant, & ex ea ceu unico rerum credendarum principio demonstrant. Ita postquam semel *Transsubstantiationis* dogma receperunt, etiam institutionis Cœnæ Sacræ verba

juxta

juxtà illud interpretantur, ut nec ad verum & sacramentalem verborum sensum, nec ad Sacramentorum naturam ac essentiam, nec ad institutionis circumstantias, nec ad fidei analogiam attendant. Et cum semel infallibilis Christi Vicarius ac visibile Ecclesiæ Caput variis artibus ac machinationibus, vi ac dolo stabilitum fuit, nonnulla Scripturæ dicta ita torquent, ut Papa etiam in ea præsidium invenisse videatur.

§. CCLIII.

Aliud Religionis *principium* & infallibilem Sacram Scripturam interpretandi normam Concilium Tridentinum unanimem PATRUM consensum atque testimonium constituit. Unde *tertio* nunc quæritur, quænam fides hac in re Patribus habenda, & quanta illorum in determinandis fidei Articulis autoritas sit? Licet nos venerandam suspiciamus Antiquitatem, neque facile eam contemnamus, multa tamen obsunt quominus Patrum testimonium infallibile Religionis principium Sacramque Scripturam interpretandi normam agnoscere possimus. Nam dum, fatentibus Adversariis nostris, unanime illorum requiratur testimonium, quæritur *α.* quantus Patrum illorum debeat esse numerus, quorum in decidendis Religionis Articulis & Sacra Scriptura recte interpretanda requiritur consensus? Experientia nimirum constat, primorum sæculorum Patres, in explicando varia Scripturæ loca, non minus ac modernos Sacrorum Oraculorum interpretes, à seinvicem differre. Si vero per unanimem testimonium maximus illorum numerus intelligendus est, catalogum eorum Pontificii nobis exhibeant oportet, ut videamus quibusnam hæc infallibilitatis

tatis prærogativa competat, & quo jure reliqui excludantur.

§. CCLIV.

β. Quæritur an Patres hi præ omnibus aliis Sacrarum Litterarum Interpretibus infallibiles fuerint? num vero iisdem, quibus omnes reliqui Scripturæ Interpretes, mediis in ejus explicatione usi sint? Si prius fuit, qui fit ut in multis etiam à seinvicem dissenserint, & qui fit ut si quatuor primorum Christianismi sæculorum Episcopi ac Doctores infallibiles fuerunt, ut idem infallibilitatis donum non plurimis etiam Ecclesiæ Doctoribus communicatum fuerit, sed nostra ætate plane amissum & in Papam solum translatum sit? Si vero caruerunt infallibilitatis dono, aliam ob caussam interpretationes eorum adprobandæ & pro Doctrinæ regula accipiendæ non sunt, quam quatenus in Articulis maximi momenti cum S. Litteris conformes sunt, adeoque ipsorum Interpretatio cum nostra solidissimo fundamento nixa convenit.

§. CCLV.

γ. Cum & ipsi Patres Interprete opus habeant, dum obscura etiam in iis occurrant loca, quæritur quisnam debeat esse eorum Interpres? Si Papa, rejicimus, dum de ejus Infallibilitate inter nos quæstio sit. Si cuilibet Lectori jus eos interpretandi competat, & juxta S. Litteras examinandi, nihil habemus contra. Ipsi etiam Patres non sua semper sibi constiterunt sententia; sed majus deinceps lumen adepti, immutarunt etiam eam quam antea foverant sententiam; quod Origenis atque Augustini Exemplis satis constat. Ex quoipso eos infallibiles minime fuisse apparet.

δ. Ipsi

§. CCLVI.

§. Ipsi denique Patres S. Litteras unicam Articulorum fidei agnoverunt normam, neque quidquam extra Sacram Scripturam tradendum esse confessi sunt. Pontificii ergo, cur ad eos ceu Dogmatum fidei principium rerumque credendarum normam confugiant, non habent.

Unum & alterum Patrum testimonium ut hic afferamus necesse est. CYRILLI nimirum, Hierosol. Episcopi de re ista hoc fuit judicium, Edit. *Touttei* pag. 6. Δει περὶ τῶν Θειων καὶ ἁγιων της πιςεως μυςηριων, μηδε τὸ τυχον ἀνευ τῶν Θειων παραδιδοσθαι γραφων: καὶ μη ἁπλως πιθανοτησι καὶ λογων καλασκευαις παραφερεσθαι, μηδε ἐμοι τω ταῦτα σοι λεγοντι ἁπλως πιςευσης, ἐαν τὴν ἀποδειξιν τῶν καλαγγελλομενων ἀπο τῶν Θειων μη λαβης γραφων: ἡ σωτηρια γαρ αὐτη της πιςεως ἡμῶν οὐκ ἐξ ἐυρεσιλογιας, ἀλλα ἐξ ἀποδειξεως τῶν Θειων ἐςι γραφων. *Oportet circa divina & sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi; nec temere probabilitatibus, argumentisque in verborum artificio consistentibus adduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum quæ tibi adnuntio demonstrationem acceperis. Hæc enim fides cui nostram Salutem debemus, non ex commentitia disputatione, sed ex divinarum scripturarum demonstratione vim habet.* Et GRATIANUS, AUGUSTINUM C. 4. Dist. 9. ita loquentem inducit: *Negare non possum, nec debeo; sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio & nulla temeritate damnari.* Hisce ergo verbis falli se potuisse expresse confitetur, Patresque minime

me censendos esse infallibiles Dist. 9. Can. *Solis*, hisce indicat verbis: *Solis eorum scriptorum, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et Can. *Neque* Dist. cit. *Neque, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum disputationes, velut Scripturas Canonicas, habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere; si forte invenerimus quod aliter scripserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis.* Hic etiam CYPRIANI verba applicari possunt, quæ alio quidem respectu dicta sunt, at nihilominus solam S. Scripturam in Religionis negotio audiendam esse indicant, dum Can. fin. Dict. 8. ita loquitur: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alii ante nos faciendum putaverint, sed quid qui ante omnes est, Christus fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei Veritatem: cum per Esaiam Deus loquatur & dicat; sine caussa colunt me, mandata & Doctrinas hominum docentes.*

§. CCLVII.

Uti Pontificii S. Scripturæ Judicium subire nolunt, sed illud fugiunt atque timent, ita tandem ad CONCILIA ceu competentes in Religione Judices confugiunt. Ita nimirum argumentantur:

tur: *Ecclesia est Infallibilis ; Concilium Oecumenicum est Ecclesia representativa , E. etiam Concilium Oecumenicum infallibile est.* At multa hic probanda sunt, quæ probata nunquam fuere , imo plurima probari nequidem possunt, I. Ecclesiam in omnibus esse infallibilem. II. Concilium Oecumenicum totam repræsentare Ecclesiam. III. Ecclesiam Romanam eam esse cui infallibilitatis donum promissum est. IV. Ecclesiam Romanam Ecclesiam Universalem esse. V. Concilium ad quod provocatur fuisse Oecumenicum. VI. Legitime constitutum. VII. Omni ex parte Liberum. VIII. Patres in eo sedentes nonnisi Dei Gloriam, veritatisque manifestationem quæsiviſſe, IX. In omnibus recte & canonice processisse. X. Præsides ut decet concluſisse. XI. Decreto nec in materia nec in forma quidquam deesse. XII. Confirmatum illud fuisse & quidem ex Cathedra. XIII. Et à vero atque indubitato Pontifice, baptizato , ordinato, orthodoxo, non hæretico, non Simoniaco. XIV. A Papa Libero etiam suique Juris. Si quid ex hisce omnibus concilio desit, ei credi non posse ipsi confitentur Adversarii. Omnia vero adesse absque privata Revelatione nemo unquam scire potuit , neque aliter quam per Papæ infallibilitatem probari potest , illa vero cum Articulus sit de quo inter nos certatur, argumenti loco adhiberi nequit. Cæterum ita concludimus : Cum Pontificii ex Conciliis *Auctoritatem* Pontificis sui probare volunt , circulum committunt ; dum hoc per illud , & illud per hoc demonstrare satagunt , quorum neutrum concessum est. Probant nimirum auctoritatem Papæ , ex Conciliorum auctoritate , Conciliorum viciſſim auctoritatem ex Papæ auctoritate adstruunt.

ſtruunt. Nulla enim Concilia, vel ipſis concedentibus, pro authenticis agnoſcenda ſunt, niſi ea quæ Papæ auctoritate confirmata fuere. Ita enim Papa inquit, C. *Regula* Diſt. 17. *Nec ullum ratum eſt, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit Pontificis auctoritate.* Cum ergo Conciliorum auctoritas nonniſi à Papæ auctoritate pendeat, manifeſtum eſt, ex illis ad Papæ auctoritatem confirmandam argumenta deſumi minime poſſe, dum Pontificis Romani auctoritas id ipſum ſit de quo diſceptamus, & Concilia ex Eccleſiæ R. mente omnem ſuam vim à Papa habeant.

Plura qui de hac materia legere cupit adeat JOANNIS LA PLACETTE Diſſertationem *de Inſanabili Romanæ Eccleſiæ Scepticiſmo*, qua demonſtratur: *Nihil omnino eſſe quod firma fide perſuadere ſibi Pontificii poſſint.* Omnia Cap. XVI. pag. 93. quæ antea probaverat in Epitomen redigit atque hisce complectitur verbis: „ Quæ fuſius exposita ſunt in pauca contrahamus, ſatis apparet nec „cum Adverſariorum mente, nec cum ipſa rei veritate congruere, ut Concilia quævis errare nequeant, „ſed ſi quæ ſint quibus hoc privilegium competat, non „alia eſſe quam vere Oecumenica, recte conſtituta, „libera, ac legitime procedentia: particularia vero „vitioſa, oppreſſa, aut perperam procedentia, nihil „obſtare quominus in errorem prolabantur. Patet „rurſus incertum eſſe, quæ ſint Concilia omnibus illis conditionibus inſtructa. Hæc vero incertitudo „a duplici fonte derivatur, altero quod non conſtet „quid requiratur ad hoc ut omnes illæ conditiones „Concilio adſint; altero quod ſi quæ ſint quæ requirantur conſtet, non conſtet tamen an ea in ſingulis Conciliis, quæ haberi contingit reperiantur. Non conſtat „an ſingulis illis, qui adeſſe ſolent, iis intereſſe & „votum quod vocant deciſivum habere jus ſit. Non „conſtat an ſolis. Non conſtat quot ex toto terrarum

„orbe, & quos adesse necesse sit. Non constat an oporteat indictum à Pontifice Concilium fuisse. Non constat an necessario illi præesse Pontifex debeat. Non constat an ad faciendam conclusionem major suffragiorum numerus sufficiat, vel potius plena & perfecta unanimitas requiratur. Constat requiri sanctam intentionem, diligentem veritatis inquisitionem, atque omnimodam suffragiorum libertatem. Sed nec constat, nec constare potest an illa cuiquam Concilio adfuerint, & dubitari de hoc jure semper potest. Horum vero pleraque ejusmodi sunt, ut ne ipsis quidem Concilii Patribus comperta esse possint. - - Jam si hoc ne ipsis quidem Concilii Patribus perspectum est, qua ratione reliquis Episcopis per orbem sparsis. - - Qua ratione singulis de Plebe agricolis - - exploratum id ipsum esset? „ Probat deinde Vir Eruditus Cap. XVIII. Multos olim fuisse magni nominis Theologos, in ipsa nimirum Romana Ecclesia, qui Pontificis & Concilii consentientium infallibilitatem non agnoverint.

§. CCLVIII.

Cum ergo nec *Traditiones* (§. 246.), nec *Papæ Auctoritas* (§. 247.), Nec Primorum sæculorum *Patres* (§. 252 - - 255.), imo nec ipsa quidem *Concilia* (§. 256.) fidei nostræ norma esse possint, sequitur: *Sacram Scripturam unicam rerum credendarum Regulam atque Disputationis Principium esse.*

§. CCLIX.

MATERIAM tandem disputationis cum Ecclesia Romana quod attinet, prolixissima controversiarum cum ipsa series est; sunt qui omnes & singulas Systematis illius refutarunt partes; sunt qui hanc vel illam in specie tractarunt controversiam; sunt qui Papæ suprematum, sunt qui Articulum de Ecclesia adgressi sunt, sunt alii qui Doctrinam de Justificatione per solam fidem, de bonis

bonis operibus, de Sacramentis adversus Pontificios vindicarunt, alii Cultum ipsorum publicum impugnarunt. Nos vero, ut propositam sequamur methodum Disputationem nostram ita instituemus, ut præcipuas Adversariorum expugnemus hypotheses, ut fundamentis subrutis atque eversis totum corruat ædificium. Et cum ita comparatum sit Ecclesiæ Romanæ Systema, ut, licet omnia ad Papæ Primatum atque infallibilitatem stabiliendam tendant, ad tres Classes referri possint illorum hypotheses; *Primo* scilicet ii occurrunt errores, qui immediate Romani Pontificis Supremamum spectant. *Secundo* ii qui Doctrinam de vera salutis via respiciunt. *Tertio* qui ad Cultum divinum externasque cærimonias in eo peragendas pertinent: Hinc tales contra Religionem Pontificiam demonstrabimus Propositiones, quæ primarios triplicis hujus Classis errores impugnant, quorum falsitate demonstrata reliqui per se dilabuntur. In primis igitur Propositionibus probabimus ea quæ ad Papæ supremamum, infallibilitatem atque in hominum conscientias Dominium evertendum pertinent. Evincemus deinceps ipsorum Dogmata Salutis viam respicientia Gloriæ Christi atque Disciplinæ Evangelicæ plane esse contraria. Demonstrabimus denique etiam Cultum Pontificiorum publicum, Cultui in Evangelio præscripto è diametro esse oppositum; & cum in Doctrina præcipue de S. Cœna maxime à Christi institutione discedant, Adversarios etiam hic allucinari probabimus.

Ab utraque parte conceſſa.

§. CCLX.

In ſequentibus inprimis Adverſarii nobiscum conſentiunt. I. S. Scripturam divinam continere revelationem, ut omnia in ea tradita vera ac divina habenda ſint. II. De Deo Triuno ejusque operibus nobiſcum omnia ea confitentur, quæ in Symbolo, quod Apoſtolicum vocare ſolemus, credenda proponuntur. Unde credunt Deum Univerſi hujus Creatorem ac Conſervatorem eſſe, qui omnia provida ſua cura gerat ac dirigat, ut nihil, in rebus etiam humanis, accidere poſſit quod divino Arbitrio non ſubſit atque ab eo pendeat. III. Non minus ac nos docent, Deum ab æterno, modo nobis plane incomprehenſibili atque myſterii pleno, generaſſe Filium, non ſimili tantum, ſed eadem eſſentia præditum, Deo Patri coæternum, iisdem cum Patre divinis Attributis gaudentem, nonniſi ſola Perſonalitatis proprietate ab ipſo differentem. Eundem cum Patre de redimendis ex miſeria hominibus Conſilium ab æterno iniiſſe, in Mundum veniſſe ut cum humana uniretur natura, atque omnis tam originalis quam actualis peccati expers à Maria conciperetur, pareretur & viveret, unita Deitate cum humanitate in eadem Jeſu Chriſti Perſona; Hoc eum in finem factum fuiſſe nobiscum contendunt, ut Mundi Salvator fieri, loco noſtri το δικαιωμα legis implere, pati & mori adeoque pœnam peccato debitam ſuſtinere poſſet. Salvatorem etiam à mortuis reſuſcitatum, in Cœlum evectum ibi pro redemtis intercedere, neque ſine eo hominibus Salutem reddi potuiſſe aſſerunt.

ferunt. Spiritum etiam Sanctum à Patre & Filio procedere, ejusdem divinæ Naturæ participem, sive coëssentialem & coæternum dicunt, nonnisi Personalitate atque operandi ordine ab ipsis differentem. Dari post hanc vitam tam piorum quam impiorum ex morte resuscitationem, Corporis cum Anima immortali reunionem, æternamque vitam.

Hypotheseos Papisticæ refutatio.

Propositio I.

§. CCLXI.

Jesus Christus unicum Ecclesiæ Caput, unicus Ecclesiæ Doctor, solus in Verbo suo loquens, audiendus, & solus in Civitate sua Dominus est.

§. CCLXII.

JESUM CHRISTUM solum eas possidere qualitates, quæ requiruntur, ut Ecclesiæ, sive Civitatis Dei, Princeps, Rector vel Caput esse possit, atque supremum in Ecclesia exercere Dominium, demonstratum à nobis est (Cap. III. §. 1485 -- 1493.); Nec honorem atque potestatem hancce mero homini competere posse, probatum (Cap. III. §. 1494. - - 1511.) Ne autem hic intentatum relinquamus aliquid, quod ad ulteriorem veritatis hujus confirmationem facere potest, ad-

demus adhuc, quæ maxime neceſſaria atque utilia videntur.

§. CCLXIII.

Inficias ire nemo poterit, Chriſtum unicum Eccleſiæ Doctorem atque Dominum agnoſcendum eſſe, ſi probetur: Jeſum α. Talem à Deo Patre fuiſſe declaratum. β. Ipſum Chriſtum munus hoc ſibi ſoli vindicaſſe. γ. Solum ipſum ab Apoſtolis talem fuiſſe agnitum. δ. Ipſis etiam primorum ſæculorum Patres hac in re aſſentiri. ε. Propter infinitam tam Perſonæ ejus quam Muneris hujus dignitatem, ipſi ſoli hoc competere. Quæ nunc ſingulatim probabimus.

§. CCLXIV.

Primum theorema hoc eſt: *Chriſtus ab ipſo Deo Patre unicus Eccleſiæ Doctor atque Propheta declaratus fuit.* Modo maxime ſolenni id factum in Transfigurationis monte, ubi præſentibus Moſe & Elia, tribusque Chriſti Diſcipulis Petro, Jacobo & Johanne, vox ex nube Gloriæ audita fuit, à Patre cœlitus demiſſa: *Hic eſt meus chariſſimus Filius, qui mihi acceptus eſt: HUNC AUDITE*, Matth. XVII. 5. Oſtenditur hic, Chriſtum α. omnibus reliquis Prophetis ac Doctoribus, ſive ſit Moſes ſive Elias, ſive Petrus ſive Jacobus ſive Johannes ſive alius quisquam longe majorem ſupereminentioremque Doctorem eſſe; ſiquidem nemo unquam immediate ex Cœlo tale acceperit Teſtimonium. β. Chriſtum pro *unico* hic declarari Eccleſiæ Doctore, à cujus ſolius ore in poſterum pendendum ſit; unde excluſis omnibus aliis dicitur *HUNC audite*. Nihil hic dicitur de Petro vel alio quoquam Eccleſiæ Doctore audiendo, ſed ipſi potius Petro ut Chriſtum audiat præcipitur. Ex

Ex solo ergo Christo ejusque Verbo sapiendum est, neque audiendi ejus Ministri atque Legati, nisi quatenus verba sua ipsius Christi verba esse demonstrant. 7. Respicitur hic ad maximum illum Prophetam, quem Deus per Mosen Populo Israëlitico promiserat Deut. XVIII. 18. 19. *Vatem suscitabo eis de media eorum consanguinitate, tui similem, cujus ori mea verba suggeram, itaque eis eloquetur, quæcunque ei præcepero. Quod si contigerit, aliquem meis verbis, quæ ille meo nomine effatus fuerit, non obtemperare: ego in eum animadvertam. Cæterum si quis vates hoc sibi arrogaverit, meo ut nomine aliquid dicat, quod ego ei dicendum non mandaverim, moritor vates ille.* Non ergo in posterum Mosen aut alium quendam Doctorem ei similem cum auctoritate loquentem, sed solum summum illum Prophetam à Deo excitandum, audiendum esse mandatur.

§. CCLXV.

Altera quam probandam sumsimus *Thesis* hæc est: *Ipse Christus Doctoris munus sibi soli vindicavit.* Judæorum Doctoribus, illis præcipue qui in Cathedra Mosis sedebant, hic mos erat, ut maximam erga Populum sibi auctoritatem tribuerent, & tanti ab eorum Discipulis habebantur judicium ac definitiones eorum, ut, nulla probatione addita, sola ipsorum auctoritas ad fidem faciendam sufficeret, sibique modo plane excellenti DOCTORUM infallibilium nomen tribuebant. Ab ejusmodi præjudiciis atque magnificis titulis ut abduceret Christus Apostolos suos, ne id sibi tribuerent quod nemini hominum competit, ipsos docet: se solum summum illum atque eximium Doctorem esse, se solum propterea talem agno-

ſcendum atque venerandum. Ita propterea declarat diſcipulis ſuis Matth. XXIII. 8. & 10. *At vos*, inquit, *nolite vocari Rabbi: UNUS eſt enim RECTOR veſter Chriſtus: vos vero omnes eſtis Fratres. Neve Patrem vobis in terris vocate: unus eſt enim veſter Pater, qui eſt in Cœlis: Neque Doctores vocemini: UNUS EST ENIM VESTER DOCTOR CHRISTUS.* Unde ſolus etiam docebat ceu *auctoritatem habens* non ut Scribæ. Matth. VII. *ult.* Et Doctrinam ſuam placitis hominum opponens dicere poterat: EGO VERO DICO VOBIS. *Omnia* etiam *ſibi à Patre tradita eſſe* inquit, *ut Patrem nemo cognoſcere poſſit, niſi cui Filius voluerit patefacere.* Et *ad SE*, excluſis aliis, *omnes laborantes & onuſtos accedere* jubet, ut ab IPSO *diſcant.* Matth. XI. 27. 28. 29. Proferat ergo aliquis, ſi poterit, dictum, in quo vel cœleſtis Pater vel Chriſtus hominem quendam, infallibilem Eccleſiæ Doctorem atque Magiſtrum declaraverit, uti nos probavimus, Chriſtum eum ſolum eſſe. Illud vero ſi impoſſibile ſit, cur malunt homines ad fallacem aliquem hominem quam ad Chriſtum, qui nunquam mentitur, ſed perpetuo veritatem dicit, confugere.

§. CCLXVI.

Tertium, quod probandum nobis eſt, hisce comprehenditur verbis: *Ab ipſis Apoſtolis ſolus Chriſtus infallibilis Eccleſiæ Doctor, Caput atque Dominus agnitus fuit.* Johannes Baptiſta honorem hunc ſibi ſumere nolebat, quod ipſe Doctor atque Lux mundi eſſet; ſed teſtabatur tantum de Luce: ſed Chriſtum veram illam Lucem eſſe profitebatur, QUÆ COLLUSTRET OMNEM HOMINEM. Joh. I. 8. 9. Et ad Chriſtum homi-

nes

nes mittebat, *ex cujus* solius *plenitudine omnes sumere possint gratiam pro gratia.* Eadem etiam omnibus Discipulis mens erat; Unde Petrus cunctorum nomine respondit: DOMINE, AD QUEM ABEAMUS, TU HABES VERBA VITÆ ÆTERNÆ. Joh. VI. 68. Indicant hisce Apostoli, se neminem præter Christum infallibilem Doctorem suum agnoscere, & idem qui Discipulorum & primæ Christianæ Ecclesiæ Doctor fuit, omnium etiam fidelium Doctor est, ut & nos dicere debeamus; *Ad quem abibimus Domine, tu solus habes verba vitæ æternæ!* Imo Christi Doctrinam *unicam* constituebant Fidei & Vitæ *Regulam.* Unde Apostolus PAULUS dicit: *ALIUD FUNDAMENTUM poni non posse, præter id quod jactum est, nempe JESUS CHRISTUS.* 1. Cor. III. 11. Ut nemo in Ecclesia *diversam sequi Doctrinam* debeat, *neque accedere sanis Domini nostri Jesu Christi dictis.* 1. Tim. VI. 3. Et *unum* esse *Dominum* dicit, *unam fidem, unum Patrem omnium.* Præmonet, *ne amplius simus pueri, qui omni Doctrinæ vento fluctuemus ac circumferamur, hominum versutia, qua nos malitiose ad fallendum adgrediantur. Sed verum tenentes cum Charitate, omnino in eum adolescamus. QUI CAPUT est videlicet CHRISTUS.* Eph. IV. 5. 14. 15. Vellem ut Adversarii nostri vel unicum afferrent dictum, in quo Apostoli, vel è longinquo, Christianam Ecclesiam ad merum aliquem hominem cum auctoritate loquentem audiendum adhortarentur; at ne minimum quidem in omnibus N. T. Libris occurrit vestigium, quod in posterum aliquis, Christi loco, eadem qua ipse potestate, locuturus sit, quique ceu Doctor infallibilis audiri debeat. Quare ergo homines Christum audire respuunt, & ex eo solo sapere

recusant? Cum tamen nullus unquam Apostolorum Christi se Vicarium professus sit.

§. CCLXVII.

♂. Accedit hisce etiam veneranda Antiquitas. *Ipsi enim primorum Sæculorum Patres Christum solum audiendum esse prædicarunt.* Provocamus ergo hic ad HIPPOLYTI Irenæi discipuli, ad TERTULLIANI, ad CYPRIANI, ad OPTATI denique *Milevitani* testimonia, quæ ad probandam hanc veritatem sufficere poterunt. HIPPOLYTUS Tom. I. Opp. contra Noëtum Cap. IX. Edit. Hamb. pag. 139. ita disputat: *Unus Deus est, quem NON ALIUNDE, Fratres cognoscimus, quam EX SANCTIS SCRIPTURIS. Quemadmodum enim quis, si vellet sapientiam hujus sæculi exercere, non aliter hoc consequi poterit, nisi dogmata Philosophorum legat; sic quicunque volumus Pietatem in Deum exercere NON ALIUNDE discemus, quam EX SCRIPTURIS DIVINIS. Quæcunque ergo Sacræ Scripturæ prædicant, SCIAMUS: & quæcunque docent, agnoscamus: & sicut vult Pater credi, credamus: & sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus: & sicut vult donari Spiritum Sanctum, sic accipiamus: non secundum propriam voluntatem neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea, quæ ab eo data sunt; SED QUOMODO IPSE PER SCRIPTURAS SACRAS DOCERE VOLUIT, SIC INTELLIGAMUS.*

§. CCLXVIII.

Eadem TERTULLIANUS docet, de *Præscript. Hæreticorum* Cap. VI. Ubi inter alia ita: *Nobis vero nihil ex nostro Arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de Arbitrio suo induxerit. Apostolos*

postolos Domini habemus Auctores, qui NEC IPSI QUICQUAM EX SUO ARBITRIO quod inducerent elegerunt; sed ACCEPTAM A CHRISTO DISCIPLINAM fideliter nationibus adsignaverunt. Huic addimus CYPRIANUM, qui *Epistolarum* Lib. II. Epist. 3. ad Cœcilium Edit. Colon. ex recens. Erasmi pag. 129. 130. ita fatur: *Nonnisi CHRISTUS sequendus est, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit, cum ipse in Evangelio suo dicat:* Joan. 15. Si feceritis quod mando vobis, jam non dico vos servos sed amicos. *Et quod CHRISTUS debeat SOLUS audiri, Pater etiam de Cœlo contestatur dicens* Matth. XVII. Hic est Filius dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite. *Quare si SOLUS CHRISTUS AUDIENDUS est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esajam Prophetam Deus loquatur & dicat,* Cap. XXIX. Sine caussa autem colunt me, mandata & Doctrinas hominum docentes. *Et iterum Dominus in Evangelio hoc repetat dicens:* Rejicitis Mandatum Dei, ut Traditionem vestram statuatis. *Sed & in alio loco ponit & dicit:* Qui solverit unum ex Mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum. Matth. V. *Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemtionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere? aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare?*

OPTA-

§. CCLXIX.

OPTATUS denique Milevitanus Lib. V. Schism. Donatist. adversus *Parmenianum* ita pronuntiat: *Vos dicitis, licet: nos dicimus, non licet: Inter licet vestrum, & non licet nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: Omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Iudices. Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est Judex. Si Paganus non potest Christiana nosse Secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. ERGO IN TERRIS DE HAC RE NULLUM POTERIT REPERIRI JUDICIUM. DE COELO QUÆRENDUS EST JUDEX. Sed quid pulsamus ad Cœlum, cum habeamus hic in Evangelio Testamentum? Quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari: Tale est quod quivis hominum habens numerosos filios, quamdiu Pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium Testamentum: Sic & Christus, quamdiu præsens in Terris fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quicquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus Pater, dum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas; Et si fuerit inter fratres nata contentio, non itur ad tumulum sed quæritur testamentum; & qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus est Testamentum, in Cœlo est: Ergo Voluntas ejus velut in Testamento; SIC IN EVANGELIO REQUIRATUR.* Dum Patrum hic adduximus sententias, non ea nobis mens est, ac si ad illos ceu Religionis principium provocandum sit; Sed dum Adversarii nostri magni

magni eos faciant, proprio, si ita dicere fas sit ipsos jugulamus gladio. Ita enim hac de re scripserunt laudati Patres ac si ex professo Judicem illum Ecclesiæ Romanæ infallibilem, Christique Vicarium, eadem in præscribendis ac dirimendis fidei Articulis cum Christo potestate gaudentem refutare voluissent: Cum tamen nullus adhuc cogitaverit, ad tantum fastigium unquam Episcopum Romanum sese elaturum esse.

Licet nulla hac in parte ERASMI auctoritas sit, perutile tamen & minime supervacaneum erit, hic apponere egregia illius verba, quibus ad rem nostram vix melius quidquam dici potest. Extant illa in Libello cui hæc rubrica præfixa est: *Paracleſis, id eſt, adhortatio ad Chriſtianæ Philoſophiæ ſtudium.* Ubi inter alia ita habet: „ Primum est scire quid docuerit Christus, „proximum est præstare. Neque enim ob id, opinor, „quisquam sibi Christianus esse videatur, si spinosa mo„lestaque verborum perplexitate, de instantibus, de „relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus di„sputet, sed si quod Christus docuit, & exhibuit, id „teneat exprimatque. Non quod horum studium dam„nem, qui in argutiis hujusmodi non sine laude exer„cuerunt ingenii sui vires: sed quod existimem, & ve„re, ni fallor, existimo, puram ac germanam illam Chri„sti Philosophiam non aliunde felicius hauriri, quam „ex Evangelio & Apostolicis litteris, in quibus si quis „pie philosophetur, orans magis quam argumentans, „& transformari potius studens quam armari, is ni„mirum comperiet, nihil esse quod ad hominis feli„citatem, nihil quod ad ullam hujus vitæ functionem „pertineat, quod in his non sit traditum, discussum „& absolutum. Sive quid discere cupimus, cur alius „auctor magis placet, quam ipse Christus? Sive vi„vendi formam requirimus, cur aliud nobis prius est „exemplum, quam archetypus ipse Christus? Sive „pharmacum aliquod adversus molestas animi cupidi„tates desideramus, cur alibi putamus remedium esse „præsentius? Sive cupimus residem ac languescentem „animum expergefacere lectione, quæso ubi reperias „igni-

„igniculos æque vivos & efficaces ? Sive visum est „animum ab hujus vitæ molestiis avocare , cur aliæ „magis placent delitiæ ? Cur statim malumus ex ho„minum litteris Christi Sapientiam discere, quam ex „ipso Christo ? Qui quod pollicitus est, sese semper „nobiscum fore usque ad consummationem seculi, in „his litteris præcipue præstat, in quibus nobis etiam„num vivit, spirat, loquitur, pene dixerim, efficacius quam cum inter homines versaretur. Minus „videbant, minus audiebant Judæi, quam tu vides & „audis in Evangelicis litteris, tantum ut oculos & au„res adferas, quibus ille cerni & audiri possit. - - - „Mahumetæi sua tenent dogmata; Judæi & hodie ab „ipsis cunabulis suum ediscunt Mosen , cur nos non „idem præstamus Christo ? Qui Benedicti profitentur „institutum, regulam ab homine, eoque pene idiota, „& idiotis scriptam, tenent, ediscunt, imbibunt. Qui „Augustiniani sunt ordinis, Auctoris sui regulam cal„lent. Franciscani Franciscisui traditiunculas adorant „&c. Cur illi plus tribuunt regulæ ab homine scrip„tæ, quam universi Christiani suæ regulæ, quam om„nibus tradidit Christus, quam omnes ex æquo pro„fessi sunt in baptismo, denique qua, ut sexcentas eti„am addas, nulla possit esse Sanctior. - - - Hunc Au„ctorem (*Christum*) nobis, non Schola Theologorum, „sed ipse Pater cœlestis, divinæ vocis testimonio com„probavit, idque bis, primum ad Jordanem in baptis„mo, deinde in monte Thabor in Transfiguratione: „*Hic*, inquit, *est Filius meus dilectus, in quo complaci„tum est, IPSUM AUDITE.* O Solidam auctoritatem, „vereque, ut isti vocant, irrefragabilem ! Quid est, „IPSUM AUDITE ? Nimirum, hic unicus est Doctor, „hujus unius discipuli sitis.

§. CCLXX.

Ultima Thesis hæc est : *Propter infinitam Christi tam Personæ, quam muneris hujus prophetici dignitatem, ipsi soli hoc competit.* Sive ut clarius loquar : *Munus Doctoris infallibilis atque Ecclesiæ Capitis, gloriaque inde redundans, supra humanam sortem est.*

est. Ideoque Christo soli officium illud competit. Quod sic probatur: α. Infallibilis Ecclesiæ Doctoris munus est, ut hominibus voluntatem Dei, de vera ad æternam Salutem perveniendi via ostendat, ipsiquę medium patefaciat, quomodo Peccator iterum cum propria Salute ad Dei Gloriam esse possit. Illud autem facere nemo potest, nisi qui ipse divino Consilio interfuit, quique adeo divinus CONSILIARIUS est. Esajæ IX. *Ideo veritas per Jesum Christum contigit. Deum nemo vidit unquam: Unigena filius, qui est in sinu Patris, is EXPOSUIT.* Joh. I. 18. Unde *nec* ipse Christus *quidquam ex seipso potuit facere. Sed ut audit, sic etiam judicat.* Joh. VI. 30. Hinc & Apostoli nihil prædicare audebant nisi quod ab ipso Christo acceperant, hoc est, ipsum loquentem audiverant, & vel patientem vel facientem viderant. *Quod fuit à principio, QUOD AUDIVIMUS, quod VIDIMUS OCULIS NOSTRIS, quod & spectavimus, & nostris ipsi manibus tetigimus, (de sermone vitæ loquor, quæ vita patefacta est) id, inquam, & vidimus & testamur, & vobis vitam nuntiamus æternam, quæ apud Patrem erat, & nobis patefacta est.* 1. Joh. I. 1. 2. Nihil ergo dicebant Apostoli nisi quod immediate à Christo audiverant, ut nonnisi ipsa Christi verba prædicarent, unde infallibilis etiam eorum Doctrina fuit, dum ipsius Christi Doctrina erat. Liquet ergo α. nonnisi Christi Doctrinam in Ecclesia audiendam esse, dum solus ipse sciat, quæ à Patre audivit. β. Ille ergo unicus fons est, ex quo omnia ad æternam Salutem scitu necessaria hauriri debent. γ. Doctores Ecclesiæ audiendi non sunt, nisi ad Apostolorum Exemplum demonstrent, se ea quæ docent ex ipsius Christi

Christi Doctrina hausisse, ut non propria eorum sed Christi Doctrina sit; ut sicut Apostoli ad vivam Christi provocarunt vocem, ita Evangelii Ministri ad Litteras ejus provocare debent; ut dicere possint: *Quæ in ipso Christi Evangelio legimus, & quæ ipse Christus dixit, testantibus Evangelistis & Apostolis, hæc annuntiamus vobis.* &. Patet hodiernos Ecclesiæ Doctores non magis ac Apostolos proprio suo nomine loqui debere, sed eadem ab ipsis Doctrina prædicanda, quam Apostoli à Christo auditam Scripto nobis tradiderunt: *Verum*, inquit Paulus, *etiamsi nos, aut cœlestis Angelus, vos diversum doceat ab eo, quod vos docuimus, esto detestabilis. Ut jam diximus, nunc iterum dicam, si quis vos diversum docet ab eo, quod accepistis, esto detestabilis.* Gal. I. 8. 9. Cum ergo Apostoli nihil docere potuerunt, nisi quod immediate à Christo acceperant, Christus vero nihil nobis annuntiavit nisi quod in æterno pacis Consilio à Patre audiverat: Patet Doctrinæ salutaris infallibilitatem in hoc consistere, quod immediate ea à Deo habeatur, olim ex ipsius Christi ore, nunc ex ipsius Verbo. Sequitur neminem infallibilem posse esse Doctorem, nisi qui ipsi divino interfuit Consilio; unde supra humanam sortem est, infallibilem esse Ecclesiæ Doctorem, munusque hoc nemini nisi Christo competit.

Sacra insuper Scriptura testatur OMNES HOMINES ESSE MENDACES. Psalm. CXVI. 11. Rom. III. 4. Et ipsa jam experientia ostendit, & ipsos Angelos in diabolos posse converti, adeo ut ne ipsis quidem Angelis fides haberi possit, nisi certissima divinæ missionis suæ possint edere argumenta; quæ ratio est cur Paulus dicat, ne ipsis quidem cœlestibus Angelis fidem habendam, si aliud annuntient Evangelium quam ab Apostolis ex ore Domini Jesu Christi prædicatum fuit.

Ex

Ex quibus iterum patet non modo supra sortem humanam, sed supra sortem etiam Evangelicam esse, ut infallibiles existant Doctores, si extra Doctrinam à Christo allatam, ab Apostolis vero prædicatam, annuntient; ad Christum igitur solum & ad ipsius Evangelium, in Scriptis Apostolicis contentum, recurrendum; Ipse solus audiendus est. Ita Papæ etiam credendum censemus, si ex Christo loquatur, & præter Christi Doctrinam nihil afferat, suaque ex unica fidei nostræ norma demonstret, ut & Apostoli demonstrarunt, se divinos Legatos & suam Doctrinam Christi Doctrinam esse. At nihil Papam docere ajunt, nisi quod per Traditionem ab ipsis Apostolis acceperit, unde vel extra S. Scripturam mereatur fidem! Sed undenam scire possumus Traditiones illas præter S. Litteras aliquid continentes Apostolorum Doctrinam esse? Merito ab Episcopo Romano petimus, ut idem faciat quod Apostoli fecerunt, ut divinis operibus, veritatisque ad cujuslibet hominis Conscientiam evidenti demonstratione sese nobis commendet; & fidem faciemus illi, modo demonstret, sua præcepta Christi præcepta esse; non habet Pontifex cur hic de incredulitate nostra conqueratur, cum, uti jam à nobis probatum est, nec Apostoli, imo ne ipse quidem Christus petierit, ut soli ejus auctoritati, nullo veritatis Doctrinæ ac missionis ejus testimonio addito, fidem habeamus.

§. CCLXXI.

Dominum vero & Caput Ecclesiæ esse humanam sortem excedere probavimus Cap. III. §. 1506 - - 1510.

§. CCLXXII.

Gloriam ex hoc munere redundantem quod attinet, supponit illud omnimodam hominis à summo atque infallibili Ecclesiæ Doctore, Legislatore atque Capite dependentiam, ut actiones omnes suas æternam Salutem respicientes juxta illius voluntatem atque præscriptum dirigat, plenariam verbis illius fidem habeat, ut adeo om-

nem ſpem atque fiduciam in eo collocet, ut ipſi ceu tali ſummum honorem habeat. Munus ergo hoc ſi Creaturæ ſive mero homini adſcribitur, tantum unici Salvatoris honori derogat, & honor ipſi ſoli debitus detrahitur atque Creaturæ defertur, ut adeo homo talis ſupra humanam ſortem collocetur, Deique loco habeatur.

§. CCLXXIII.

Cum igitur Chriſtus, & quidem ſolus, à Patre ſummus & infallibilis Eccleſiæ Doctor fuit declaratus (§. 263.), ipſeque Chriſtus ſummi Doctoris munus ſibi ſoli vindicavit (§. 264.); Et ille ſolus ab Apoſtolis talis fuit agnitus (§. 265.); Et ipſi primorum ſeculorum Patres Chriſtum ſolum audiendum eſſe prædicarunt (§. 266-268.); Et infallibilis Doctoris atque Eccleſiæ Capitis munus Gloriaque inde redundans humanam ſortem excedit (§. 269 -- 271.): Sequitur, *Jeſum Chriſtum unicum Eccleſiæ Caput, unicum Eccleſiæ infallibilem Doctorem, ſolum in Verbo ſuo loquentem audiendum eſſe.*

Propoſitio II.

§. CCLXXIV.

Pontifex Romanus Chriſti in terra Vicarius, ſupremus Eccleſiæ Monarcha, & Doctor ſummus eſſe nequit, nec propterea eum talem eſſe ex S. Litteris probari poteſt.

Primum

§. CCLXXV.

Primum quod hic nobis demonstrandum venit hoc est: *Pontifex Romanus Christi in terra Vicarius esse nequit.* Quod ita probatur: Vicarius est, qui alterius vel absentis, vel impotentis, vel negligentis munere fungitur. Nemo igitur Vicarium admittit, nisi qui aut per aliquod tempus à muneris sui administratione cessat, vel non potest, vel non vult regimen suum administrare: Uti ex toto *Tit. de Offic. Vicar. C. Grandi* & Can. *petiisti Caus.* 7. *Quæst.* 1. patet. Oportet igitur, quod blasphemum, Christus accusetur vel negligentiæ, vel impotentiæ, vel absentiæ: *Primum*, uti diximus, esset blasphemum; *secundum* Christi verbis contrariatur, dicentis: *Mihi data est omnis potestas & in Cœlo & in terra.* Matth. XXVIII. 18. Unde Ecclesiæ suæ curam, regimen & administrationem etiam post ascensionem suam in cœlum non deposuit; Non modo enim promittit *se adfuturum Ecclesiæ suæ perpetuo, usque ad finem sæculi.* Matth. XXVIII. ult. Sed *pedibus etiam ejus omnia subjecta dicuntur, isque supra omnia Ecclesiæ Caput esse, quæ ejus Corpus sit, omnia complens in omnibus dicitur.* Eph. I. 22. 23. Ex quibus sequitur plenius ipsum, quam in terra hac degens habuit, imperium per seipsum in propria Persona administrandum suscepisse. *Tertium* Christum scilicet absentem esse, dici nequit, contrarium enim Discipulis suis promisit, loco modo citato Matth. XXVIII. vs. ult. E. *Christo Vicarius, Ecclesiam vice ejus gubernans, obtrudi nequit.*

§. CCLXXVI.

Alterum, quod probandum, hoc est: *Pontifex Romanus supremus Ecclesiæ Monarcha esse nequit.*

Pontificii Monarchicam Papæ in Ecclesiam Autoritatem, ex Regiminis Monarchici præstantia probare contendunt, uti BELLARMINUS Cardinalis Lib. 1. de Pontif. Cap. IX. *Si Monarchia optimum est ac præstantissimum Regimen; & certum est Ecclesiam Dei, à sapientissimo Principe Christo institutam, optime gubernari; quis inficiari potest, ejus Regimen debere esse Monarchicum?* An Monarchia in se reiminis præstantissimum genus sit nunc non disquirimus. Concedimus potius Ecclesiæ Regimen omnino debere esse Monarchicum. Sed quæritur quis Monarcha ille sit? Duo Monarchæ in eodem Regno esse non possunt, alias Monarchia esse desineret; Unus ergo in Ecclesia Monarcha est: Nos Christum talem agnoscimus atque veneramur; Si Pontificii hac in re nobiscum facere velint, Papam Christo adjungere non debent; recte ideo BONIFACIUS VIII. *Ecclesiæ unius est unicæ unum Caput non duo Capita, quasi Monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique Successor.*

§. CCLXXVII.

De Monarchica hac in Ecclesia Potestate jam Cap. III. Sect. XX. à §. 1480. usque ad §. 1511. disputatum à nobis fuit, quibus nunc ea quæ ad evidentiorem adhuc demonstrationem faciunt addimus. Concedent Adversarii mei, Christi Regnum, de quo agitur, à Politicis hujus mundi Regnis differre ut plane *spirituale* sit, ut Christus imperium cum Principis terreni regimine, quoad modum etiam administrationis, conferri minime possit. Aperte ipse Christus hoc confitetur Joh. XVII. 36. 37. *Regnum meum hujus mundi non est: si hujus mundi esset regnum, pugnavissent mei Ministri, ne Judæis addicerer. Verum meum Regnum hinc non est.* Differentia autem alia nulla esse potest, quam quod Regimen politicum externas hominis actio-

actiones, bonum Civitatis temporale, Reipublicæ sive humanæ Societatis conservationem, adeoque *corporalia* tantum & *externa* respicit, quæque adeo per hominem, cui Reipublicæ cura demandata est, administrari possunt. Regimen vero Ecclesiasticum non actiones modo externas Civium respicit, sed præcipue *internas*, id est animæ cogitationes, non tam *statum* hominis *temporalem*, sed *spiritualem* & *æternum*: Requiritur ergo ab universali Ecclesiæ Monarcha, ut Dominium suum exerceat, non in Corpora solum, sed in hominum animas, ut omnibus & singulis salutis æternæ viam monstrare, ut hominum Intellectum illuminare, ut cor atque voluntatem eorum flectere, ut fideles Regni cœlestis subditos illos facere possit. Omnia porro sciat oportet quæcunque in spirituali hoc Regno à Civibus fiunt, omnia dirigere debet ad ultimum Civitatis Dei finem, quæ ita comparata sunt, ut humanam cognitionem, potentiam atque sapientiam superent; sequitur hominem mortalem Monarcham ejusmodi Oecumenicum esse non posse, dum nec subditos suos omnes & singulos cognoscere, nec intellectum ipsorum illuminare, nec voluntatem ipsorum flectere, nec eos adversus hostium insultus defendere, nec civium molimina ad ultimum divinæ Civitatis finem dirigere queat. E. *nec Papa Romanus Monarcha ejusmodi universalis in Regno Spirituali esse potest.*

Ex iis quæ diximus patet, quod si Papa Romanus vel pientissimus atque Sapientissimus mortalium esset, Regimen tamen Ecclesiasticum ac Spirituale hoc administrare minime posset; Sed ipsos Adversarios Judices constituo, si sepositis auctoritatis præjudiciis judicare velint, an homo omnibus Vitiis deditus dignus uni-

versæ Ecclesiæ Episcopus atque Rector esse possit, ut Christi in terra Vicarius dici mereatur; audiamus hac de re BARONIUM *Annal. Eccles. Tom. X. ad Annum DCCCCXI. n. 8. col. 685. Edit. Colon.* A. 1624. Ubi ita de Christi Vicario loquitur. „ Quæ tunc facies „Sanctæ Ecclesiæ Romanæ? Quam fœdissima, cum Ro„mæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ „meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, da„rentur Episcopi, & quod auditu horrendum & ne„fandum est, intruderentur in sedem Petri earum „amarii Pseudo Pontifices, qui non sint nisi ad con„signanda tantum tempora in Catalogo Romanorum „Pontificum scripti. Quis enim à scortis hujusmodi „intrusos sine lege, legitimos dicere posset Romanos „fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel postea „consentientis aliqua mentio, canones omnes pressi „silentio, decreta Pontificum suffocata, proscriptæ „antiquæ Traditiones, veteresque in eligendo summo „Pontifice consuetudines sacrique ritus & pristinus „usus prorsus extincti: sic vendicaverat omnia sibi lu„bido seculari potentia freta, insaniens, œstro percita „dominandi. Dormiebat tunc plane alto (ut appa„ret) sopore Christus in navi, cum hisce flantibus va„lidis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. Dormie„bat inquam, qui ista videre non dissimulans sineret „sic fieri, dum non exsurgeret vindex. Et quod de„terius videbatur, deerant qui Dominum sic dormi„entem clamoribus excitarent discipuli, stertentibus „omnibus. Qualesne reris delectos ab hisce mon„stris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuisse pu„tandum, cum nihil tam naturæ insitum sit, quam „unumquemque sibi similem progenerare? quos in „omnibus iis, à quibus delecti fuerint, consensisse „dubitare quis poterit: imitatosque esse ipsos secta„tosque eorum vestigia quis non facile credat? & op„tasse hos omnes, Dominum dormisse semper, & „nunquam in judicium surrecturum, evigilaturum „nunquam ad ipsorum cognoscenda & punienda faci„nora, quis non intelligat? „ Satis unicuique ex hisce patet; quam digni Christi Vicarii atque Ecclesiæ Monarchæ extitissent, si munus hoc Romano Pontifici competeret. Apparet quis solus Ecclesiæ Rector

sit,

sit, Christus scilicet, qui si dormiat, hoc est, aliquantisper Ecclesiæ curam remittat, eamque sibi relinquat, omnia statim pessumeunt, actum ergo de Ecclesiæ navi esset, si Capiti visibili illi Ecclesiæ cura penitus commissa esset.

§. CCLXXVIII.

Etiam sic Thesis hæc probatur: Quisquis monarchicum Ecclesiæ Regimen affectat, fratribus suis, hoc est, aliis Ecclesiæ Ministris injuriam facit, eorum dignitatem atque honorem minuit; hoc autem ne fiat cautum est C. *Nullus, seq. Dist.* 99. & C. *finis Dist.* 40. & ipse Christus talem in Ecclesia dominatum prohibuit Matth. XX. 26. *Inter vos*, inquit, *non sic agetur: quin qui volet in vobis maximus fieri, sit vester famulus: & qui volet in vobis esse primus, esto servus vester.* Et Lucæ XXII. 24. 25. 26. *Exstitit etiam inter eos contentio, quis eorum maximus esse videretur? At ille: Gentium Reges (inquit eis) in eas dominantur: quique eis imperant Gubernatores appellantur. At vos non ita: quin vestrum maximus perinde sit ac minimus.* E. *nemo in Ecclesia Regimen Monarchicum affectare debet.*

§. CCLXXIX.

Tertium, quod nobis demonstrandum, hoc est: *Papa Romanus summus Ecclesiæ Doctor esse nequit.* Theseos hujus veritas ex *Propositione I.* patet, cum enim ibi demonstratum sit, Jesum Christum unicum Ecclesiæ Caput, unicum Ecclesiæ Doctorem infallibilem, solum in Verbo suo loquentem audiendum esse (§. 272.); patet, eoipso Romanum Papam excludi. Ut ad ipsos Adversarios veritatis hujus testes provocemus adhuc supereſt; LEO Papa Can. *Quid autem*, de falsis Doctoribus sic loquitur: *Non ad Propheticas voces, non*

ad Apostolicas litteras, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo Magistri Erroris existunt: quia veritatis discipuli non fuerunt. Et Can. *Si is* Cauſ. 11. Quæſt. 3. *Is, qui præest, si præter voluntatem Dei, vel præter quod in Sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei, aut Sacrilegus haberi debet. Et contra Scripturam siquid imperet, vel, quod in ea præceptum est, prætereat, Apostoli sententia ei ingerenda est, dicentis; Etiamsi nos, aut Angelus de Cœlo evangelizaverit vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit.* Cum igitur is qui extra vel præter Sacras Scripturas aliquid docet, & propria in docendo utitur autoritate, dum ad seipsum recurrit, falsus Doctor & Sacrilegus habendus sit; Papa aut agnoscat oportet Sacram Scripturam unicam fidei normam, ut nihil admittendum sit nisi quod evidenter ex Litteris Sacris demonstrari potest; aut propria auctoritate aliquid extra & præter Sacram Scripturam in Ecclesia credendum præscribit: *Prius* si faciat eo ipso Christum unicum & summum Ecclesiæ Doctorem in Verbo suo loquentem agnoscit, & hoc in casu nobiscum sentit, ut nihil habeamus contra. *Posterius* vero si faciat, seipsum ceu falsum Doctorem ac Sacrilegum condemnat.

§. CCLXXX.

Quarta Propositionis pars hæc est: *Papam Christi in terra Vicarium, supremum Ecclesiæ Monarcham & Doctorem summum esse ex S. Litteris probari nequit. Imo nullo modo certum esse potest, num is qui se Pontificem dicit, & Pontifex vulgo existimatur, vere talis sit?* Prius Theseos hujus membrum sic probatur: Ex ipso Sacrarum Litterarum Textu,

Pon-

Pontificum in Ecclesia dominatum damnante, neque ullam Pontificis Romani, vel universalis Episcopi humani, vel Christi in terra Vicarii, mentionem faciente, id præstare nequeunt. Unde id probent oportet ex violento Scripturæ sensu, quem Papa determinat. Papam ergo Ecclesiæ Caput, atque Christi Vicarium esse ex eo probant, quod ille Scripturæ sensus, quem Romanus Episcopus S. Litteris affingit, id affirmet, & hunc verum & genuinum sensum esse inde probant, quod Papa eum auctoritate sua approbaverit. Committunt autem circulum, dum ex quodam Scripturæ sensu Papæ auctoritatem probare volunt, ex illa vero Papæ auctoritate probant hunc & non alium esse Scripturæ sensum.

§. CCLXXXI.

Provocant hic ad decantatum illud Christi dictum Matth. XVI. *Tu es Petrus* &c. Ex quo loco probare contendunt Papam infallibilem esse, licet ne littera quidem de Papa aut ejus infallibilitate hic mentio fiat. Si dicant, Petrum infallibilitatis dono præditum hic Christi Vicarium fuisse constitutum, Romanos vero Episcopos legitimos ejus Successores esse, jure ab ipsis petimus, an hoc infallibilitatis donum soli Petro privum, an vero omnibus Apostolis commune fuerit? posterius autem negare non poterunt, dum Apostoli eosdem divinæ missionis characteres habuerint oportet. Si vero hoc sit, duo ipsis probanda incumbunt, licet concederemus Petrum esse petram illam, cui Ecclesia inædificanda sit, nempe 1. Idem quod Petrus, extraordinarius Jesu Christi Minister, infallibilitatis donum habuit, etiam Papæ Romano competere, 2. Donum hoc

nonnisi Petri Successoribus privum esse, reliquorum vero Apostolorum, qui tamen non minus ac Petrus fuerunt infallibiles, Successores, sive eos quos passim Episcopos constituerunt, ab hoc dono excluſos esse. Harum rerum dum ne minimum quidem in S. Litteris deprehendatur vestigium, merito contendimus *Papam infallibilem Christi Vicarium & Monarcham Ecclesiæ Universalem esse ex Sacra Scriptura probari nullo modo posse.*

§. CCLXXXII.

Alterum Theseos hujus *membrum* quod attinet, *an certi esse possimus, quod is, qui Pontificem se dicit & talis existimatur, talis revera sit:* Videndus est LA PLACETTE *De insanabili Romanæ Ecclesiæ Scepticismo* Cap. IV. Ubi probat sæpissime contingere, ut is qui Pontificalem sedem occupat, Pontifex revera non sit, sed Pontificis duntaxat larva. Quod multiplici fieri potest modo. I. Si Electio fuit vitiosa, non observatis iis omnibus, quæ canones tanquam necessaria requirunt; unde tot in Ecclesia Romana orta fuere Schismata. II. Etiam ante electionem potuit habere impedimentum aliquod Canonicum; ut quod illegitime fuerit natus, vel quod non fuerit baptizatus aut ordinatus, propter defectum intentionis in baptizante vel ordinante, aut in eo à quo ordinator baptizatus vel ordinatus olim fuit. Si vero vel baptizatus vel ordinatus rite non fuerit, etiam Pontifex esse nequit. III. Potest per Simoniam Pontificatum adeptus esse, quo casu Pseudo-Papa intrusus, à Nicolao II, & Julio II. Apostaticus declaratur, vetaturque à quibusvis suscipi. IV. Imo Pontificiæ dignitatis incapax etiam post electionem fieri potest, per Atheismum

mum, infidelitatem & hæresin, tam apertam quam occultam sive mentalem.

§. CCLXXXIII.

LIBERATO & ipso BARONIO memorante Vigilius tribus atrocissimis flagitiis viam sibi ad dignitatem Papalem aperuit. Violenta nimirum decessoris sui Silverii expulsione, quem in Palmeriam Insulam deportari, & fame confici curavit; tum promissione stabiliendæ hæreseos cui Theodora Augusta favebat; tum denique manifesta Simoniâ, data Belisario magna argenti summa. Neque adversarii habent cur dicant, Vigilium pessimis quidem artibus ad Pontificiam dignitatem grassatum, sed tot male facta emendasse, dum statim à Silverii morte Pontificatum abdicaverit, nec illum prius receperit, quam nova & canonica electione restitutus fuerit. Ante BARONIUM enim nemo hoc prodidit, unde Adversarii non habent cur tam confidenter hoc affirment.

Hac de re disputantem vide la PLACETTE loc. cit. pag. 16. 17. 18.

§. CCLXXXIV.

Nonnulla hic de Papis, malis artibus intrusis, juvabit adducere testimonia. Ita nimirum GENEBRARDUS *Chron. ad Annum* 901. *Seculum*, inquit, *hoc uno infelix, quod per Annos fere* 150. *Pontifices circiter* 50. *à Joanne scilicet VIII. qui Nicolao & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit, ad Leonis IX. usque, à virtute majorum prorsus defecerint, Apostatici, Apotacticive potius quam Apostolici, quando non per ostium, sed per posticum, id est Imperatorum Tyrannidem ingrediebantur.* Quæ de iisdem

dem temporibus ad annum 908 BARONIUS habeat supra jam à nobis allegata fuere; ad annum 897 pulsum dicit à Stephano Bonifacium, intrusum ab intruso. PLATINA in vita Sylvestri III. dicit: *Eo tum Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione, ambitione, non dico sanctitate vitæ, & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis obtineret; quem morem utinam non retinuissent nostra tempora.* Alexandrum VI. Pontificatum tam præsentibus nummis, quam aliis promissis redemisse testantur Onuphrius, Volaterranus, Guicciardinus. Et ita RAINALDUS ad annum 1492. *Ab optimis hisce Consiliis abfuere tum plerique Cardinales, quos partim auro corruptos, partim Sacerdotiorum, præfecturarumque pollicitationibus, partim vitiorum, impurorumque morum similitudine pellectos suffragia sua in Rodericum Borgiam tulisse queruntur auctores, nec virum elegisse Castimonia, sed stupris insignem.* Leonis vero X. assumtionem duplici modo procurasse Octavianum Fregosium, Genuensium Ducem, dum nimirum emissariorum suorum prensationibus Cardinalium quorundam suffragia conciliaverit, alios vero illi infensos navali itinere Romam pergentes tamdiu captivos detinuerit, donec ille electus esset, teste VARILLAO Franc. I. Liv. 1. Ex hisce, quibus alterum Theseos quartæ membrum probavimus, patet, *sciri nunquam posse, ex ipsis Pontificiorum hypothesibus, an aliquis revera Papa sit nec ne?*

Pro-

Propositio III.

§. CCLXXXV.

Papa Romanus Infallibilis Scripturæ Interpres atque controversiarum Judex esse nequit.

§. CCLXXXVI.

Ut ordine hic procedamus explicandum α. quid Adversarii per Ecclesiam intelligant, cui infallibilitatem in dijudicandis fidei Articulis adscribunt. β. Quid infallibilitas illa significet. γ. Quandonam Ecclesia repræsentativa, quam vocant, infallibilis habeatur. δ. In quibusnam rebus. ε. Papam neutiquam infallibilem esse, ex ipsorum Paparum infallibilium confessione probabimus. ς. Ut & ex multis illis contradictionibus, quibus unus ceu falsum damnavit quod alter verum judicavit & viceversa.

§. CCLXXXVII.

ECCLESIAM Romano-Catholici dividunt in *Universalem* & *repræsentativam*. Per *Universalem* totam Christianorum communionem intelligunt, sive sint Clerici sive Laici, eadem professione uniti: Per *Repræsentativam* eam communionis hujus partem intelligunt, quæ reliquis fidei normam atque Leges præscribere potest, sive *Papa* sit sive *Concilium*. Utramque hanc Ecclesiam infallibilem dicunt, Universalem in *credendo*, repræsentativam vero in *docendo*. De primæ infallibilitate hic non agitur, sed de secundæ. Quæritur quænam proprie infallibilitatis sedes sit, an Papa solus,

lus, an Concilium sine Papa, an vero Papa cum Concilio simul? Papam solum infallibilem non esse in hac, reliqua in sequente, Propositione demonstrabimus.

§. CCLXXXVIII.

Quæritur *secundo* quid per *infallibilitatem* intelligendum sit? Qui propositionem veram pro falsa habet, aut falsam pro vera is *errare* dicitur; Unde *error est assensus propositioni falsæ datus* (Cap. V. §. 1902.). Qui ergo Propositiones veras semper pro veris habet, & falsas pro falsis, is errare nunquam potest. *Impossibilitas* vero *errandi est infallibilitas.* Infallibilitas absoluta soli Deo competit, quippe qui omnis veritatis Auctor omnia unico actu qualia sunt sibi repræsentat. Hypothetice autem qualitas hæc hominibus etiam adscribitur, quatenus immediata divini Spiritus actione loquuntur vel agunt, uti olim Prophetæ & Apostoli. Talem *infallibilitatem* Pontificii ita dicto Christi Vicario sive Ecclesiæ Capiti tribuunt; quæ adeo consistit *in impossibilitate errandi in determinandis fidei rebus*; Ut fide divina omnia ea credenda sint, quæ, nulla ex S. Litteris addita demonstratione, Papa pro sola sua auctoritate credenda jubet.

§. CCLXXXIX.

Papam tamen, quod *tertium* est, non semper & omnibus casibus infallibilem statuunt, sed tunc solum quando *ex Cathedra loquitur*: Illi ipsi nimirum qui Papam solum absque Concilio infallibilem statuunt, varias adhibent distinctiones ac limitationes, quarum maxime vulgares hæ sunt. *Primo* nempe, inquiunt, Papam considerandum

randum esse, vel ceu hominem *privatum*, vel ceu *personam publicam*; si personam publicam agat, ipsum vel sententiam dicere rogatum, vel Episcopi peculiaris tantum vicibus fungi, vel Pontificia auctoritate universæ Ecclesiæ Leges ferre; & denique vel *extra Cathedram* loqui, vel *ex Cathedra*. Quod vero ab ipsis Pontificiis non uno modo intelligitur, dum aut de publico fidei judicio in conciliis lato sumitur, aut de publica in Curia Romana sententiarum pronuntiatione. Ad quam moderni plerique requirunt, ut 1. agatur de re universam Ecclesiam spectante, addita clausula pœnali. 2. Ut ex consilio consensuque Cardinalium id fiat. 3. Ut in locis debitis, ad Basilicarum atque Cancellariæ Apostolicæ valvas & in Campo Floræ per sufficiens tempus affixæ promulgentur. Omnibus his adhibitis distinctionibus Adversarii inter se non consentiunt, asserentibus nonnullis, Papam extra Cathedram in fundamentales prolabi posse errores, aliis negantibus quod ceu persona privata hæreticus esse & fundamentaliter errare possit.

Videndus hac de re JO. LAUNOIUS Epist. Parte III. Epist. V. VI. Parte IV. Epist. IV. Parte V. Epist. IX. Parte VI. Epist. XI. Ut etiam circa hunc Articulum videamus Scepticismum Pontificium, audiamus DU PIN De Antiq. Eccles. Disc. Dissert. V. Præloq. ubi ita: *Quibusdam loqui ex Cathedra, idem est ac cum Concilio loqui; sed isti non tam videntur infallibilitatem Pontifici tribuere, quam Concilio. Aliis ex Cathedra loqui, idem sonat ac secundum scripturam & traditionem loqui; quæ quidem expositio nihil magis tribuit Pontifici, quam cuilibet alii; certum*

certum enim est eum non errare, qui secundum Scripturam & Traditionem loquitur. Sed illud quæritur, quomodo & an certo sciri possit, Pontificem secundum Scripturam ac Traditionem loqui? Quod si cuilibet examinare liceat, ruit profecto infallibilitas illa Pontificia. Alii sic explicant illud ex Cathedra loqui, ut idem sit ac loqui re mature & diligenter examinata. Vulgatissima expositio verborum istorum, quam Cajetanus, Bellarminus, Duvallius & alii subministrant, hæc est, Pontificem loqui ex Cathedra, cum circa fidem aut bonos mores Ecclesiam docet, sed nec ista nodum plane solvit; ulterius enim quæritur, unde cognoscatur utrum Ecclesiam doceat universam, an vero ut privatus loquatur? Hic eis aqua hæret. Quidam dicunt Pontificem tunc censeri Ecclesiam docere, cum decretalem condit; alii cum consultus respondet; Nonnulli cum Bulla ejus certo tempore ad valvas Sancti Petri affixa est, quo nihil ineptius dici potest. Addit hisce, *Cæterum inde colligitur quanta sit eorum, qui Romanum Pontificem infallibilem esse docent, in sua opinione tuenda anxietas & inconstantia, ex qua de ejus falsitate præjudicari quodammodo potest: Enimvero ut certi esse possimus de infallibilitate judicii alicujus à Romano Pontifice lati, debemus habere certam regulam, per quam manifeste cognoscamus hoc illorum de numero esse quæ necessario infallibilia sunt. At nondum de ejusmodi Regula convenit inter eos ipsos qui Pontificem infallibilem esse prædicant, sed hi quidem unam, alii vero aliam conditionem ad certitudinem alicujus judicii Pontificii requisitam esse contendunt ac proinde necesse est judicium illud in dubium ab aliquibus revocari, quod ab aliis pro certo & infallibili habebitur. Quomodo ergo quisquam potest esse certus*

hoc

hoc vel illud judicium de numero infallibilium esse, cum secundum aliquos in dubium revocari possit, secundum alios de eo dubitare sit nefas? Ergo hic ἐπέχειν *oportet, & neutrum judicium pro infallibili habere.*

§. CCXC.

Variis modis limitantur Pontificii infallibilitatem Papæ; vidimus nunc quomodo limites ponant ratione *Subjecti*, observandum etiam qualibus limitibus infallibilitatem hanc circumscribant ratione *objecti?* Huc pertinet quod ea se extendat, non ad res *Philosophicas*, sed ad res *Fidei*, non ad res *Facti*, sed ad res *Juris*, non ad res *Disciplinæ*, sed ad res *Doctrinæ*, non ad *res omnes* Fidei & Doctrinæ, sed *ad eas solum* quas *Papa* proponit ut *res Fidei.*

Observandum, nec hic in omnibus consentire Pontificios, sed in varias abire sententias, quod ostendit Vir Celeb. JOH. ALPH. TURRETINUS in Dissert. de *Pyrrhonismo Pontificio* §. XX. seq. & Doctiss. SCHÜZIUS in Dissert. *de Infallibilitate Pontificum Romanorum* Αὐτοκαλαχριτῳ in not. ad 8. 1.

§. CCXCI.

Præmissis nunc hisce ad ipsam Propositionis nostræ demonstrationem accedimus, Papam neutiquam infallibilem esse duplici modo demonstratuxi; & α. quidem ex ipsis Paparum confessionibus, quod argumentum ita infallibile est, ac ipsi Papæ in Ecclesia Romana habentur infallibiles. β. Ex contradictionibus eorum in decidendis fidei Articulis. Nullum enim argumentum melius est,

Ecclesiam aliquam infallibilem non esse, quam si demonstretur eam actu errasse. Actu vero eam errasse melius demonstrari non potest, quam si ostendatur contradictoria ipsam statuisse.

§. CCXCII.

Primum quod attinet, ingenuas scilicet Paparum confessiones: non potest non argumentum hoc apud ipsos Pontificios magni ponderis esse, dum Papæ infallibiles ipsimet optime scire possunt num infallibiles sint nec ne? Optime ideo se habent Gallorum contra Italos argumenta, qui non modo ex Scriptura, ex Veteris Ecclesiæ disciplina; ex innumeris Pontificum Romanorum, qui reipsa errarunt, exemplis: ex pugnantibus Paparum decretis; sed ex plurium quoque Pontificum confessionibus Papæ infallibilitatem exagitarunt, qui propterea, æque ac Itali contra Conciliorum infallibilitatem, arma nobis ministrarunt, quibus Papæ impugnemus infallibilitatem.

Si nimirum ostendatur Papam aut ipsum confessum esse falli & fallere se in dijudicandis fidei Articulis potuisse, adeoque dubiam esse Fidem suam, aut ipso facto errasse, ejus ἀναμαρτησιαν credere nemo debet. Optime DU PIN *De Antiq. Eccles. Discip. Diss. V. in Præloq. Quo majus*, inquit, *& excellentius est istud* (Infallibilitatis) *donum, eo diligentius cavendum est, ne illud temere ac sine fundamento ipsis* (Pontificibus) *adscribamus: Nam præterquam quod indignum est alicui autoritatem eam quæ ipsi non competit tribuere, nihil magis periculosum quam eum, qui possit errare, infallibilem credere; Si enim*

enim contingat eum de facto errare, necessario in errorem ducuntur, qui eum deficere minime posse arbitrantur, cum ei autoritati, quæ putatur infallibilis, adhærendum omnino sit. Igitur Romani Pontificis infallibilitatem credere nemo debet, nisi tam perspicue demonstratur, ut nullus dubitationi superstit locus. Nam nisi omnino certum sit eum esse infallibilem, qui potest ejus Judicium pro certo & infallibili haberi? Quippe si probabile tantum est Pontificem esse infallibilem, potest id etiam esse falsum; Quod si falsum id esse potest, potest in particulari judicium quodlibet Papæ esse falsum: Quomodo ergo dicetur infallibile judicium quod potest esse falsum.

§. CCXCIII.

Primum quod adducimus exemplum, quo Papa ipsemet labilitatem suam confessus est, nobis præbet ALEXANDER IV. Restrinxerat nimirum *Innocentius* IV Minoritarum privilegia per bullam, quam hanc ob caussam ediderat: Revocavit autem Alexander hanc Antecessoris sui bullam, aliamque huic plane contrariam promulgavit, sequentia adjiciens verba ut auctoritatem ei conciliaret: *Nihil*, inquit, *est extraordinarii illud, quod præjudicio ac præcipitantia statutum erat accuratiori subjicere examini.* Vide WADINGIUM *Append. Tom. II.* pag. 18. Declaratur ergo hisce α. Pontificem ex Cathedra loquentem, uti id Innocentius fecerat, præjudiciis agi ac præcipitanter judicare posse, quod quantopere infallibilitati contrarietur cuivis perspicuum est. β. Unum Pontificem retractare posse, quæ alter decreverat.

§. CCXCIV.

Alterum nobis præbet exemplum JOANNES XXII, qui hanc de animarum à Corpore solutarum beatifica Dei visione fovebat sententiam; eas in morte ad resurrectionem usque corporis visione Dei excluſum iri, cum Corpore vero iterum conjunctas Deum visuras esse; quam sententiam tribus ab ipso sermonibus declaratam, magno nisu seu hæreticam Doctores Parisienses rejecerunt, qui litteris ad Pontificem datis declararunt, Hæreticorum supplicium ipsum manere, nisi intra sex menses hanc revocaret Doctrinam. Unde in ipso Cardinalium Collegio hisce verbis suam revocavit Doctrinam: *Fatemur & credimus, quod Animæ videant Deum facie ad faciem & divinam Essentiam clare, in quantum conditio & ſtatus patitur animæ ſeparatæ. Si vero alia & aliter contra materiam hujusmodi per nos dicta & prædicata vel ſcripta fuerunt (quoquo modo illa prædicavimus vel ſcripſimus contra præmiſſa, vel alia, quæ fidem concernant catholicam Sacramque Scripturam, aut bonos mores) illa abnegamus, & determinationem Eccleſiæ vel Sacræ Scripturæ approbamus. Alias autem dicta vel ſcripta illa habemus & haberi volumus pro non dictis & ſcriptis, eaque revocamus expreſſe. Ac prædicta omnia, & quæcunque dicta & prædicata fuerunt, vel ſcripta per nos de quacunque materia, ubicunque & in quocunque loco & in quocunque ſtatu, quem habuimus & habemus vel habuerimus, omnia ſubmittimus determinationi Eccleſiæ ac Succeſſorum noſtrorum.*

§. CCXCV.

Sequitur *tertio loco* HADRIANUS VI. Ita is *in quæſtionibus in Libr. X. magiſtri ſententiarum, Art. III.*

III. de Sacramento confirmationis pronuntiat: *Certum est, quod Romanus Pontifex possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo, plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Et deinceps: *Evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii assument.*

Dici hic posset Hadrianum hæc scripsisse antequam eligeretur Papa, cum adhuc Professor Theologiæ Lovaniensis esset. At recudi tamen hæc curavit cum in Cathedra Romana sederet, neque illa, licet à nonnullis monitus, mutare voluit.

§. CCXCVI.

Idem *quarto* etiam CLEMENS VI. atque URBANUS V. confessi sunt. Prior in constitutione die XI. Oct. MCCCLI. data, vide ANONYMI *histoire des Papes* Tom. III. pag. CCCCLX. ubi RAINALDUS ad annum MCCCLI. §. XXXVIII. citatur ut & BALUZI *vitæ Pap. Avenionensium.* URBANUS vero V. teste BALUZIO *in Vitis Pap. Aven. vita Urbani V.* Tom. I. pag. CCCLXXXXVIII. ἀναμαρτησιαν suam sequentibus negavit verbis: *Postquam*, inquit Auctor citatus, *Urbanus V rediit de partibus Italiæ - - magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens se gravari - - ad illa quæ animæ Salutem concernere poterant, totaliter se convertit - - præsentibus etiam Camerario, Confessore, pluribusque aliis familiaribus suis, ac aliis multis notabilioribus personis dixit & asseruit se tenere & credere firmiter sicque confessus est simpliciter quicquid Sancta Ecclesia Catholica tenet, docet & prædicat, & si per prius docendo, legendo, conferendo, prædicando aut disputando vel alias aliud quovis modo prædicaverat vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se & dicta*

sua hujusmodi correctioni & determinationi dictæ sanctæ matris Ecclesiæ, à qua asseruit nunquam se deviasse scienter.

Inquis, Papam hic sese judicio Ecclesiæ submittere adeoque Ecclesiam infallibilem agnoscere. Sed quid intelligunt per *Ecclesiam*, an vocem mente cassam? Hoc omnino non dicent. An intelligunt Ecclesiam Universalem, Papam, Doctores, Concilia, Laicos simul sumtos? Sed nihil unquam pronuntiavit hæc Ecclesia. Aut ergo per Ecclesiam intelligant oportet Papam aut Concilia. Priori sensu Ecclesiam infallibilem non esse, hac propositione demonstramus, & ipse id Hadrianus confitetur; non magis Concilia infallibilia esse Propositione sequente demonstrabimus.

§. CCXCVII.

Omnium autem clarissimum GREGORII XI testimonium est, quod *quinto* loco addimus: extat illud in Testamento ejus in Tomo VI. Spicilegii LUCÆ DACHERIJ, quod sæpius, ad infallibilitatis figmentum expugnandum repetit LAUNOIUS, uti Part. I. Epist. XI. Part. III. Ep. I. Part. VI. Epist. XIV. Ita autem sonant eximia illa Gregorii verba: *Item volumus dicimus & protestamur ex nostra certa scientia, quod si in consistorio, aut in concilio, vel in Sermonibus, vel in collationibus publicis vel privatis ex lapsu linguæ aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia aut superfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam Fidem, quam coram Deo & hominibus, ut tenemus, præ cæteris profitemur, colimus & colere cupimus, seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra catholicam*

licam Religionem obloquentibus, illa expresse & specialiter revocamus, detestamur & habere volumus pro non dictis.

§. CCXCVIII.

Aliud Confessionis ejusmodi exemplum nobis exhibet PAULLUS IV. qui cum Cardinalis adhuc existeret concilio Cardinalium & Episcoporum interfuit, quod à Paullo III. habitum, in quo memoratus Cardinalis, postea vero Papa, decreto ad Papam directo ipsemet subscripsit. In quo post gravissimas de Ecclesiæ ac Curiæ Romanæ abusibus querelas sequentia leguntur verba: *Principium horum malorum inde fuit, quod nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab iis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum est - - quod confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse Dominum beneficiorum omnium, ac ideo cum Dominus vendat id, quod suum est, necessario sequi in Pontificem non posse cadere Simoniam. Ita quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur, ex quo procul dubio efficiatur, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eum ad desperationem fere Salutis laborasse.* Dices, Paullum Decreto huic subscribentem nondum fuisse Pontificem, adeoque testimonium hoc nullum esse, dum demum in Sedem Romanam elatus infallibilis fuerit factus; Audiamus ergo eum cum ex ipsa Cathedra loqueretur. De solvendo nimirum matrimo-

nio inter *Franciscum Mommorantium* & *Joannam Hallvynam Piennæam* An. 1557. consultus teste MICHAELE CASTELNOVO MALVISSERIO *Tom. II. Commentariorum* & in *Libro IV. additionum*, apud LAUNOJUM *Epist.* pag. 164. inter alia ita pronuntiabat: *Ne quæso vos teneant decessorum meorum facta & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducent. (Dixit adhuc quod sequitur), non dubito quin ego & Decessores mei errare aliquando potuerimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus; & tamen condemnandi plane non sumus, nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefecit; quod Christus ipse satis innuit, cum beato Petro dicebat, quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea; & in alio loco ajebat; adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quis igitur scit modo, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum ante fuerant incognita, per nos Deus in apertam lucem nunc prodi velit? quamobrem fratres & filii mei, studio omni incumbite in illud auxilium, quod à vobis hac in caussa exspecto, nec rationem habete ullam exempli quod hic vel ille Decessor meus posteris reliquerit, ut jam admonui, perspicite an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo matrimonii disquirimus.*

§. CCXCIX.

CLEMENS IV ad Abbatem Casæ Dei scribens dicit: *Cernere se Decessores suos monasteriis dedisse privilegia juri divino contraria & humano.* Addit: *Et quamvis nostris Præcessoribus, prout necessitas exigit,*

exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti & scientiæ nullæ possent ratione placere. INNOCENTIUS III. *Serm. II. De consecratione Romani Pontificis* ita habet: *In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de cæteris peccatis solum Deum Judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fidem committitur, possem de Ecclesia judicari; Sermone* vero III sic loquitur: *Propter causſam vero fornicationis romana Ecclesia posſet dimittere romanum Pontificem', fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem.* Formulam Confessionis possibilitatis errandi habet CHRISTOPHORUS MARCELLUS *in Cærimoniali S. Eccles. Rom. Lib. I. de Canonizatione Sanctorum, lectione VI. Ubi Pontifex,* ait, *antequam pronuntiet consuevit protestari, quod invenimus servatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causſa, quæ nunc cessat, quia Papa tunc quodam modo cogebatur ad canonizandum quendam, contra suam opinionem, & propterea protestabatur, nunc autem non videri congruam illam protestationem, sed de hac statuat summus Pontifex & sacer Senatus.* Eodem autem teste protestationis formula sic se habet: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem aut catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei.* Ex omnibus hisce patet, Papas in ipsa etiam Cathedra absque erroris formidine non esse.

Plura ejusmodi Exempla LAUNOJUS in Epistolis suis congessit. Vide quæ ex occasione Confessionis CLEMENTIS VI. &

URBANI V. scripserit FLEURI *Hist. Eccles.* Lib. XCVII.

§. CCC.

Consideratis nunc ipsis Paparum de errandi possibilitate in ipsa Cathedra Confessionibus; progredimur ad probandas variorum Pontificum contradictiones in decidendis Fidei Articulis, vel alias ex Cathedra pronuntiando commissas. Si nimirum unus Papa eandem Propositionem negat quam alter affirmat, & viceversa, oritur contradictio; Contradictio enim est, negatio & affirmatio ejusdem propositionis eodem respectu. Qui ergo unam propositionem negat quam alter affirmat is eam falsam habet, utraque enim Propositio vera esse nequit, sed alterutra falsa sit oportet. Qui autem Propositionem veram pro falsa habet, vel falsam pro vera is errare dicitur (§. 287.), qui vero actu errat, eoipso errandi impossibilitatem non possidet, adeoque nec infallibilis est. Si ergo demonstretur Papas sibi contradixisse, ut id quod unus ex Cathedra pronuntiaverit, alter falsum dixerit, eoipso Papam ex Cathedra loquentem infallibilem minime esse demonstratum est.

Multa hujusmodi contradictionis exempla congesserunt Viri Doctissimi jam supra laudati, DORINGIUS & SCHÜZIUS: Prior in Dissert. *de Auctoritate Pontificia ex ipsis Pontificum Decretis sive Jure Canonico eversa & refutata*, §. XXXVI. pag. 41. seqq. Posterior, in Dissert. de Infallibilitate Pontificum Rom. Αὐτοκαταχριτῶ. §. VIII. - - XIX. Quorum operam hic nostros convertemus in usus, adhibito LAUNOJO, quo & posterioris Diss. Autor usus est. *Primum*

§. CCCI.

Primum contradictionis ejusmodi *exemplum* nobis præbet CLEMENS I. Qui panem Eucharisticum ne in crastinum quidem servari voluit, *C. Tribus gradibus, de Consecr. Dist. 2. Tanta*, inquit, *in Altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed Clericorum diligentia consumantur.* Subsequentes vero Papæ hunc panem non modo asservari jusserunt, sed URBANUS IV etiam, à fœmina somniante inductus, quotannis eum publice per plateas portari jussit. Tridentinum vero Concilium Sess. 22. Can. 7. anathema iis dicit, qui doceant: *Non licere Sacram Eucharistiam in Sacrario reservare.*

§. CCCII.

SOTER Papa statuit, Sacerdotem non debere missam legere absque duobus ministris assistentibus, rationem addens: *Quia cum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum. Orate fratres, ut verificetur Dictio pluralis. C. Hoc quoque de Consecr.* Dist. 2. Praxi vero continua Pontificii contrarium faciunt, dum vel uno vel etiam nemine præsente, missam angularem suam absque ullo scrupulo demurmurant.

§. CCCIII.

SYRICIUS Pœnitentibus matrimonia contrahere, & jam contractis uti. *C. de his, Caus.* 33. Q. 2. Quod LEO ut erroneum damnat Can. *Audivimus*, ibid. ubi sic habet: *Errant & de veritatis calle discedunt, dicentes: Quia si Pœnitentiam agimus, conjugii debemus relinquere copulam. Sacris vos expedit eloquiis edocere, ut ab erroris eripiantur caligi-*

caligine, & licitis copulationibus juncti de omnibus illicitis pœnitentiam agere procurent.

§. CCCIV.

INNOCENTIUS I. Contra Pelagianos peccatum originale negantes disputans, illud inde demonstrare voluit, quod *parvuli absque manducatione carnis Filii hominis vitam prorsus habere non possint*: Uti ex AUGUSTINO patet Lib. 1. *contra Julianum* pelagianum, Epist. CIV. Patres contra Concilii Tridentini, sub PIO IV Sessione III. Can. IV. contraria statuunt; ita enim Canon citatus sonat: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Pius ergo IV & Concilium hoc Innocentio contradicunt, unde alteruter fallibilis fuerit oportet.

§. CCCV.

GELASIUS docuit divisionem unius speciei ab altera in S. Cœna non posse fieri absque *grandi Sacrilegio* & contravenientes damnabili obstringi superstitione *C. comperimus*, de Consecrat. Dist. 2. Constitutionem hanc BARONIUS *Annal. Eccles.* ad annum 496. ex Gratiano insertam ita reddidit: *Comperimus autem, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione & calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio, qua superstitione docentur adstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi Sacrilegio provenire non potest.* Concilium contra Tridentinum sub PII IV auspiciis *Sessione* V. An. 1562. hunc condidit Canonem, qui ejusdem Sessionis *primus* est: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate Salutis, omnes*

omnes & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.

§. CCCVI.

Cum JOANNES JEJUNATOR Constantinopolitanus Patriarcha Seculo VI ad finem vergente *Episcopi universalis* titulum sibi vindicaret, PELAGIUS II in Epistola ad Concilium Constantinopolitanum ita hac de re scribit: *Joannem elatione sua non præcepta divina tantum, verum etiam sanctorum Patrum regulas, esse transgressum, seque præcursorem Anti-Christi fecisse.* Pelagii Successor GREGORIUS M. arbitratus est, hæreticum, stultum, uti ipse vocat, atque superbum titulum hunc vitandum esse; Et in Epistola ad Imperatorem Mauritium ita se explicat: *Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum præcurrit.* Hisce vero JOANNEM ipsum compellat verbis: *Tu, quod Christo Universali scilicet Ecclesiæ Capiti, in extremi judicii dicturus es examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris Universalis appellatione supponere?* BONIFACIUS contra III à PHOCA Oecumenici Episcopi titulum lubens accepit; & GREGORIUS VII nemini titulum hunc quam Romano Episcopo competere statuebat.

§. CCCVII.

GREGORIUS statuit: posse simplicem Presbyterum, ubi Episcopi desunt, & licite & valide administrare Sacramentum Confirmationis *C. Pervenit* Dist. 95. At vero non *Durandus* modo atque *Major* Doctores Pontificii apud COVARRUVIAM *Lib. I. variar. Resolut. cap.* 10. ipsum hac in re errasse

erraſſe contendunt; ſed ipſe EUSEBIUS Papa C. *Manus quoque*, de Conſecrat. Diſt. 5. docet. Sacramentum hoc, uti vocant Pontificii, valide nunquam niſi ab Epiſcopo conferri poſſe, & ſi aliter factum fuerit irritum & vacuum eſſe, neque inter Eccleſiaſtica reputandum Sacramenta.

§. CCCVIII.

Idem GREGORIUS C. *Pervenit.* Diſt. 50. docet: *Clericum ſi poſt acceptum ordinem in peccatum Carnis lapſus fuerit, ad officii ſui miniſterium reparari non poſſe.* Contrarium autem ex S. Scriptura demonſtrare conatur CALIXTUS I. *Can. ponderet ibid.* Et C. *Presbyter.* Diſt. 82. definitur: Clericum fornicarium, ſi ſponte confeſſus fuerit, ſeque emendaturum promiſerit, non amplius eſſe deponendum, idque juxta auctoritatem Papæ Sylveſtri contra canones Apoſtolorum. Egregiam hujus Legis ſive conſtitutionis cauſſam Gloſſator in hunc locum addit: *Quia nempe fragiliora hodie ſunt corpora noſtra quam erant.*

§. CCCIX.

GREGORIUS III. propter uxoris infirmitatem marito aliam ducere permiſit C. *Quod propoſuiſti Caus.* 32. *Quæſt.* 7. Contrarium ſtatuit NICOLAUS C. *Hi qui*, *ibid.* & GRATIANUS concordantiam diſcordantium Canonum promiſit dicit: *Illud Gregorii, Sacris Canonibus, imo Evangelicæ & Apoſtolicæ Doctrinæ penitus invenitur adverſum.*

§. CCCX.

NICOLAUS I docuit Baptismum in nomine ſolius Jeſu peractum eſſe validum, probans id ex Actis Apoſtolorum. C. *A quodam*, *de Conſecrat.* Diſt.

Dist. 4. PELAGIUS vero *C. Multi sunt* dicit hoc esse hæreticum & contra præceptum Evangelicum.

§. CCCXI.

FORMOSI I Successores contradixerunt sibi, num Formosus legitime Pontifex electus fuerit nec ne? alii affirmabant, alii negabant. STEPHANUS VII & SERGIUS III Formosum damnarunt, crudelissime se erga illius cadaver gesserunt, ordinationes ejus rescinderunt, decreta illius nullius auctoritatis esse decreverunt. ROMANUS vero THEODORUS II & JOANNES IX legitime ipsum electum fuisse declararunt. Primus omnia Stephani contra Formosum decreta irrita fecit. Alter quos ordinaverat à Stephano depositos restituit. Tertius denique in Concilio Romæ habito Stephanum in numerum Pontificum legitime electorum retulit.

§. CCCXII.

GREGORIUS VII vetuit, ne quis fornicarii vel concubinarii missam audiret, *eo quod benedictio illius sit maledictio, & oratio peccatum C. Si qui*, Dist. 81. Nunc vero Ecclesia Romana contendit, impii Sacrificuli Missam æque bonam esse, eo quod producat meritum ex opere operato.

§. CCCXIII.

Quod DU PIN Edit. lat. *Biblioth. nov. Eccles. aut Tom. III. pag.* 504. de ZOSIMO & BONIFACIO Pontificibus Romanis judicat, dicens: *Nil magis oppositum cogitari potest, quam Zosimi & Bonifacii circa Ecclesiæ Arelatensis dignitatem & jurisdictionem sententiæ.* Id etiam decretis NICOLAI III & JOANNIS XXII, quæ de Paupertate ediderunt

derunt applicari poteſt. Dum nimirum Franciſci ordini ſeſe addicentes paupertatem ſpontaneam ſuſciperent, omniumque bonorum temporalium poſſeſſionem abdicarent, reliquique ordines ſeſe opponerent, NICOLAUS III. ut has componeret lites, Conſtitutionem edidit: *Exiit, qui ſeminat;* in qua hoc modo pronuntiat: *Dicimus quod abdicatio Proprietatis hujusmodi omnium rerum non tam in ſpeciali quam etiam in communi propter Deum meritoria ſit & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit & exemplo firmavit, quamque primi Eccleſiæ militantis fundatores prout ab ipſo fonte hauſerant volentes perfecte vivere per doctrinæ & vitæ exempla in eos derivarunt.* Eandem ſententiam etiam CLEMENS V illius Succeſſor firmavit, in Concil. Vienn. Conſtitut. quæ incipit: *Exivi de Paradiſo.* JOANNES contra XXII. omnia quæ Nicolaus in Franciſcanorum favorem conſtituerat hæretica pronuntiavit, *Conſtit. Cum inter nonnullos.* Ubi ita: *Cum inter nonnullos viros Scholaſticos ſæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare redemptorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ejusque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec etiam in communi hæreticum ſit cenſendum; diverſis diverſa & adverſa ſentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem hujusmodi pertinacem, cum Scripturæ Sacræ, quæ in plerisque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſe, ipſamque Scripturam Sacram, per quam utique fidei orthodoxæ probantur Articuli, quoad præmiſſa fermentum aperte ſupponat continere, ac per conſequens quantum in ea eſt, ejus in totum fidem evacuam, fidem catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam; deinceps erroneam fore cenſendam & hæreticam, de fratrum noſtrorum conſilio,*

lio, hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod redemtori nostro prædicto ejusque Apostolis in his, quæ ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec alia vendendi seu donandi jus habuerint, aut & ipsis alia acquirendi, quia tamen ipsos de præmissis feciſſe Scriptura Sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse, cum talis assertio ipsorum usum & gesta evidenter includat in præmissis non justa (quod utique de usu, gestis seu factis Salvatoris & Redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est: Scripturæ Sacræ contrarium & Doctrinæ Catholicæ inimicum) assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam merito ac hæreticam declaramus. NICOLAUS igitur III voluit spontaneam Franciscanorum Paupertatem meritoriam esse & sanctam, Christi verbo insignitam, ejusque exemplo confirmatam. JOANNES vero XXII. eam nec in Sacris Litteris fundatam, sed ipsis potius contrariam, nec adeo sanctam & meritoriam, sed potius erroneam, hæreticam Doctrinæque Catholicæ inimicam pronuntiavit.

§. CCCXIV.

Ex multis aliis unicum solum adhuc addimus exemplum SIXTI nimirum V. & CLEMENTIS VIII. *Prior* Versionis vulgatæ editionem curaverat, eamque singulari constitutione mendis carere neque unquam retractari debere edixerat. *Posterior* autem novam ejusdem versionis editionem, in qua multa mendarum millia emendata atque immutata fuerunt, solam legitimam atque authenticam esse, priore abnegata, solenni constitutione pronuntiavit.

§. CCCXV.

Contradictionibus hisce illi adhuc addi possunt errores, quos Papæ nonnulli foverunt, qui vero ab universa Ecclesia Romana ad hunc usque diem rejecti sunt. Exemplum nobis præbet α. VICTOR I. qui Montani vaticiniis, donum Prophetiæ sibi vindicantis, fidem habebat teste TERTULLIANO contra Praxeam C. I. asserens: *Episcopum Romanum agnovisse Prophetias Montani, Priscillæ & Maximillæ.* Falsitas autem harum prædictionum mox ostensa, teste MILTIADE, qui integrum contra Montanistas Librum scripsit; unus insuper ex APOLLONIIS falsas eorum Prophetias confutavit, cujus fragmentum refert EUSEBIUS Lib. V. c. 28.

§. CCCXVI.

Alterum Exemplum LIBERII, medio Seculo IV viventis est. Arianos in rebus fidei errasse ipsimet Adversarii non negabunt, libenti tamen animo Episcopus Romanus hic, ipso confitente, Arianorum formulæ subscripsit, & magno cum gaudio Bervea Thraciæ urbe Romam reversus est. Quod præter illius litteras ad orientales & ad Ursacium & Valentem datas, HILARIUS *in fragmentis*, & libro ad Constantium Imperatorem, HIERONYMUS *Catalog. scriptorum Eccles.* PHOTIUS in excerptis ex PHILOSTORGIO, SOZOMENUS Lib. IV. c. XV. comprobant. Neque Pontificii habent cur hic excipiant, LIBERIUM non ceu Pontificem sed ceu privatum formulæ huic subscripsisse, formula enim hæc à Concilio fuit edita, & cum ei Episcopus Romanus qua talis subscripsit, auctoritate sua eam confirmavit atque suam fecit. Sequi-

§. CCCXVII.

Sequitur *tertii exempli* loco ZOSIMUS Cælestii approbans errorem, qui ab INNOCENTIO ZOSIMI anteceſſore damnatus fuerat. Cælestius nimirum, confeſſione Pelagianus, peccatum originale negabat; hæc enim teſte AUGUSTINO *de Pecc. Orig.* c. V. VI. confeſſio ejus fuit: *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur, quia Dominus ſtatuit Regnum cœlorum non niſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferre neceſſe eſt, per gratiæ libertatem. In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe à catholico ſenſu alienum eſt, quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, ſed voluntatis eſſe demonſtratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diverſa baptismatis genera facere videamur, & hoc præmunire neceſſarium eſt, ne per myſterii occaſionem ad Creatoris injuriam malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* Cælestius ergo originale, quod vocant, peccatum inficiabatur, nativam adeoque hominis corruptionem; fundamentaliter propterea, ipſis Adverſariis non negantibus, errabat. ZOSIMUS autem, infallibilis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, orthodoxam ſententiam illam, catholicæ fidei minime repugnantem pronuntiat, per Epiſtolam ad Epiſcopos Africanos miſſam, Pelagii Cælestiique orthodoxiam ipſis perſuadere ſatagit. Adverſariis noſtris quidem non negamus, facta ab Epiſcopis remonſtratione, ZOSIMUM errorem hunc retra-

ctasse. Sed ipsa erroris hujus retractatio, quantum ab infallibilitate remotus fuerit ZOSIMUS satis ostendit.

Etiam haud eximium infallibilitatis ZOSIMI Specimen fuit, quod Canones quosdam in Africam missos pro Concilii Niceni canonibus venditavit. Apiarius nimirum quidam Siccensis Presbyter propter scelera quædam ab Urbano Episcopo excommunicatus fuit; ille Romanum Episcopum appellans in communionem receptus, tribus in Africam legatis missis, qui vice Romani Pontificis Africanis declarabant, non Papæ solum auctoritate, sed Canonum etiam Niceni Concilii suffragio id fieri, licet ne verbulum quidem hujusmodi in Concilii hujus canonibus reperiretur, unde nec auctoritatem hanc Africani agnoscere volebant. Excusare quidem ZOSIMUM quærunt celebres Cardinales BARONIUS & BELLARMINUS, quod Sardicenses tantummodo cum Nicenis canonibus confuderit, sed hoc ipsum haud exiguum contra ejus infallibilitatem testimonium esset.

§. CCCXVIII.

Addimus hisce VIGILIUM, qui à Bonifacio successor designatus, mox iterum depulsus, Theodoræ Imperatricis vero auctoritate restitutus, SILVERII persecutor & parricida, Imperatori blandiens, Eutichianis favebat unicamque in Christo naturam profitebatur, & testantibus LIBERATO VICTORE *Tunnensi* & FACUNDO *Hermianensi* Litteris ad Eutichianos Episcopos datis scripsit, se eam fidem, quam ipsi habeant Deo adjuvante tenuisse & adhucdum tenere. *Tria* vero *Capitula* quod attinet mox ut orthodoxa ea assumsit, mox ceu heterodoxa rejecit, mox Concilio Chalcedonensi consensit, mox eidem contradixit.

HONO-

§. CCCXIX.

HONORIUS denique *Monotheletarum* addictus erat hæresi, qui dum unicam in Christo voluntatem admittunt, etiam animæ humanæ Essentiam tollunt, humanam ipsius naturam pervertunt, Scripturæ Sacræ contradicunt, & in re fidei errant, quoipso HONORIUS infallibilem se minime esse prodidit; Confirmant hoc Concilia Oecumenica VI. VII. & VIII. in quorum primo HONORIUS anathemate percussus à reliquis damnatus fuit.

§. CCCXX.

Cum igitur multi Pontificum Romanorum se infallibiles minime esse ex Cathedra loquentes confessi sint (§. 291 - - 298.): Cum sibi invicem haud raro contradixerint (§. 299 - - 313.); Cum denique nonnulli Doctrinas, universali Ecclesiæ Romanæ consensu, hæreticas fuerint professi (§. 314 - - 318.). Sequitur *Papam Romanum Infallibilem Scripturæ interpretem atque controversiarum Judicem esse minime posse.*

Qui ergo *Papam infallibilem credit, eundem infallibilem esse credere non potest.* Siquidem ille qui Papam infallibilem esse credere debet, is credat oportet vera ea esse quæ Papa qua talis pronuntiat; Cum vero multi Paparum alios Papas in rebus fidei erraſſe pronuntiaverint, hinc qui credit Papam infallibilem esse, etiam credere debet Papam erraſſe, adeoque infallibilem minime esse.

Propositio IV.

§. CCCXXI.

Ne Concilii quidem Oecumenici decretis, ceu infallibilis Articulorum fidei Judicis, fides certo niti potest.

§. CCCXXII.

Ut fides nostra infallibili in terris auctoritate nitatur, duo in primis certo & infallibiliter constare debent; *primo* an revera detur talis Auctoritas? *secundo* quænam illius sedes sit? Hic non agitur de S. Scriptura, sive de Jesu Christo in illa judicante, de Judice enim humano infallibili res est. Judicem hunc Ecclesiam esse Pontificii dicunt; per eam autem *repræsentativam* intelligunt, quæ est, ex ipsorum hypothesi loquor, vel *Papa*, vel *Concilium*, vel *Papa cum Concilio*. Sedem Autoritatis vel infallibilitatis Ecclesiæ in Pontifice Romano residere minime posse in Propositione antecedente à nobis demonstratum est. Id nunc probandum sequitur: quod nec Oecumenicum Concilium Infallibilitatis hujus sedes esse possit. Evincemus id α. ex ipsorum Ecclesiæ Romanæ Doctorum hac in re dissensu atque disputationibus, ex quibus patebit in ipsa Romana Ecclesia certo non constare quænam illa infallibilitatis sedes sit. β. Ex ipsa dein rei natura, & Concilii ejusmodi requisitis, id demonstrabimus.

De priore probationis parte agit TURRETTINUS in Dissertatione *de Pyrrhonismo Pontificio.*

tificio. De posteriori vero LA PLACETTE de *insanabili Rom. Ecclesiæ Scepticismo.* Cap. IX - - XVI.

§. CCCXXIII.

Uti supra diximus : Doctores Gallos Pontificis Romani infallibilitatem adversus Doctores Italos tum ex S. Scriptura, tum ex Veteris Ecclesiæ disciplina, tum ex innumeris Romanorum Pontificum in Articulis fidei errantium exemplis, tum ex contrariis Pontificum decretis expugnasse. Ita contra Doctores Itali argumentis omni exceptione majoribus adversus Gallos Conciliorum Universalium ἀναμαρτησιαν, tum ex S. Scripturæ de illis Silentio, tum ex eorum ad Nicenum usque defectu, tum ex Conciliis universalibus reapse errantibus, tum ex pugnantibus inter se conciliis, fortiter exagitarunt. Ex quibus jam satis patet ; quantus Doctorum Ecclesiæ Romanæ hac in re sit dissensus, quam incerta penes ipsos sit Ecclesiæ infallibilitas ; dum nec inter ipsos quidem convenit, quis infallibilis ille humanus Judex sit ?

§. CCCXXIV.

Ut brevem totius hujus controversiæ historiam exhibeamus, tenendum est : ab initio Sæculi VII. BONIFACIUM III. à Phoca Imperatore Episcopi Oecumenici titulum accepisse, aucta pedetentim potestas illa à Bonifacii Successoribus, donec Sæculo decimo & undecimo in tyrannidem fuit conversa, summumque attigit gradum. Sæculo autem XIV. ad finem vergente valde diminuta fuit Papalis auctoritas propter diuturnum illud Anti-Paparum Schisma. Concilium

lium propterea *Pisanum* An. 1409. congregatum fuit, quod Conciliorum in Papam & supra Papam stabilivit auctoritatem. Sequebatur *Constantiense* An. 1414. non minus ac Pisanum Concilii auctoritatem supra Papam esse pronuntians. Successit tandem *Basileense* An. 1431. quod duorum præcedentium confirmabat decreta. *Florentinum* deinde An. 1437. ab Eugenio IV Basileensi oppositum fuit. *Pisanum* tamen Concilium ab Alexandro V, *Constantiense* à Martino V in iis etiam Articulis in quibus Papa Concilio subjicitur, adprobatum fuit. At quot disputationes atque dissidia inter Doctores Italos atque Gallos de Pisani, Constantiensis ac Basileensis Concilii decretorum validitate orta sunt? En fidei Ecclesiæ Romanæ hac in re certitudinem?

§. CCCXXV.

Ab initio fere Seculi XVI duo convocata fuere Concilia, Oecumenicis ambo accensita, *Pisanum* scilicet & *Lateranense*. Prius An. 1511. sub Auspiciis novem Cardinalium, patrocinante Maximiliano Imperatore & Ludovico XII. Galliarum Rege congregatum fuit, in quo JULIUS II Papali dignitate suspensus, & Basileensis Concilii decreta confirmata fuere. Aliud, sequente Anno, Julius in Lateranensi Basilica convocavit Concilium, in quo damnati fuere Pisani Patres, Conciliaque Basileense atque Constantiense rejecta, Pontificis supra Concilium Auctoritas elata. Papæ dein artibus eo redacta res fuit, ut omnes fere Pisani Concilii Patres Decreta sua rejicerent atque Lateranensibus adhærerent. Ipsi etiam Galli Doctores, qui hactenus à Pisani Concilii partibus steterant, suadente Papa in Lateranensium Patrum

castra

castra transierunt. Hactenus per integrum Sæculum XV Romani Pontificis auctoritas Conciliis subjecta fuit, at nunc iterum mutata Romanæ Ecclesiæ fides, Lateranensibus decretis ubique stabilitis, Pontifex supra Concilia effertur. Circa Reformationis tempora Episcopus Romanus diu flagitatus ut novum convocaret Concilium, periculum facere non audebat, metuens ut illud partibus suis parum faveret; resistere tandem diutius non potuit: Convocatur *Tridentina Synodus*; invitantur Episcopi atque Doctores Itali, Papali auctoritati faventissimi; de nullo alio in hac Synodo agitur Articulo, quam quem ipsimet Pontificii proposuerant Legati; unde nunquam movebatur quæstio illa, quam definiri maxime intererat, an nimirum Papæ, num vero Concilii auctoritas major esse debeat, & quis in determinandis fidei Articulis summus Judex habendus sit? Cavebat Papa, cavebant qui à partibus ejus erant, ne quidquam quod in Pontificiæ auctoritatis damnum cederet definiretur; jamjam enim eo tempore Galli Theologi Concilii Lateranensis decreta, quæ per aliquod tempus adoptaverant, respuerant & Conciliorum supra Papam auctoritatem defendebant, unde satius duxit Papa quæstionem hanc in Tridentina Synodo intactam manere.

§. CCCXXVI.

Exortæ dehinc de novo in Ecclesia Romana de infallibilitatis fede disceptationes, inter Gallos imprimis & Italos; à quibus tot tantaque scripti fuere volumina, Gallis Conciliorum auctoritatem supra Papam defendentibus, Italis vero Papæ soli infallibilitatem tribuentibus, ejusque auctoritatem supra Concilia propugnantibus.

Priorum agmen duxerunt LAUNOIUS & DUPIN. Posteriorum causſam maxime egerunt BELLARMINUS & BARONIUS. Nec ipsi tamen Galli semper consenserunt, nonnullis eorum Papæ auctoritatem & infallibilitatem patrocinantibus, aliis eam impugnantibus; extendit Papæ auctoritatem EDMUNDUS RICHERIUS in Libro suo, quem de *politica & ecclesiastica* scripsit *potestate;* eandem defendit ANDREAS VALLIUS Doctor Sorbonicus, nec minus Cardinalis PERRONIUS; & quid fecit ad stabiliendum Papæ suprematum Jesuitarum Societas, in causſa Jansenistarum inprimis? Dum Papa, inquit vir quidam celebris, Jesuitis Amicus, Jansenistis infensus fuit, illis infallibilis, his fallibilis erat. Cum Papa Jesuitis infensus, Jansenistis favere cœpit, (is fuit INNOCENTIUS XI.) his infallibilis, fallibilis illis evasit. Liquet ex hisce quam dubii ac incerti sint ipsimet Ecclesiæ Romanæ Doctores ubinam locorum infallibilitatis illius humnæ sedes quærenda sit; Ergo ne ipsimet quidem habent ubi tuto pedem figere possint, nisi tantem nobiscum ad S. Scripturam, & Christum in illa loquentem, confugere velint.

§. CCCXXVII.

Sed nec certo etiam Pontificiis constat, quænam talis Concilii debeant esse requisita, ut infallibilis Judex esse possit. Quæritur enim inter ipsos α. An Concilium ejusmodi, ut legitimum sit, ab ipso Romano Pontifice convocari debeat? Negant præsertim LAUNOIUS & RICHERIUS cum aliis multis. Prior *Part. 6. Epist. XI. ad Cusm.* dicit: *Non à Synodorum convocatione, quæ b hoc vel illo fiat, sed à recta fide quæ in Synodis sanitur,* Synodo-

Synodorum auctoritatem esse depromendam. Unde probat *Part. 6. Epist. I.* usque ad *VIII.* nec ullum Scripturæ locum, nec Ecclesiasticum aliquem canonem Conciliorum convocationem Papæ tribuere, sed ipsa prima octo Latinorum Concilia non à Papis, sed ab Imperatoribus fuisse convocata; & quidem *Nicenum I.* à Constantino, non à Sylvestro. *Constantinopolitanum I.* à Theodosio M. non à Damaso. *Ephesinum* à Theodosio Juniore, non à Cælestino. *Chalcedonense* à Valentiniano & Marciano, non à Leone. *Constantinopolitanum II.* à Justiniano, non à Vigilio. *Constantinopolitanum III.* à Constantino, non ab Agathone. *Nicenum II.* à Constantino & Irene, non ab Hadriano. *Constantinopolitanum IV.* à Basilio Macedone, non ab Hadriano II. convocata fuisse. Idem LAUNOIUS contendit *Part. 6. Epist. XI. ad Cusin.* fuisse in Gallia & Germania, qui eam ob caussam Tridentinum Concilium rejicendum esse statuerint, quod ab Imperatore convocatum non fuit. Quos refutat vir laudatus, ostendens Conciliorum auctoritatem à persona convocante nequaquam pendere. Hæc vero, de validitate Conciliorum à convocatione pendente, cum Gallorum plerorumque fuit sententia, LAUNOIUS loc. cit. *Epist. X. ad Rulland.* Bellarminum confutat & addit: *Si solus Bellarminus rideretur, ferri quidem hoc utrumque posset: Sed in Bellarmino plerique omnes Catholici Scriptores ridentur ab hæreticis.* Sunt vero hodie plurimi scriptores Galli qui Conciliorum convocationem de Jure & de facto Papæ adscribunt. RICHERII autem hæc est sententia Apol. axiom. XXV. *Summi Pontificis esse regulariter & ordinarie generalia Concilia indicere, congregare, nisi ab aliis distrahatur negotiis, vel id rogatus facere detrectet.*

Quæ-

§. CCCXXVIII.

Quæritur β. tam inter Italos quam inter Gallos Doctores, an ut valeat Concilium Oecumenicum ipse Papa præesse debeat? Affirmant id multi Gallorum Doctores, contendentes saltem per Legatum Romanum Pontificem præesse debere; unde ii qui Historiam Generalium Conciliorum adornant, *Hosium* Cordubensem Episcopum ut Romani Pontificis Legatum Concilio *Nicæno* primo præfuisse asserunt, quæ eadem etiam Baronii, Perronii atque Valesii fuit sententia. LAUNOIUS contra & DU PIN id aperte negant: Unde prior parte 8. *Epist. III.* seqq. contendit nec *Niceno I.* Sylvestrum: Nec *Sardicensi* Julium: Nec *Constantinopolitano I.* Damasum: Nec *Ephesino* Cælestinum: Nec *Chalcedonensi* Leonem solum sed & Anatolium: Nec *Constantinopolitano II.* Vigilium vel ipsum vel per Legatos præfuisse; Ex quo sequatur hanc minime legitimorum Conciliorum conditionem esse.

§. CCCXXIX.

γ. Inter Pontificios quæritur, quibusnam in Conciliis sedendi & definitive judicandi jus competat, an Episcopis solis, an etiam eorum Legatis? quæ plurimorum Ecclesiæ Romanæ Doctorum sententia est. An vero omnibus Ecclesiasticis ordinibus jus illud tribuendum sit? uti GERSON, ALMAINUS, RICHERIUS aliique multi arbitrantur.

§. CCCXXX.

Quæritur *porro*, quid sit illud quod facit ut Concilium aliquod *generale* evadat? An nonnisi *convocatio generalis* majorum orbis Christiani provincia-

vinciarum requiratur ? quæ plurimorum Pontificiorum ſententia eſt. An vero opus ſit ut etiam *congregatio* ſit univerſalis, ut omnes Chriſtianismi Epiſcopi Concilio intereſſe debeant, ſi Concilium debeat eſſe validum ? An vero ſufficiat ut aliqui tantum Epiſcopi ex majore Provinciarum parte adſint ? An denique, quod multis Romanæ Eccleſiæ Doctoribus placet, nec convocatio nec congregatio univerſalia Concilia efficiat, ſed inſequens potius *Univerſæ Eccleſiæ* adprobatio, qua ratione etiam particulares Synodi evadere poſſint univerſales atque infallibiles ? ſed hic iterum quæritur, an univerſalis illa Eccleſia, cujus adprobatio requiritur, ſit repræſentativa eaque vel Papa, vel Concilium ? an vero Eccleſia univerſalis, omnia complectens membra ?

§. CCCXXXI.

Quæritur etiam 8. an conſtare nobis debeat, adhibitam fuiſſe in decernendo diligentiam neceſſariam, ſi Conciliorum Decreta recipere debeamus ? Affirmant RICHERIUS, BELLARMINUS & SCHELSTRATIUS. *Primus* dum aſſerit; *Eccleſiam errare non poſſe in quæſtionibus Juris decidendis, ſi modo diligentiam neceſſariam adhibeat, & prudenter agat. Apolog. Axiom. XXIII. Poſteriores* vero Baſileenſis Concilii Decreta hoc etiam ſub prætextu reſpuunt, quod absque ſufficienti examine fuerint facta. CANUS vero id negat dicens *Loc. Theol. Lib. V. cap. 5. : Si ſemel hæreticâ hanc licentiam permittimus, ut in quæſtionem vocent requiſitam Judicum Eccleſiaſticorum diligentiam, quis adeo cæcus eſt, ut non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque Decreta labefactari.*

Quæ-

§. CCCXXXII.

Quæritur 5. inter noſtros Adverſarios, an ad recipienda Conciliorum Decreta neceſſum ſit ut de illorum cum S. Litteris Canonibusque Eccleſiaſticis conſenſu nobis conſtet? Negant Pontificiorum plurimi, affirmat LAUNOIUS qui Conciliorum auctoritatem à recta fide in illis ſancita pendere ait *Parte 6. Epiſt. XI. ad Cuſin.* GELASII-que verba *Epiſt. XIII. ad Epiſc. Dardan.* adprobat, dicentis: *Male geſta Synodus, id eſt, contra Scripturas Sanctas, contra Doctrinam Patrum, contra Regulas Eccleſiaſticas, quam merito Eccleſia non recipit; Bene geſta Synodus, id eſt, ſecundum Scripturas, ſecundum Eccleſiaſticas regulas, pro fide Catholica & communione prolata.*

§. CCCXXXIII.

Quæritur *tandem*, an ſi infallibilia haberi debeant Concilii alicujus Decreta, nobis conſtare debeat illud omni plane modo fuiſſe liberum? Affirmat illud RICHERIUS in *Apolog. Axiom. XXII.* & in *Hiſtor. Concil.* paſſim, proptereaque *Tridentini* auctoritatem plane rejicit; nec diſſentit DU VALLIUS ejus Adverſarius, aſſerens *Ariminenſe*, *Epheſinum II.* & *Baſileenſe* libertate hac Conciliis neceſſaria gaviſa non eſſe. Contra vero CANUS *Loc. Theol. Lib. V. cap.* 5. contendit: nullius Concilii auctoritatem exploratam haberi poſſe, ſi de hoc conſtare debeat. Ex omnibus hisce patet incertam ac dubiam Pontificiorum de Conciliorum infallibilitate fidem eſſe, ut ſibimetipſis hac in re non conſtent; adeoque nec auctoritati humanæ infallibili, quæ Conciliis propria ſit, fides ipſorum inniti poteſt.

Vide

Vide de his JOH. ALPH. TURRETINI Dissert. supra citatam *de Pyrrhonismo Pontificio*, ubi §. XXXII. ita habeat: „ Quanta est, cum inter omnes Pontificios, „tum inter ipsos Gallos, in numerandis Conciliis pugna? Quædam Concilia, his Oecumenica, illis non „Oecumenica; his legitima, illis illegitima: Eadem „ab iisdem mox rejecta & mox admissa; Adeo nihil „est certi firmive in ipsorum de Conciliis fide. Exempla innumera. De multis pauca. *Ariminense* Synodum, *Ephesinam II.* &c. inter Oecumenicas, sed „non legitimas refert BELLARMINUS. Galli nec inter legitimas, nec inter Oecumenicas. Itali *Florentinam* & *Lateranensem V.* inter Oecumenicas habent „& legitimas. Galli nec Oecumenicas, nec legitimas. „Ipsi Galli, quamdiu *Nicænam alteram* repudiarunt; „ut Oecumenicam & legitimam progressu temporis „recipiendam. Imo Lateranensi, quam hodie repudiant, adhæserant pridem, ut jam vidimus. Atque „habemus hic reum confitentem, ingenuum LAUNOIUM *Part. 8. Epist. XI. ad Amelin.* qui relatis „variorum, de numero Oecumenicorum Conciliorum, „& de conditionibus ad illa requisitis, discrepantibus placitis, concludit, illud determinare arduum, „imo ἀδύνατον esse. „

§. CCCXXXIV.

Ad alterum nunc progredimur probationis membrum, quod scilicet sciri neutiquam possit, cum Concilium aliquod omnia ea habeat requisita, quæ à plurima Adversariorum meorum parte ad infallibile Concilium requiruntur. Oportet nimirum α. illud vere Oecumenicum sit. β. Oportet sciamus illud tale esse. γ. Constare debet num sit legitimum, omni ex parte liberum, an recta Patrum fuerit intentio? an Conciliorum Decreta sufficiens præcesserit inquisitio? δ. Certum denique esse debet an suffragiorum pluralitas, an vero unanimitas requiratur?

Primum

§. CCCXXXV.

Primum quod attinet: ad Concilium Oecumenicum requiritur, aut ut omnes Christianismi Episcopi ei revera interfint, vel si non omnes adsint, absentes in præsentibus censeri debent. Priori sensu unquam Universale extitisse Concilium non constat, neque probari illud potest, nunquam enim tam numerosus extitit cœtus in quo omnes & singuli præsentes fuerint Episcopi, imo vix unquam tertia illorum pars congregata fuit; Et si hoc eo tempore nunquam factum fuit, quo universus fere Christianismus unico paruit Monarchæ politico, magis id impossibile erit, cum jam Christiana Ecclesia tot Monarchis atque Principibus subjecta est. Oportet ergo absentes in præsentibus censeantur. Hoc si sit, aut præsentes absentium nomine ac jussu venerint oportet; aut absentes ideo in præsentibus censentur quod per suam absentiam tacito consensu jus atque auctoritatem suam in præsentes contulerunt. Prius factum fuisse probari nullo modo potest, neque id fieri potest, nisi vel alter alteri cœco assensu fidem suam committere velit, quod absurdum; vel ipsum adstringat oportet ad certas leges juxta quas etiam nomine suo judicare debeat; At nec hoc fieri potest, dum α. Is qui juxta certas regulas ipsi ab altero præscriptas judicare deberet, non secundum propriam, sed juxta alterius conscientiam, sententiam diceret; & si ambo à seinvicem dissentirent, alterutrius tantum sententiam proferre posset. β. Omnis disquisitio, quæ in Concilio fit, omne rei examen, omnes à Patribus prolatæ rationes frustraneæ forent, dum præsentes à præscriptis absentium legibus discedere

dere nequaquam possent, si & absentes Judicium tulisse censendi sint. Tacitum vero absentes Episcopos iis præbere assensum, quæ præsentes Concilii Patres decreturi sunt, quis novit? Et quisnam scire potest, quænam fuerit ratio cur hic vel ille non adfuerit? & quis novit, omnes absentes cum præsentibus in omnibus eadem præcise sentire? unde nonnisi vana hæc effugia sunt.

§. CCCXXXVI.

ß. Ut constare possit Concilium aliquod Oecumenicum adeoque infallibile esse, ex hypothesi pontificia adsit oportet auctoritas aliqua humana infallibilis, quæ pronuntiat Concilium aliquod esse Universale, omniaque adeo illius Decreta fidei Articulos esse; nisi enim Judex aliquis infallibilis id declaret, à reliqua hominum parte sciri nequit, num illud infallibile fuerit nec ne. Judex vero ille, qui Concilium Oecumenicum & infallibile declarat, oportet sit vel Papa vel ipsum Concilium. Papa talis Judex esse nequit, alias Concilii auctoritas à Papæ auctoritate penderet, & ipsa Decreta validitatem suam à Pontifice Romano acciperent, quod illorum hypothesi repugnat, qui nonnisi Concilium Universale infallibile esse statuunt. Ipsum vero Concilium propria auctoritate se infallibile declarare nequit, alias in propria caussa Judex esset, & ideo solum esset infallibile, quoniam dicit se esse infallibile.

§. CCCXXXVII.

Si vero certa & infallibili auctoritate constet quænam Concilia sint Oecumenica, adeoque etiam infallibilia, quod certo iis ex Pontificiis notum esse debet, qui Concilia infallibilem rerum

credendarum normam constituunt, sequitur maximum etiam hac de re inter eos debere esse consensum, ut eadem Concilia ab omnibus Oecumenica habeantur. Hoc vero experientiæ repugnat, dum maximus hic inter nostros Adversarios sit dissensus (§. 332. in Scholio.).

§. CCCXXXVIII.

Sed nec γ. Pontificiis certo constare potest quænam ex Conciliis universalibus omni ex parte *legitima* sint? Ipsimet nimirum Adversarii existimant Spiritum S. ipsis etiam numerosissimis Conciliis non semper adesse; sed ea volunt recte & canonice debere esse constituta & omni ex parte legitima. Hoc vero ut sciri possit, de conditionibus ad tale Concilium requisitis certo constare debet quænam præcise eæ sint, judicari alias minime potest num omnes illæ conditiones Concilio alicui competant nec ne? Maximum vero de Concilii conditionibus inter Adversarios esse dissensum jam supra monstravimus; unde nec judicari potest, num Concilium aliquod legitimum sit nec ne, dum de ejus conditionibus non constet.

Observandum hic, me semper ex Adversariorum mente argumentari; nam si vel solam hanc Concilii legitimi conditionem nobiscum admitterent, quod illud decreta sua ex S. Litteris demonstrare debeat, vel ex hac conditione certo constare posset, num Concilium hoc vel illud legitime decreverit nec ne?

§. CCCXXXIX.

Incertum porro an ea Concilia, quæ Oecumenica habentur, ex omni parte fuerint libera? Concilium enim legitimum debere esse liberum etiam

etiam apud Adversarios nostros in confesso est. Multis testimoniis ut id confirmemus necessum non est. Auffertur vero Concilio Libertas vel *vi aperta*, ut patribus *Ariminensis* Synodi & *Ephesinæ II* id contigit.; de priori ita habet ANDREAS DU VALLIUS *de Pot. Pontif. Part.* 4. *Quæst.* 6. *Caruit libertate Conciliis necessaria. Omnes siquidem Prælati Arimini, tanquam in lato aliquo Carcere detinebantur, & ab Imperatore minis, terroribus diraque fame premebantur, ut testantur Athanasius Epist. ad Afric. & Ambrosius Epist.* 32. *ad Valent.* adde eundem de Ephesina Synodo *Quæst.* 10. His accedunt *minæ* vel *promissa, dum enim* inquit AMBROSIUS in Luc. VI. de Ariminensi Concilio, *Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt?* Adde RICHERII *Apol. Axiom.* 22. DU PERRON *Replic. Liv. I. Chap.* 28. Infringitur porro Concilii libertas, si cuivis Patri *non licet proferre* quidquid vult. Ita RICHERIUS *Apol. Axiom.* 38. *Tum,* ait, *in more positum erat Pontificibus quascunque vellent leges Ecclesiæ imperare, eas prius domi privatim, pro animi sui arbitrio concipere, & conscribere, atque deinceps quando haberentur Synodi easdem legendas Monarchice proponere, ita ut vix ullus mussare auderet, quæ forma Conciliorum habendorum viguit à Seculo Gregorii VII ad tempora Synodi Constantiensis & Basileensis, ubi mos priscus & Apostolicus in usum revocatus est.* Dicit alibi *Axiom.* 22. *Ad libertatem Conciliorum spectat, ut liberum sit omnibus Episcopis, & Patribus proponere, quid é re publica Christiana, & bono Ecclesiæ videtur, & ita olim erat consuetum, sed absoluta infallibilis Monarchia tandem consecuta est, ut solis Papæ Legatis; Præsidibus Concilii, fas esset agenda in Concilio proponere, colore quidem impediendæ con-*

fusionis, sed revera ut omnis occasio liberius disputandi de necessitate Ecclesiæ reformandæ in Capite & in membris Patribus Concilii tolleretur. Ad plenariam tandem animi cujusvis Patris integrique adeo Concilii libertatem requiritur, ut omnes absint pravi affectus, omnesque opiniones præconceptæ; nihil enim magis animum à veritate recte perspicienda & dijudicanda avertere & præpedire potest, quam si mens pravis affectibus atque præjudiciis imbuta sit; quotidiana id testatur experientia, unde superflua foret hujus rei probatio. Si vero mens ejusmodi errori obnoxia sit, non modo libera non est, sed errori favet; quisquis autem errori deditus est, infallibilis esse nequit.

§. CCCXL.

Ex hisce nunc ita argumentari licet: Ut Concilii cujusvis decretis fidem habere possimus, ex mente Adversariorum nostrorum, certo constare debet, illud omni ex parte fuisse liberum; Ut nihil plane adfuerit quod corrumpere potuisset Patrum animum. Hoc autem scire præter Deum nemo potest, dum solus sit qui corda hominum intime noscat. Ergo nullum Concilium est de quo nobis constet illud omni ex parte fuisse liberum. Si vero non constet illud liberum fuisse, nec etiam constare potest, omnia ipsi fuisse requisita, quæ ad Concilium legitimum constituendum necessaria sunt; Si vero non constet illud legitimum fuisse, etiam sciri nequit an illud recte judicaverit; Si nesciatur illud recte judicasse, etiam decreta ejus pro infallibili fidei norma haberi nequeunt, adeoque nec infallibilis Articulorum fidei Judex agnosci debet.

Requiri

§. CCCXLI.

Requiri porro ajunt *rectam* Patrum Concilii *intentionem*; hæc vero in nulla alia re consistere potest, quam si Dei Gloria, Ecclesiæ ædificatio, & fidei puritas intenditur, posthabitis omnibus mundanis cupiditatibus; ad id autem fatentibus Adversariis divini Spiritus auxilio opus est; unde Ecclesiæ Romanæ consuetum est, ut singulis Sessionibus in Synodo præcedat *Missa*, quam *Spiritus S.* vocant, & Hymnus, *Veni Creator Spiritus.* Et Actis ac Decretis ipsorum hæc præfixa est præfatio, *Sancta Universalis Synodus in Spiritu S. legitime congregata.* In admonitione quam Tridentini Concilii Præsides Patribus illis à Concilii initio prælegi curabant inter alia etiam hæc extant verba: *Hæc sunt quæ contristant & repellunt quem invocavimus Spiritum S. sine quo nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem Ecclesiæ cedat.* Et REGINALDUS POLUS Cardinalis, Papæ in Concilio Tridentino Legatus, in Libro quem post ejus mortem Pontifex PIUS IV edi curavit, ad quæstionem, quid sit Concilium in Spiritu S. indictum? ita habet: *Hoc quidem maxime, cum in eo cogendo is, qui ejus rei jus obtinet, solum Dei honorem in Christo spectat, & salutem non unius vel hominis, vel populi, vel nationis, sed omnium simul quicunque Christi fidem per orbem utcumque dispersi profitentur. Tale enim Concilium generale, legitimum atque in Spiritu S. indictum esse dicimus. Quod si unius alicujus hominis honos respicitur, vel plurium etiam si universi generis honor respicitur, ut Concilium illud Babylonium respexit, vel utilitas si fieri possit, secluso Dei honore; hac in parte est Concilium humani Spiritus & quicquid per hunc spiritum statuitur, contrarium est*

Decretis Conciliorum generalium Ecclesiæ Christi, quæ illud imprimis sibi propositum habent, ut impia hujusmodi Decreta abrogent & aboleant. ANDRADIUS, qui eidem Concilio interfuit, in *Def. Conc. Trid. Lib. I.* ita loquitur: *Ii vero Chrysostomo auctore in Christi nomine congregari dicuntur, quos non privata commoda inducunt, non honoris aura invitat, non odii, non livoris aculei incitant, non contentionis Spiritus, sed pacis inflammatus amor, Christianæque charitatis faces impellunt, atque adeo conveniunt ut Christi gratia, communibus votis ac studiis, implorata, quid illi potissimum placeat, & quid verum sit perscrutentur. Nam qui ut privatis rationibus consulant, contentionibus serviant, miserosque homines specioso Concilii nomine decipiant, coëunt, minime quidem in Christi nomine convenire, neque Ecclesiasticos, sed mortiferos conventus agitare dicendi sunt.*

§. CCCXLII.

Cum ergo & de hisce constare debeat, si scire velimus num Concilium aliquod infallibile sit; hæc vero nemini nisi soli Deo cordium scrutatori nota esse possint: sequitur etiam hic Pontificiorum fidem in merum Scepticismum resolvi.

§. CCCXLIII.

Nec denique etiam in hoc Adversarii consentiunt: an suffragiorum pluralitas, an vero perfecta unanimitas requiratur ut Concilii Decreta infallibilia sint? unde nec hic firma Adversariorum fides esse potest.

§. CCCXLIV.

Liquet ex iis, quæ probata à nobis sunt, incertam ac dubiam Pontificiorum de Conciliorum infalli-

infallibilitate fidem esse dum sibimet ipsis non constent, nec adeo auctoritati humanæ infallibili, quæ Conciliis propria sit, fides ipsorum inniti potest.

Longe ergo melius ii ex Pontificiis faciunt, certioraque asserunt, qui & Papam & Concilia à veritate aberrare & falli posse dicunt; uti Cardinalis ille postea Romanus Pontifex BENEDICTUS XII. Cum nimirum JOHANNES XXII constitutionem aliquam prædecessorum suorum, Franciscanorum ordinem respicientem damnaret, ipsique objiceretur: *Quod in his quæ pertinent ad fidem & mores, determinatum semel per summum Pontificem, non potest per alium revocari:* Referente ex Eymerico ELIA DU PIN, *de antiqua Eccles. Disciplina Diss. V. Cap. I. §. IV.* memoratus Cardinalis pro eo ita respondet: *Id falsum esse, cum exemplis pluribus constet, quod illud quod circa fidem & mores male determinatum est, per unum* Papam *aut CONCILIUM, potest per alium perspecta melius veritate corrigi & emendari, & ideo non esse mirum si Dominus Johannes diligenti deliberatione, cum multis peritis in Theologia & in utroque Jure habita, revocavit quæ male dixerat D. Nicolaus.* Generalem Synodum etiam falli posse dicit THOMAS NETTERUS qui Concilio Constantiensi etiam interfuit; ita nimirum ille *Tom. I. Doctrin. Fid. Antiq. Lib. II. Art. II. Cap. XIX. Hæc est Ecclesia Symbolica & Apostolica mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem, secundum promissum Christi ad Petrum, qui tunc figuram gessit Ecclesiæ, ego rogavi pro te, ut non defi-*

ciat fides tua. Non est ergo specialis Ecclesia, non Africana, ut Donatus dixit, nec utique particularis illa Romana, sed universalis Ecclesia, NON QUIDEM IN GENERALI SYNODO CONGREGATA, QUAM ALIQUOTIES ERRASSE percepimus, velut illa Ariminensis congregata sub Tauro præfecto, & illa Constantinopolitana sub Justiniano minore, tempore Sergii Papæ secundum Bedam, & quædam aliæ. Sed est Ecclesia Christi Catholica per totum mundum dispersa.

Idem PETRUS ALLIACUS Cardinalis & Episcopus Cameracensis asserit, qui Concilio Constantiensi non modo interfuit, sed per aliquod tempus præfuit, dicens in *Quæst. Vespert. Art.* 3. 1. *Concilium generale potest difformari legi Christi.* 2. *Ecclesia Romana, quæ distinguitur à tota congregatione fidelium, ut pars à toto, potest hæreticari.* 3. *Tota multitudo Clericorum & Laicorum virorum potest deficere à fide.* Cardinalis porro NICOLAUS TUDESCHUS Archiepiscopus *Panormitanus* qui Concilio Basileensi interfuit, in Cap. *significasti*, citante LAUNOIO *Part.* 3. *Epist.* 7. *ad Fauvæum* asserit: *Puto tamen quod si Papa moveretur melioribus rationibus & auctoritatibus, quam Concilium, quod standum esset sententiæ suæ; nam & CONCILIUM POTEST ERRARE, sicut alias erravit. Nam in concernentibus fidem etiam dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus & auctoriratibus N. & V. Testamenti, quam Papa.*

Pro-

Propositio V.

§. CCCXLV.

Nec Papa cum Concilio simul Judex Articulorum Fidei infallibilis esse potest.

§. CCCXLVI.

Dum enim demonstratum sit, & Papam fallibilem esse (Propos. III.), nec minus etiam Concilia (Propos. IV.); sequeretur duo fallibilia simul sumta posse constituere aliquid infallibile; at nulla ostendi potest ratio, qui id fieri possit? nam aut Papa Concilio aut Concilium Papæ infallibilitatem communicare deberet; cum vero neutrum eam possideat, sequitur neutrum etiam alteri id communicare posse quod non habet.

Dicere forsan hic possent Adversarii, cum tam Papæ quam Conciliorum infallibilitatem negemus, sequi Ecclesiam plane hæreticam fieri posse quantaquanta est, ut universa illa à vera fide deficiat, quod tamen promissioni Christi plane contrarium sit. Respondemus: Distinguendum esse inter Ecclesiam *repræsentativam*, quam vocant, & *Universalem*. Quoad repræsentativam negamus eam falli non posse, negamus propter solam auctoritatem fidem ei habendam, nisi quatenus Decreta sua ex S. Litteris ceu unico fidei principio demonstret, quo in casu non ipsi sed Scripturæ S. habetur fides. Quoad universalem vero statuimus: fidem in ea plane deficere non posse, licet corruptissimus esset Ecclesiæ status, ut Deus semper habeat fideles suos, sive major, mox vero minor sit eorum numerus, quos ab exitiali errore immunes conservat. Bene igitur GUILIELMUS OCCAM citante LAUNOIO

Part. 5. Epist. 6. ad Bevilag. ait: *Verba hæc: Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua, dicit Christus Petro pro congregatione fidelium absque interruptione usque ad consummationem seculi. Nam fides quam B. Petrus tenuit, prædicavit & docuit, nunquam deficiet, sed in aliquibus Christianis, Clericis vel Laicis, viris vel mulieribus, usque in finem seculi remanebit.*

Propositio VI.

§. CCCXLVII.

Si Papa Petri in sede Romana legitimus Successor esset, etiam Petro majorem potestatem exercere non deberet; quod cum facit, eo-ipso ostendit, justum se ejus Successorem non esse.

§. CCCXLVIII.

Fundamenti loco nonnulla hic ponenda sunt S. Scripturæ dicta, ex quibus apparebit qualis Petri Apostolorumque fuerit potestas; Sæpius nimirum Christi Discipuli inter se certabant, quisnam eorum in Christi Regno PRIMATUM obtenturus sit? unde haud una vice ipsis ostendit, nullum plane in Regno suo SUPREMATUM, nec *externam* aliquam *potestatem* in alios exercendam locum habere posse. Ita Matth. XX. 25. 26. *Jesus advocatis Discipulis suis dixit: Scitis, gentium Principes in eas dominari, & magnos viros in eas potestatem*

testatem obtinere ; Inter vos non sic agetur : quin qui volet in vobis maximus fieri, sit vester famulus : & qui volet in vobis esse primus , esto Servus vester. Item Lucæ XXII. 24. 25. 26. *Exstitit etiam inter eos contentio , quis eorum maximus esse videretur ? at ille : Gentium Reges (inquit eis) in eas dominantur : quique eis imperant , gubernatores appellantur. At vos non ita : quin vestrum maximus perinde sit ac minimus ; & qui præest , perinde ac qui ministrat.* Et Christus à Pilato interrogatus, quid fecerit ob quod ipsi ejus Populares & Pontifices ipsum tradiderint? *Respondit Jesus : Regnum meum hujus mundi non est : si hujus mundi esset Regnum meum , pugnavissent mei Ministri , ne Judæis addicerer.* Joh. XVIII. 36. Petrus à Senioribus , qualem seipsummet esse profitetur, omnem dominandi Spiritum abesse vult , dicens 1. Epist. V. 3. *Neque ut GREGIBUS IMPERANTES , sed ut qui ovilis exempla sitis.* Ex omnibus hisce dictis apparet : nullam Potestatem politicam , nullum Dominium externum ab hominibus in Christi Regno exercendum esse , omnemque abesse debere à Christi Ministris Suprematum.

§. CCCXLIX.

Nullam ideo jurisdictionem in Viros Principes nec Petrus nec reliqui Apostoli habuerunt ; unde *illos* , ut BERRHARDUS loquitur , *quidem judicandos aliquando stetisse legimus , sedisse autem judicantes , non invenimus.* Nec propterea Petrus jus potestatemque Reges deponendi sibi tribuit , nec unquam Jus illud exercuit. Sed in nulla re Apostolus hic sæcularem sese exhibuit Principem , nec vi & armis ad Disciplinam Christianam propagandam usus est.

Si

§. CCCL.

Si autem Romanus Pontifex legitimus Petri Succeſſor eſſet, tantam ſibi auctoritatem tribuere deberet, quantam Petrus habuit, neque quidquam attentare debet, cujus nec ipſe Apoſtolus Jus atque Poteſtatem habuit. *Quantus enim tumor eſt, quanta humilitatis oblivio, & arrogantiæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus? C. Quantus, Caus. 23. Quæſt. 4.* Cum enim *nemo plus Juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habere dignoſcatur. C. Nuper, de Donat. inter Vir. & Uxor. C. Nemo, de Reg. jur.* Etiam Petrus poteſtatem aliquam in Succeſſores ſuos transferre non potuit, quam ipſemet non habuit. Si ergo Papa tantam & talem ſibi tribuit poteſtatem quantam & qualem Petrus nunquam habuit: Sequitur, *eum eoipſo oſtendere ſe legitimum Petri Succeſſorem non eſſe.*

§. CCCLI.

Arrogat autem ſibi Romanus Pontifex poteſtatem deponendi Reges, transferendi Regna, Imperium ſæculare aut politicum exercendi, Chriſtianamque Religionem ferro & igne propagandi. At Petrus nec poteſtatem abſolutam nec conditionatam habuit deponendi Reges (§. 347. 348.), poteſtatem enim hanc ſi habuiſſet, illa etiam uſus fuiſſet in Neronem præcipue Chriſtianorum perſecutorem, aliosque rei Chriſtianæ adverſos: nam ſi Deus Petro jus deponendi Reges dediſſet, ipſi etiam jure hoc utendi facultatem tribuiſſet, eo in primis tempore, quo maximum uſum ejusmodi poteſtas ejusque exercitium Eccleſiæ præbuiſſet. Petrum etiam cum univerſo

so Clero nullam in Reges potestatem prætoriam habere inde patet quod Christus omnium rerum Dominus legitimo sese Magistratui subjecit, dum Cæsari tam pro se quam pro Petro tributum solvere voluit Matth. XVII. Unde Urbanus Papa *C. Tributum, Caus.* 23. *Quæst.* 8. ait: *Tributum in ore piscis, piscante Petro, inventum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Tributi vero solutio signum subjectionis est, *Can. Magnum, Caus.* 11. *Quæst.* 1. Ubi hæc extant verba: *Magnum est, & spirituale documentum, quo Christiani Viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti: ne quis constitutionem terreni Regis putet esse solvendam. Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui tibi non putes esse solvendum? Item: Petrus Apostolus generaliter omnibus fidelibus scribit: Estote subditi Dominis vestris sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus &c.* Liquet ex canone hoc, Debitum solvendi Tributa subjectionis probationem esse, ut quisquis Regi tributa solvere obligatus sit, eidem etiam subjectus sit. Cum vero ad hoc Petrus fuerit obligatus, hinc Regi etiam subjectus fuit. Quisquis autem Regi subjectus est, ille Reges deponendi, Regnaque transferendi potestatem sibi vindicare minime potest. Nec porro Petrus Imperium sæculare exercendi potestatem habuit, siquidem prohibitum sit ne Episcopus sæcularibus sese negotiis implicet. 2. Tim. II. 4. Et bene NICOLAUS I. *C. Quoniam Dist.* 10. & *Can. cum ad verum Dist.* 96. *Quidquid fuerit in Veteri Testamento, aliud tamen esse in Novo, ex quo idem Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut rebus divinis præsidere neque-*

nequeat, qui negotiis sæcularibus sese voluerit implicare. Patet Pontificem Romanum summi Principis potestatem habere minime posse. Usum gladii denique quod attinet, Armis nonnisi spiritualibus Petrus dimicavit; Ferro enim dum rem Christi tueri vellet ab ipso gravi comminatione prohibitus fuit, unde omni vi externa in dilatando Christi Regno abstinuit; neminem igne ac ferro persecutus est, sed simplici divini Verbi prædicatione, divinis operibus, vitæ pientissimæ exemplo atque precibus veritatem illam cœlestem ac salutarem hominum conscientiæ commendavit.

§. CCCLII.

Cum igitur nemo in alium transferre potest, quod ipse non habet (§. 343.), neque donare quod suum non est, *C. Daibertum Caus.* 1. *Quæst.* 7. etiam Petrus non majorem in Successores transferre potuit Potestatem quam ipsemet habuit. Sequitur, etiam Papæ majus jus competere minime posse; si vero aliquis majorem sibi potestatem vindicat quam ipsi competit, nonnisi Usurpator est; cum vero Pontifex Romanus talem sibi vindicet potestatem, quam Petrus minime habuit, patet ipsum Usurpatorem esse; quisquis autem Usurpator est, is legitimus Successor esse minime potest. *Si ergo Papa Petri in sede Romana legitimus Successor esset, etiam Petro majorem potestatem exercere non deberet; quod cum faciat, eoipso ostendit, justum se ejus Successorem non esse, sed merum Usurpatorem.*

Pro-

Propositio VII.

§. CCCLIII.

Cum Ecclesia Romana rationibus destituatur, vi sese sustentat, & eoipso prodit, quam aliena sit à Christi Apostolorumque Spiritu.

§. CCCLIV.

Christi Apostolorumque Spiritum, in Doctrinæ Evangelicæ Regnique cœlestis propagatione & erectione, quod attinet, ita sese gerebat ut ipsius naturæ conveniebat. Uti nimirum Christi Regnum non mundanum est, sed totum quantum Spirituale, ita nolebat Rex illius ut vi externa atque armis illud propagaretur, & ne id fieret acriter inculcabat Discipulis suis. Ipsemet Christus bene fecit, suasit, hortatus est, ut ad Doctrinam atque communionem suam alliceret homines; neminem invitum ad se rapuit. Ipsemet erga quemvis mansuetus, humilis, pacificus, easdem etiam subditis suis commendavit virtutes. Et cum eum in finem venerit ut veritati testimonium præberet, non clamavit, non litigavit in foris, sed rationibus adversarios confutavit, rationibus homines ad veritatis confessionem adduxit. Idem quod Magister etiam Discipuli fecerunt, non igne, vi, ferro usi, sed simplici Veritatis ad cujusvis conscientiam commendatione evidentique ejus demonstratione Christi Regnum ac disciplinam propagarunt. Populus Christi debet esse *spontaneus* Psalmo CX. 3. Bene igitur LACTANTIUS ex Christi mente loquitur, *Instit. Lib. V.*

V. Cap. XX. Defendenda Religio, non occidendo, sed monendo; non sævitia sed patientia; non scelere, sed fide: Nam si Sanguine, si tormentis, si malo, religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil enim est tam voluntarium quam Religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.

§. CCCLV.

Quisquis ergo Christi Regnum amplificare cupit, illiusque Disciplinam disseminare, eum Magistri exemplum sequi, iisdem quibus Christus & Discipuli mediis uti oportet. Cum vero omnis externa vis procul ab iis abfuerit; sequitur *Ecclesiam Romanam, dum vi sese sustentat*, armis, carcere, tormentis, gladio, igne ad Religionem suam propagandam utitur, *eoipso prodere quam aliena sit à Christi Apostolorumque Spiritu.*

Objiciunt hic Pontificii, ut probent hæreticos sine misericordia occidendos esse; illos Christi Apostolorumque stylo, Lupos, canes rabidos, fures, latrones esse; unde vi in ipsos grassari omnino necessarium sit. Respondet Venerabilis MOSHEMIUS de pœnis hæreticorum adversus Javorskium agens, in *Syntagmate Dissert.* pag. 468. seqq. Falsam esse consequentiam, quod si justum sit bestias vere tales, hominibus damnum afferentes, interficere, eodem modo etiam, & quidem Religionis & fidei caussa, cum bestiis improprie sic dictis, sive cum hominibus, qui propter convenientiam aliquam in tertio quodam bestiis comparantur, agere liceat. Ita Regem Herodem *Vulpem* appellari Lucæ XIII. 32. Apostolos Serpentes, Columbas, Oves. Matth. X. 16. Joh. X. Benjaminem & Judæos Lupos. Gen. XLIX. 27. Matth. X. 16. Reges sub schemate bestiarum venire Jerem. IV. 7. XLIX. 19. Dan. VII. VIII. 2. Tim. IV. 17. Apoc. V. 6. VI. 1. seqq. &c. Ex quo appareat absurdissimum esse, ideo quenquam occidere quod in S. Litteris cum bestia comparetur. *Pro-*

Propositio VIII.

§. CCCLVI.

Via humanæ Auctoritatis in Religione, excluſa examinis via, divinæ bonitati ac ſapientiæ, nec non Chriſti Apoſtolorumque praxi, Litterarumque ſacrarum teſtimoniis contraria eſt; & intolerabilem in hominum conſcientias involvit Tyrannidem, convictioni etiam maxime obeſt.

§. CCCLVII.

Primum, quod in hac propoſitione demonſtrandum occurrit: eſt, *quod via Auctoritatis humanæ in Religione, excluſo examine, bonitati ac ſapientiæ divinæ contraria ſit.* Confitentur hic nobiscum Adverſarii, omnes quotquot exiſtunt homines ad Religionem creatos, adeoque ad eam obligatos eſſe; hoc eſt, Deum ſerio velle, ut homo quivis ad Dei glorificationem contendat & in ea propriam Salutem quærat. Non minus confitentur, finem hunc primarium eſſe cum homo in mundo exiſtat, ut nimirum in omnibus ſuis actionibus Gloriam Dei intendat, propriamque & quidem ſempiternam ſalutem conſequi ſtudeat. Itidem nobiscum conſentiunt, propter univerſalem generis humani per peccatum corruptionem

novo aliquo hominem salvandi opus fuisse medio; cum homo peccator per naturalem Religionem amplius servari non potuerit. Concedunt hoc salvationis medium aliter quam per Revelationem Dei immediatam homini patefieri neutiquam potuisse; ut adeo hic ad solam divinam Revelationem recurrendum sit. Medium ergo cognitionis medii illius Salutis est divina Revelatio.

§. CCCLVIII.

Cum igitur, ex concessis, homines peccatores ad Religionem obligati sint, & Deus velit ut Dei Gloriam cum propria salvatione quærant; Vera autem Dei per Peccatorem salvandum glorificandi ratio & salvationis medium per Revelationem divinam innotescat, eum in finem illud à Deo patefactum est, ut homo per illud Religionis finem consequatur; unde etiam peccator veritates illas revelatas cognoscat oportet, si per illas Religionis revelatæ finem consequi debeat; Finis enim non obtinetur sine Mediis, Mediis vero absque eorundem cognitione uti non possumus; Medii vero salutis peccatoris Deique per eam glorificationis cognitio nonnisi ex Revelatione divina habetur (§. præced.), Revelationis ergo cognitio, sive veritatum in ea contentarum, homini peccatori tam necessaria est quam finis quem intendit.

§. CCCLIX.

Quoniam autem Deus vult ut homines peccatores ad Religionis revelatæ finem tendant, sine dubio etiam vult ut media ad finem illum ducentia cognoscant; cum vero media illa ex sola divina Revelatione patefiant, divina bonitas ac sapientia

pientia requirit, ut revelatio illa ita comparata sit, sive tam clara, ut à quovis, quem Deus ad Religionis revelatæ finem tendere vult, intelligi, vel glorificationis divinæ salutisque humanæ medium ab eo cognosci possit. Nil enim tam bonitati quam sapientiæ divinæ magis adversum esset, quam si Deus quidem vellet ut homines ad Religionis finem nitantur, mediaque ad eam ducentia cognoscant, talem vero iis dedisset revelationem, quæ tantis involuta tenebris, ut plerique homines illius sensum intelligere nequirent. Vel si Deus quidem homines ad veram felicitatem per veræ Religionis cognitionem perducere vellet, ita vero obscure Religionem illam patefecisset, ut iidem illi homines, qui per eam ad veram felicitatem adducendi sunt, eam cognoscere minime possent.

§. CCCLX.

Si autem Deus peccatori salvando talem medii salutis revelationem dedit, ex qua Articuli ad salutem necessarii propter obscuritatem à maxima hominum parte, absque interpretatione infallibilis cujusdam hominis, intelligi nequeunt, aut non potuit Deus eam clariorem dare aut non voluit; Prius dici nequit, cum Deus omnis lucis ac veritatis fons, ceu Spiritus perfectissimus, gaudens intellectu perfectissimo omnia modo distinctissimo repræsentet, adeoque distincte etiam, quidquid vult entibus extra se, quibus & ipse intellectum dedit, repræsentare possit. Neque omniscientia Dei ejusdemque omnipotentia permittit, ut credere possimus, hominem aliquem, sive Papa sit, sive ii qui in Concilio congregati sunt, clarius fidei Articulos exponere posse quam

ipsemet Deus potuit. Posterius ergo dicendum, nempe Deum noluisse ; at jamjam probavimus (§. 358.), bonitati ac sapientiæ divinæ contrariari, quod quidem velit ut homines ad Dei gloriam & propriam felicitatem tendant, ipsis vero media non ita clare revelaverit ut ea cognosci possint.

§. CCCLXI.

Si vero homo Religionem nonnisi dependenter ab auctoritate hominis cujusdam cognoscere potest, ideo quia ita obscure illa revelata est, ut ex ipsa Revelatione homo eam cognoscere nequeat, hoc vero bonitati ac sapientiæ divinæ contrarium esset (§. 358.) ; Liquet *etiam dependentiam, in cognoscendo Salutis Medio, ab auctoritate humana divinæ Bonitati ac Sapientiæ adversam esse.*

§. CCCLXII.

Alterum nobis probandum hoc est : *Quod via meræ Auctoritatis humanæ in Religionis cognitione Christi Apostolorumque praxi atque Scripturæ testimoniis contrarietur.* Apud ipsos nimirum Adversarios in confesso est, Christum Jesum Salvatorem nostrum infallibilem veritatis Doctorem esse ; noluit tamen ut nullo admisso examine suæ auctoritati fidem habeant homines ; unde ad miracula, ad veterum Prophetarum oracula, ad patris etiam testimonium provocat. Matthæi XI. 4. 5. Joh. V. 31. 46. 47. Et adprobat quod Judæi in S. Litteris scrutentur versu 39. Adde Joh. X. 37. 38. Patet, noluisse Christum, aut examine excluso, soli suæ auctoritati fides habeatur. Si vero Christo, in hominibus ad se adducendis, hac via procedere placuit, cur Magistro sapientiores esse volunt

lunt Adversarii ? cur homines ab examine retrahunt quod Christus ipsis concessit ? cur aliam veritatem salutarem cognoscendi modum præscribunt, quam Christus præscripsit ?

§. CCCLXIII.

Apostolos quod spectat, Magistri exemplum etiam hac in re sequuntur. PAULUS monet ut OMNIA *probemus* 1. Thes. V. 21. PETRUS vult, *ut parati simus ad rationem reddendam spei atque fiduciæ nostræ*, quæ in Religionis Christianæ veritate posita est. 1. Pet. III. 15. *Johannes* præcipit: *ne cuilibet spiritui credamus, sed explorandos esse spiritus num ex Deo sint.* 1. Joh. IV. 1. Neque hoc examen soli Papæ vel Patribus in Concilio congregatis, sed omnibus, absque discrimine & absque ulla restrictione, fidelibus committitur.

§. CCCLXIV.

Alia Scripturæ testimonia quod attinet : Si Deus *maledictum* dicit *omnem qui fiduciam ponit in homine, & statuit carnem brachium suum*, hoc est, qui nimium humanæ potentiæ fidit, Jer. XVII. 5. non minus maledictus sit oportet, qui Verbo Dei præterito, in rebus æternam aut felicitatem aut infelicitatem spectantibus, nimium humanæ scientiæ confidunt ; nulla adduci potest ratio, cur hoc illo minus crimen esse debeat, si in re maximi momenti, divina Revelatione neglecta, solis fidamus hominibus, quos omnes mendaces esse Deus inculcat. Sed omissis his, inter maximas *Berhoënsium* laudes refertur, quod non solum summa cum aviditate doctrinam admiserint, sed *quotidie etiam sacras examinaverint Litteras, an ea sic se haberent.* Act. XVII. 11. Fideles dicuntur *intelligen-*

ligentes qui ipsi judicare possunt. 1. Cor. X. 15. *Spirituales, qui dijudicant omnia.* 1. Cor. II. 15. Et idem Apostolus vult, *ut verbum Christi habitet in nobis abundanter in omni Sapientia.* Col. III. 16. à Johanne *felix* prædicatur, *qui legit, & qui Oraculi dicta audiunt, & quæ in eo scripta sunt exsequuntur.* Apoc. I. 3. Cuivis ergo S. Scripturæ lectio concessa est, ut non habeant homines cur à sola humana auctoritate in rebus fidei pendeant. Pharisæi in Evangelio dicunt: *Num quis ex Principibus in eum credit, aut ex Pharisæis? At ista plebs, ignara legis, nefaria est.* Joh. VII. 48. 49. Christus contra dicit: *Confiteor tibi pater & domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Matth. XI. 25. Idem quod Pharisæi de plebe judicium tulerunt, idem Ecclesiæ Romanæ Doctores de plebe sua ferunt. Et quæ Christus de Mysteriis à Patre cœlesti parvulis revelatis prædicat, adhucdum valent. Concludimus *viam humanæ auctoritatis, Christi* (§. 361.) *Apostolorumque praxi* (§. 362.), *multisque Scripturæ testimoniis* (§. 363.) *adversam esse.*

§. CCCLXV.

Tertia Propositionis VIII pars est: *Quod Auctoritas humana in Religione intolerabilem in hominum conscientias involvat Tyrannidem.* Per dominium in Conscientias intelligimus *Jus alios obligandi ut loquenti propter solam auctoritatem assensum præbeant. Tyrannis* vero in Conscientias est *coactio animorum ut alteri propter auctoritatem suam fidem habeant.* Dum igitur Papa Jus sibi vindicat alios obligandi, ut propter solam suam auctoritatem in Religione ipsi assentiantur, Dominium in conscientias sibi tribuit; & dum alios vi cogit, ut Religionem suam

ſuam amplectantur, ipſique propter ſolam auctoritatem ſuam aſſenſum præbeant, tyrannidem in conſcientias exercet.

§. CCCLXVI.

Tale autem Jus Papæ competere minime poſſe ſic demonſtratur. Jus aliquod in alios homines duplici ratione acquiritur, vel per conceſſionem ejus in quem Jus illud exercetur, vel per immediatam Dei conceſſionem. Priori modo Reges, Principes atque Magiſtratus poteſtatem ſuam in ſubditos acceperunt; dum in Societate humana inter Principem ſubditosque ſit conventio mutua, ut ab una parte ea curet ac dirigat Princeps, quæ ad tranquillitatem ac ſecuritatem publicam ſpectant, ſubditi contra morem gerant, & nihil eorum omittant quæ ad promovendum bonum publicum Princeps utilia ac neceſſaria ducit. Et cum Poteſtates ſuperiores à Deo inſtitutæ ſunt, Principes etiam ex immediata Dei conceſſione Jus illud habent, quod ad utilitatem publicam in ſubditos ſuos exercent. Si ergo Papa Jus habet in hominum conſcientias, uti Magiſtratus politicus Dominium exercet in nonnullas ſubditorum actiones externas, illud poſſideat oportet vel ex conceſſione eorum in quos illud exercet, vel ex immediata Dei conceſſione.

§. CCCLXVII.

Ex conceſſione eorum in quos Papa Jus illud exercet id fieri nec potuit, nec debuit. Non potuit, quia nemo hominum poteſtatem habet *facere aliquid apparere intellectui ſuo verum, quando ipſe voluerit*, ut Comes Mirandulanus ſcripſit teſte DAVENANTIO *de judice & norma fidei.* Cap.

XXVII. pag. 163. Nullus enim credit, aliquid esse verum, præcise, quia vult credere id esse verum. Ad fidem absque ullo dubio requiritur convictio, sive certissima persuasio aliquid verum esse; cuilibet autem propria conscientia testis est, convictionem de rei alicujus veritate, utcunque vellemus, semper in potestate nostra minime esse, unde nec semper in potestate nostra est ut rei alicui fidem adhibeamus, nisi præcedat rei illius evidens demonstratio. Quidquid autem in potestate nostra non est, ejus potestatem nec alteri deferre possumus. Atqui fides. per demonstrata, in nostra potestate non est: E. nec alteri potestatem in nostram fidem deferre possumus.

Nullo autem modo credibile est, homines unquam tam infrunitos fuisse, ut alii cuidam homini tantam in se concesserint potestatem, ut jus habeat vi eos ad assensum in Religione cogendi, sive morte eos plectendi, nisi absque veritatis demonstratione fidem ipsi habeant.

§. CCCLXVIII.

Sed *nec debet* homo alteri in fidem suam potestatem conferre. Ea enim homo, non inficiantibus Adversariis, in Religione credere debet, quæ Deus Religionis Auctor vult ut credat; unde etiam potestas in fidem nostram Dei soli competit, qui solus fidei Articulos revelare, qui solus mentem nostram illuminare & ut ipsi fidem habeamus facere potest. Cum autem homo ea in Religione credere obligatus est, quæ Deus vult ut credat, in ipsius potestate non est, alii homini promittere se ea crediturum quæ alter vult ut credat, nisi in quantum alter ipsi demonstrat, hanc Dei voluntatem esse; sive ipsum Deum hujus, de quo agitur, Articuli fidem ab hominibus requirere. Oportet

§. CCCLXIX.

Oportet ergo Romanus Papa Jus hoc in hominum conſcientias dominandi ex immediata Dei conceſſione habeat. Id factum eſſe vel ex ipſis S. Litteris conſtare debet, vel ex rei natura. In S. Litteris ne verbulum quidem occurrit, Deum vel Apoſtolis, vel Romano Pontifici, vel tribunali cuidam terreno, vel Concilio Patrum Eccleſiæ hanc conceſſiſſe poteſtatem ut alios obligandi jus habeant, ea credere, quæ, excluſo examine ac demonſtratione, ſola auctoritate humana credenda præſcribuntur, atque vi cogendi eos, ut fidem habeant, qui absque prævio examine evidentique veritatis demonſtratione aſſenſum præbere nequeunt.

§. CCCLXX.

Sed nec ex ipſa rei natura probari poteſt Deum homini cuidam hanc conceſſiſſe poteſtatem. Hoc enim ſi Deus feciſſet, contradictoria faceret. Ab una enim parte homini voluntatem indidiſſet liberam, ita comparatam, ut nulla externa vi, nullis tormentis cogi atque in aſſenſum trahi, ſed nonniſi rationibus flecti poſſit. Ab altera vero parte homini cuidam jus dediſſet vi cogendi alios ad eam Religionem amplectendam, quam falſam eſſe agnoſcunt. Hoc eſt, talem omnibus hominibus naturam dediſſet, ut Religioni non prius aſſenſum præbeant, quam de ejus veritate ac divinitate convicti ſint, dum voluntas aſſentiri nequeat niſi de rei alicujus veritate perſuaſa ſit; ſed inſuper homini cuidam vel collegio jus dediſſet, ut vi ac auctoritate homines adigerent ut eam Religionem veram habeant quam falſam eſſe credunt.

Legi hac de materia potest Celeb. SAM. WERENFELSII Epistola *de Jure in conscientias ab homine non usurpando*, quæ extat *Opusc.* pag. 35. Addi hic possent alia argumenta, quod nimirum nonnisi hypocritæ fiant, Deo tam detestabiles, si vi ad amplectendam Religionem aliquam homines adigantur, quo argumento utitur Erudit. NIC. WILKENS in Dissert. *de fine & scopo Imperii Romano-Germanici Cap. I. §. 9.* dicens: „Vis & coactio à Religione semper abesse debet. Hæc enim si adhibetur, „potius hypocrytæ, quam veri Christiani efficiuntur. „Neque enim hominis est, hominem cogere ut credat, verum esse, quod falsum esse persuasum habet. „Necesse igitur est, ut Deo relinquamus imperium „in conscientias, qui & solus illas flectere, &, quo „vult, inclinare potest, atque hac etiam in parte sequamur exemplum & Doctrinam Apostolorum, quos „constat, homines Verbo Dei, non gladio, convertendos semper credidisse.„ Agnovit idem hoc FENELONIUS, si fides habenda auctori biographiæ ejus, qui citante Celeb. ZIMMERMANNO Dissertationis *de Recentiorum nonnullorum eruditorum præposteris adversus Incredulos disputandi methodis Parte V. pag.* 5. hac de re ita loquitur: *Nulle*, inquit in litteris responsoriis ad nobilem aliquem Germaniæ Principem exaratis, *Nulle puissance peut forcer le retranchement impenetrable de la liberté du Cœur. La force ne sauroit persuader les hommes; elle ne fait que des hypocrites. Quand les Rois se melent de Religion au lieu de la proteger, ils la mettent en servitude. Acordés donc à Tous la Tolerance civile, non en aprouvant tout comme indifferent, mais en souffrant avec patience tout ce que Dieu soufre & en tachant de ramener les Hommes par une douce persuasion.* Addi

Addi his potest quod si auctoritas humana ac vis externa in Religione locum habeat Deus magis errori quam veritati faveat oportet. Quod argumentum WERENFELSIUS Epist. cit. pag. 40. urget. *Si enim*, inquit, *solis argumentis agitur, potior longe est veritatis conditio, quam erroris: semper enim & ubique argumenta pro veritate militantia sunt fortiora. Sin res ad vim deducitur, melior est conditio erroris quam veritatis, non enim semper & ubique major vis est à parte veritatis, imo plerumque ab erroris partibus fortior vis est. Jus igitur cogendi, quod Deus homini dedisset, dedisset in favorem erroris, & in præjudicium veritatis. At, inquis, non errori Deus concessit jus cogendi, sed soli veritati. Hoc vero conditionem veritatis nihilo reddit meliorem: error enim qui veritatis titulum usurpat, semper quoque usurpabit jus cogendi, & hoc jure revera utetur: atque istud Deus aliter impedire non potest, nisi errantibus in Religione aut eximat errorem, quo deluduntur, aut adimat facultatem cogendi; quorum neutrum eum facere, experientia omnium seculorum testatur.*

§. CCCLXXI.

Quarta denique Propositionis hujus pars hæc est: *Quod auctoritas humana atque coactio convictioni, atque adeo fidei etiam, maxime obsit.* Ad Fidem convictionem atque evidentem veritatis demonstrationem requiri, patet ex ipsa Apostoli Pauli definitione; dicit nimirum Heb. XI. 1. Ἔστι δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Vox Ἔλεγχος autem significat tum *certam ac evidentem demonstrationem* (Syst. nostri

Tom.

Tom. I. Cap. I. §. 2.), tum alterius *convictionem* (loc. cit. §. 4.). Cum igitur ad Fidem convictio atque evidens veritatis demonstratio requiratur, sequitur quod quidquid evidenti demonstrationi, adeoque inde nascenti convictioni obsit, etiam fidei obsit. Nihil autem veritatis demonstrationi indeque nascenti convictioni magis obesse potest, quam si homo excluso omni examine, omissis rationibus ac demonstratione soli humanæ auctoritati in Religione fidem adhibere cogitur, vel potius ad cœcum vel hypocriticum assensum adigitur.

§. CCCLXXII.

Ideo porro auctoritatis ac coactionis via convictioni fideique obest, dum in Religione Pontificia homines nullum fidei principium habent, inter ipsos enim Adversarios nostros non constat quis infallibilis controversiarum Judex ac S. Scripturæ interpres sit, an solus Papa? an vero Concilium Oecumenicum? an Papa cum Concilio simul? unde non convenit, quænam proprie auctoritas illa humana, cui cœca fides habenda sit? Et si Papa cum Concilio Oecumenico simul infallibilis ille judex agnoscatur, nec Plebi nec alii cuidam homini constare potest, an Concilium illud omnia ea habeat requisita, quæ ad universale requiruntur (per Propos. IV.). Dum ergo Pontificii dubii sint, quænam auctoritas illa humana sit, cui in Religione sine ullo examine assensus præbendus, etiam dubii sint oportet de fidei suæ principio, ubi vero dubitatio est ibi nulla convictio, nulla fides obtinet. Patet viam auctoritatis humanæ, quam Adversarii in Religione sua celebrant, convictioni ac fidei maxime obesse.

Sed

§. CCCLXXIII.

Sed supponamus nullam inter Pontificios esse litem de sede auctoritatis illius humanæ, illa tamen convictioni adeoque & fidei nihilominus maxime obest. A Laicis enim nonnisi fidem, uti vocant, implicitam, id est, cæcum assensum requirunt; ut nimirum ea credant quæ Ecclesia Romana credit, licet quid illud sit ignorent. Cum vero convictio ex rationibus, sive veritatis ad conscientiam demonstratione oriatur, hæc autem in fide illa implicita locum habere minime possit: liquet auctoritatem illam, fidem nonnisi implicitam requirens, convictioni adeoque & veræ fidei maxime nocere, vel potius eam plane tollere.

Miseros homines, qui ipsimet indagare non audent, quid Deus de mediis ad æternam felicitatem ducentibus revelaverit, sed qui nonnisi bona aliorum hominum fide in momentosissima hac re agere debent. *Forte*, inquit WERENFELSIUS *in Dissert. Pro Plebis Judicio de dogmatibus fidei pag.* 28. *ii quibus in re tanti momenti credis, ex hypocritarum genere sunt, quorum plenus est orbis; qui ipsi non credunt, quod aliis credendum obtrudunt: simulant ita propter spem commodi aut honoris: aut propter metum incommodi, jacturæ, damni, infamiæ, pœnæ aliusve mali. Sunt innumeræ, sunt valde plausibiles, talia de plurimis præsumendi, rationes. Forte is, cujus auctoritatem sequeris, sequitur & ipse auctoritatem alterius: hic alterius & sic deinceps: atque ita tu simul & duces tui itis, qua itur, non qua eundum est. Forte ille, qui tibi videtur* Dux cœcorum: Lumen eorum, qui in tenebris sunt:

sunt; Eruditor insipientium; Magister infantium: *Ipse cœcus, ipse caligo, ipse insipiens, ipse infans est. Forte iste* in Israële Magister; *ipse ea nescit, quæ sunt ad ingrediendum in Regnum Dei necessaria. Forte hi* speculatores tui cœci *sunt, qui ipsi* nihil intelligunt. *Forte*, qui in cathedra Mosis sedent, fermento *inquinati sunt, à quo tibi est sollicite cavendum. Forte* Prophetæ tui prophetant mendacium: visiones animi sui eloquuntur, & non ex ore Jehovæ.

§. CCCLXXIV.

Cum igitur via auctoritatis humanæ in Religione, excluso examine divinæ bonitati ac sapientiæ contraria sit (§. 360.). Eaque Christi Apostolorumque praxi (§. 361. 362.), nec non aliis S. Scripturæ testimoniis adversetur (§. 363.). Et intolerabilem in hominum conscientias involvat Tyrannidem (§. 364 -- 369.): & auctoritas humana atque coactio convictioni atque fidei maxime obsit (§. 370. 371. 372.); Patet illam in Ecclesia tolerari nullo modo posse.

Propositio IX.

§. CCCLXXV.

Dogmata Ecclesiæ Romanæ vero Evangelii Fini contrariantur.

Ostensum à nobis fuit, ad tres classes referendos esse Pontificiorum errores; quorum *primi* ad *Hierarchiam* illam *Papalem* pertinent; *alii* vero *dogmata*, sive res credendas, spectent;

ſpectent: *tertii* denique *generis divinum cultum* reſpiciant. Primam hactenus errorum claſſem refutavimus, ſequitur nunc altera, contra quam nonniſi duas demonſtrabimus Propoſitiones.

§. CCCLXXVI.

Evangelii finis eſt, ut homini Peccatori Medium oſtendat, quomodo cum propria Salute Deum glorificare, & qua ratione Medii hujus particeps fieri queat. Quæ veritas inter Chriſtianos tam certa habetur, ut neipſi quidem Adverſarii, quos nunc refutamus, hac de re dubitent.

§. CCCLXXVII.

Finis ergo Evangelii duo reſpicit α. *Ipſum* Salutis noſtræ *Medium*. β. Medii hujus *applicationem*.

§. CCCLXXVIII.

Quoad ipſum Salutis Medium, Sacra Scriptura conſtanter & ubique inculcat: Jeſum Chriſtum eſſe unicam perfectiſſimamque Salutis noſtræ cauſſam. Ut è multis ejus effatis pauca tantum afferam, dicitur Eſajæ XLV. 21. 22. *Ego, præter quem juſtus Servatorque Deus non eſt. Recipite vos ad me, & ſervamini, omnes fines terrarum.* Et verſu 23. 24. 25. *Mihi & omne genu flectetur, & omnis lingua jurabit, ſeque in Jehova dicens habere ſane Juſtitiam & potentiam.* Propterea Chriſtus *ad ſe venire* jubet *omnes laborantes & onuſtos, ut recreet eos.* Matth. XI. 28. Imo ad conſequendam æternam Salutem nil niſi vera in Chriſtum fides requiritur, excluſis omnibus aliis conditionibus. Dicta quædam afferam, licet omnibus debeant eſſe notiſſima. *Sic* nimirum *Deus amavit mundum, ut filium*

um ſuum unicum dederit, ut, quisquis in eum credat, non pereat, ſed vitam obtineat æternam. Joh. III, 16. & verſu 36. *Amat Pater filium, eique omnia tradidit in manum. Qui in filium credit, vitam æternam conſecuturus eſt. Qui vero filio non credit, is vitam non videbit, ſed ei imminet ira divina.* Marci XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur; qui vero non crediderit condemnabitur.* Adde Actor. XVI. 31, & Rom. X. 9. Petrus Actor. IV. 12. aperte teſtatur: *In nullo alio eſſe Salutem, nec ullum aliud nomen eſſe ſub cœlo apud homines datum, per quod ſervandi ſimus.* Paulus 1. Tim. II. *Unicum ſolum inter Deum & homines Mediatorem eſſe* dicit, nempe *hominem Chriſtum Jeſum.* Johannes 1. Epiſt. II. 2. *Quod ſi quis peccaverit*, inquit, *Advocatum habemus ad Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* Omnia hæc aliaque plura S. Scripturæ effata monſtrant, Jeſum Chriſtum unicam perfectiſſimamque Salutis noſtræ cauſſam eſſe, neque Deum velle ut alio modo quam per Chriſtum, aut extra Eum æternam noſtram Salutem quæramus, neque aliud Beatitudinem hanc conſequendi Medium Scriptura S. agnoſcit, & quidem expreſſiſſimis, quæ adduximus, verbis, quam veram in Chriſtum fidem.

§. CCCLXXIX.

Eccleſia autem Romana, dum ſtatuit non pro omnibus ſalvandorum peccatis Chriſtum fatisfeciſſe, ut pro certis ipſi peccatori τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου implendum ſit; dum operum meritum ſtabilire vult; dum nonnullis opera ſupererogatoria adſcribit, quæ pro lubitu diſpenſandi Indulgentiasque donandi Romano Pontifici jus fasque eſſe aſſerit; dum ſanguini Chriſti ejusque ſpiritui non

non plenariam à peccatis purificationem, sed purgatorio potius, quem vocant, igni eam tribuit; dum præter Christum alios adhuc agnoscit intercessores sive mediatores, qui ceu tales invocandi sint; Ecclesia, inquam, Romana dum hæc contendit, Jesum Christum non unicam perfectissimamque Salutis æternæ caussam, omnibus aliis exclusis, agnoscit, adeoque vero Evangelii fini illius Doctrina contrariatur (§. 376. 377.), dum præter Christum veramque in eum fidem alia adhuc consequendæ Salutis Media homini peccatori præscribit.

§. CCCLXXX.

Altera pars, quam Evangelii finis respicit, est *Medii Salutis applicatio* (§. 376.), cui Dogmata Romanæ Ecclesiæ itidem adversari sequenti modo demonstramus: Ad Medii Salutis applicationem requiritur in primis *Mentis illuminatio & Voluntatis immutatio ac sanctitas*. Prior necessaria est, quia sine ea homo nec cœlestes illas veritates ad Salutem scitu necessarias recte cognoscere, nec de iis convinci potest. Unde Apostolus Paulus sequentes pro Ephesiis preces fundit, Cap. I. 17. 18. *Ut Domini nostri Jesu Christi Deus, gloriæ Pater, vos sapientiæ & patefactionis auctore spiritu donet, quo eum cognoscatis, illustratis vestræ mentis oculis, ut sciatis, quid sperandum sit vocatis ab eo.* Uti vero homo interne Spiritus S. ope colluſtratur, ita externum illuminationis Medium Verbum divinum est. Unde David Psalm. XIX. 8. 9. *Jovæ lex integra animum recreat: Jovæ fidum oraculum ex infante reddit sapientem. Jovæ mandata recta mentem exhilarant: Jovæ pura disciplina illustrat oculos.* Idem Apostolus Petrus docet 2. Epist. I. 19. *Adde*, inquit,

quit, *quod habemus firmiorem propheticum sermonem, in quem recte facitis quod estis intenti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in vestris animis.* Ecclesia autem Romana hominibus lectione S. Scripturæ interdicit, quæ tamen nunc unicum ad cognitionem veritatum Dei revelatarum perveniendi Medium est. Id propterea Pontifex Romanus maxime agit, ut ignorantia in Ecclesia sua ubique obtineat, quæ etiam caussa est cur nonnisi fidem implicitam ad consequendam Salutem requirit. Patet Doctrinam Ecclesiæ Romanæ mentis illuminationi quammaxime adversam esse.

§. CCCLXXXI.

Nec minus voluntatis immutatio ac sanctitas homini peccatori necessaria est, si æternæ salutis particeps fieri vult; unde is etiam Evangelii finis est, ut non intellectum solum sed & peccatoris voluntatem ad divinam imaginem restituat. Quæ voluntatis renovatio tam necessaria est, ut sine ea regnum divinum intrare nemo possit: *A Christo*, inquit Apostolus Paulus Ephes. IV. 21. 24. *audivistis, & ab eo docti estis, veterem hominem deponere, qui fallacibus perit cupiditatibus, & mentis vestræ spiritu renovari, ac novum hominem induere, conditum divinitus, cum justitia ac vera sanctitate.* Licet vero voluntas nonnisi Spiritus S. ope renovari atque sanctificari possit, ita tamen sapientissimus Deus Salutis Media subordinavit, ut Spiritus Dei non absque divino Verbo operetur; Unde si de hominis renovatione ac sanctificatione in S. Litteris sermo fit, ea etiam Verbo divino adscribitur, *Sanctifica eos*, inquit Christus, *in veritate tua, Verbum tuum est veritas.* Joh. XVII. 17. Et Paulus dicit:

dicit: *Omne Scriptum divinitus inſpiratum, utile eſt ad Doctrinam, ad reprehenſionem, ad correctionem, ad juſtitiæ diſciplinam, ut compoſitus ſit divinus homo, ad omne recte factum bene comparatus.* 2. Tim. III. 16. 17. Beatum propterea Apoſtolus Timotheum prædicat, quod à puero ſacras Litteras noverit, quæ ipſum ad Salutem erudire potuerint. *Si vos*, inquit Salvator, *in meis dictis manebitis, vere mei diſcipuli eritis, veritatemque cognoſcetis, quæ veritas vos in libertatem vindicabit.* Joh. VIII. 31. 32. Addi his poteſt integer Pſalmus CXIX. Liquet ex his, Verbi divini uſum ad veram hominis ſanctificationem Medium plane neceſſarium eſſe. Cum vero Pontifices homines à S. Scripturæ lectione arceant, eo ipſo oſtendunt Doctrinam ſuam veræ hominis ſanctificationi quammaxime obeſſe.

§. CCCLXXXII.

Dum igitur Eccleſia Romana divinum Verbum è hominum manibus eripit, eos vera etiam ſanctificationis ſuæ norma privat. Quomodo enim homo ad puriſſimam divinam Legem vitam ſuam componere; quomodo Chriſti veſtigia premere poterit, qui nobis exemplum per integram vitam ſuam reliquit, ut veſtigia ejus ſequamur? Si Liber homini aufferatur, in quo ſanctiſſima Dei voluntas revelatur, & integra vitæ Chriſti hiſtoria narratur. Cum autem juxta Eccleſiæ Romanæ Doctrinam veræ ſanctificationis Regula hominibus adimenda ſit; ſequitur eam veræ Sanctitati maxime officere.

§. CCCLXXXIII.

Sacra Scriptura porro non ſolum abſolutam ſanctificationis neceſſitatem docet, ut absque ea

nemo faciem Domini visurus sit, sed ad eam requirit: *Ut impietati, mundanisque cupiditatibus valedicentes, frugaliter & juste pieque vivamus in hoc sæculo.* Tit. II. 12. *Ut purgemus nosipsos ab omni & corporis & animi labe, sanctimonia perfungentes cum Dei metu.* 2. Cor. VII. 1. Loco autem sanctificationis hujus internæ ad majorem semper perfectionem tendentis, Ecclesia Romana nonnisi externam & momentaneam quandam substituit. Si nimirum ii qui Doctrinæ Pontificiæ addicti sunt convicti essent, veram in Christum fidem & inde nascentem cordis purificationem, totiusque hominis tam mentis quam corporis sanctificationem unicum consequendæ Salutis æternæ Medium esse, pecuniam suam pro indulgentiis atque absolutionibus haud frustra consumerent; Inferiæ etiam non minus ac peregrinationes illæ sacræ, sive Religionis ergo susceptæ, omne suum amitterent pretium. Facile quoque homines agnoscerent, solam illam, quæ in Ecclesia Romana ad consequendam Salutem æternam sufficiens habetur, peccatorum confessionem ac pœnitentiam sive cordis attritionem, & absolutionem propterea ab eo qui à confessionibus est concessam, ad introitum in cœleste Regnum neutiquam sufficere. Quoniam itaque hominibus persuadent ii, qui in Ecclesia Romana gubernacula tenent, vera hæc ad obtinendam Salutem media esse, neque veram ac internam mentis atque corporis sanctimoniam, totiusque vitæ, ad unicam S. Scripturæ, Perfectionum divinarum, ac exempli Christi normam, emendationem ex vera in Christum fide fluentem; ceu verum Salutis medium, urgent; hominesque in iis quæ supradiximus subsistunt, neque ad veram sanctitatem

tem propterea tendunt ; apparet quantopere Doctrina pontificia vitæ ſanctitati ejusque progreſſui noceat ac adverſetur.

§. CCCLXXXIV.

Dum itaque Romana Eccleſia Jeſum Chriſtum non unicam perfectiſſimamque æternæ Salutis cauſſam agnoſcit (§. 378.) ; Illiusque Doctrina mentis illuminationi adverſa eſt (§. 379.) ; veræque hominis ſanctificationi vario modo officit (§. 380. 381. 382.) : Evangelii vero finis eſt, ut oſtendat Jeſum Chriſtum unicam perfectiſſimamque Salutis peccatoris cauſſam eſſe (§. 377.), & ad Medii ſive cauſſæ Salutis applicationem præter veram fidem requiri mentis illuminationem vitæque ſanctitatem , ex qua demum veræ fidei certi ſimus (§. 379. 380.) : Sequitur *Dogmata Eccleſiæ Romanæ vero Evangelii fini contrariari.*

Propoſitio X.

§. CCCLXXXV.

Doctrina Eccleſiæ Romanæ in Gloriam Chriſti quam maxime eſt injuria.

§. CCCLXXXVI.

Per *Gloriam* Chriſti intelligitur complexus omnium ejus Perfectionum , quas in toto Salutis negotio manifeſtavit, quatenus ab Entibus rationalibus, præcipue Creaturis ſalvandis agnoſcuntur. Homo autem *promovere* dicitur *Gloriam*

Christi, quatenus verbis & factis testatur, se agnoscere summas Salvatoris perfectiones.

§. CCCLXXXVII.

Quo majores ergo perfectiones Christo Salvatori tribuuntur, eo magis etiam ipsius Gloria agnoscitur; maxime propterea id fit, quando peccator salvandus ipsum agnoscit perfectissimam, adeoque etiam salutis suæ, caussam.

§. CCCLXXXVIII.

In Gloriam autem ipsius injurium est, quicquid Perfectionibus ejus absolute summis in negotio gratiæ manifestatis aliquid detrahit; ut unica perfectissimaque Salutis nostræ caussa non agnoscatur.

§. CCCLXXXIX.

Præcipuæ, quas in toto hoc revelavit ac exhibuit negotio, Perfectiones, sunt infinitus ipsius erga homines peccatores *Amor* ac *Bonitas*, qua exinanivit se in bonum salvandorum, vitamque suam pro iis posuit; Nec non infinita ipsius *Omnisufficientia* ac *Potentia*, qua pro tanto peccatorum numero divinæ Justitiæ ac legi satisfacere, omnia quæ peccatorem à Deo removebant obstacula tollere, liberationis medium iis applicare, eos ex Diaboli potestate vindicare, salutem denique æternam ipsis conferre potest. Si igitur peccatores salvandi verbis & factis testantur se attributa hæc benignissimi Salvatoris agnoscere, ipsum glorificant (§. 385.). Quisquis ergo aliquid vel docet vel facit quo perfectiones hæ Salvatoris absolute summæ non agnoscuntur sed potius negantur, ejus Doctrina vel factum in Gloriam Salvatoris injurium est (§. 387.).

Et

§. CCCXC.

Et quoniam summas hasce perfectiones in Ecclesiæ bonum Salvator exhibuit, oritur inde inter ipsum & Ecclesiam relatio quædam, vi cujus Ecclesia ab eo dependet, quæ ipsum propterea agnoscit Dominum suum (§. 1488. Cap. III.). Ipsi jus ac potestas in eam competit (loc. cit. §. 1493.), quæ nemini mortalium competere potest (loc. cit. §. 1511.). Quisquis igitur aliquid vel facit vel docet, quod supremæ huic potestati aliquid derogat vel ei contrarium est, is etiam perfectionibus illis detrahit ex quibus Jus & Potestas hæc nascitur; qui vero de perfectionibus illis aliquid detrahit (§. 387.) in Gloriam Salvatoris injurius est. E. & illa Doctrina in Gloriam Christi injuria est, quæ Juri ipsius ac potestati in Ecclesiam, nemini mortalium competenti, aliquid detrahit.

§. CCCXCI.

Illa munera, per quæ Christus, in Ecclesiæ bonum, supradictas exhibet perfectiones, sunt Propheticum, Sacerdotale & Regium, per quorum exercitium fit Salvator absolute perfectissimus. Quæcunque igitur Doctrina de muneribus hisce aliquid detrahit, etiam de perfectionibus, quæ per illa exhibentur detrahit; unde illa in Gloriam Christi est injuria (§. 387.).

§. CCCXCII.

Munus Christi propheticum quod spectat, demonstravimus suo loco (Propos. I. §. 260. seqq.) Jesum Christum unicum Ecclesiæ Doctorem esse, solum etiam in Verbo suo loquentem audiendum. Unica propterea rerum credendarum norma S.

Scriptura est, quod à nobis probatum tum (§. 245 -- 255.), tum præcipue (§. 265. seqq.). Medium ergo per quod Christus propheticum suum munus exercet est S. Scriptura; Doctrina igitur quæ auctoritati ac dignitati S. Scripturæ aliquid detrahit, tantum Muneri Christi prophetico detrahit adeoque in Gloriam Christi injuria est (§. 390.).

§. CCCXCIII.

Adversariorum autem de S. Scriptura Doctrina hæc est α. Quod fides nostra de divina ejus auctoritate nonnisi sola Ecclesiæ auctoritate nitatur, S. Scripturæ auctoritas ergo *quoad nos* Ecclesiæ auctoritati subjicitur, Fidesque nostra ab Ecclesiæ non à Christi in Verbo suo loquentis auctoritate pendet. Hoc est, Verbo divino credendum non propter intrinsecos ejus divinos characteres, sed eam solum ob causam, quia Ecclesia ita jubet. Tantum igitur Verbi divini auctoritati detrahunt, divinisque ejus characteribus derogant, quantum Fidem nostram de divina ejus auctoritate, adeoque Scripturæ auctoritatem, quoad nos, ab Ecclesiæ auctoritate pendentem faciunt. Docent β. S. Scripturæ explicationem, in rebus Religionem ac Fidem spectantibus, à sola Ecclesiæ sive Papæ Conciliorumque auctoritate ac judicio pendere, unde iterum Doctrinam Christi in S. Litteris contentam auctoritati humanæ subjiciunt, adeoque ejus auctoritatem ac dignitatem deprimunt. γ. Negant, Sacram Scripturam perfectam fidei ac vitæ nostræ normam continere, omniaque peccatori salvando creditu factuque necessaria in ea reperiri, sed supperaddendas ei esse traditiones orales. Negant propterea

terea S. Scripturæ perfectionem eique de dignitate sua detrahunt. δ. Asserunt S. Scripturam non ita claram esse ut à quolibet salutis suæ cupido, eam cum debita attentione & Spiritus Sancti imploratione & effatorum ejus collatione legente, ea quæ ad salutem scitu absolute necessaria sunt intelligi queant; proptereaque Laicis ejus lectione interdicunt. Ex quo iterum patet, Romanam Ecclesiam S. Scripturæ perfectionem negare. Perfectio nimirum uniuscujusque rei in hoc consistit, quando omnia ei insunt quæ fini consequendo sufficiunt propter quem res est; Cum vero S. Scripturæ finis sit, ut homini viam ad æternam salutem monstret, propter obscuritatem autem illius finis hic per eam obtineri nequeat; ex Doctrina pontificia sequitur eam imperfectam esse. Dum igitur Ecclesia Romana de S. Scripturæ auctoritate ac dignitate, ut & de ejus perfectione detrahit, etiam de Munere Christi prophetico, quod nunc per S. Scripturam exercet, detrahit.

§. CCCXCIV.

Uti de prophetico Christi munere Ecclesia Romana detrahit, ita Doctrina illius in munus etiam Christi Sacerdotale injuria est. α. Enim propriam pro peccatis satisfactionem stabilire conantur; hominemque Christo, juxta *Concil. Trid.* Sess. XIV. c. 8. 9., ceu alterum sui ipsius salvatorem adjungunt. Tantum igitur de omnisufficientia meriti Christi detrahunt, quantum ipsimet homini in salutis negotio tribuunt. β. In S. Litteris purificatio ab omnibus peccatis nonnisi soli Christi sanguini ejusque Spiritui tribuitur, ut etiam in hoc opere Jesus Christus unicus perfectissimusque Salvator sit; Ecclesia Romana autem

ignem purgatorium addit, *Concil. Trid.* Seſſ. 23. in quo animæ nondum perfecte juſtorum ac purificatorum tamdiu detineantur, donec purgatæ, meritoriis viventium interceſſionibus ac Inferiis inde liberentur. Quæ Doctrina meriti Chriſti ſufficientiam ac perfectionem plane obſcurat atque evertit. γ. Sacrificium porro Chriſti hoc ab omnibus aliis diſtinguitur, quod reliqua propter imperfectionem quotidiana opus habuerint repetitione, Chriſtus vero, dum ſacrificium ejus perfectiſſimum fuerit, nonniſi ſemel ſeipſum libaverit. *Hic*, inquit Paulus, *quia durat in ſempiternum, nunquam tranſiturum habet ſacerdotium: & idcirco perfecte poteſt ſervare eos, qui per ipſum ad Deum accedunt, quippe qui ſemper vivit ad ſupplicandum pro iis. - - Qui non habet quotidie neceſſe, ſicut Pontifices, prius pro ſuis peccatis victimas libare, deinde pro Populi. Hoc enim SEMEL fecit, dum ſeipſum libavit.* Heb. VII. 24. 25. 27. 28. Docet contra Eccleſia Romana, Chriſtum quotidie adhuc à Sacrificulis ſacrificandum eſſe, quod maximam Sacrificii Chriſti imperfectionem ſupponit; neque enim Veteris Teſtamenti ſacrificia aliam ob cauſſam quotidie repetebantur, quam quod peccatis expiandis inſufficientia ac imperfecta erant. Uti igitur maximam Sacerdotii Chriſti perfectionem indicat, quod ex ordine Melchiſedechi fuit Sacerdos, adeoque nec anteceſſorem nec ſucceſſorem habuit, ita non poteſt non hoc maximum perfectionis ſacrificii ejus indicium eſſe, quod nulla opus habuit repetitione, uti eorum ſacrificia qui ſecundum Aharonis ordinem Sacerdotes erant, ſed SEMEL tantum præſtitum fuit. In ſufficientiam ergo ac perfectionem ſacrificii Chriſti

sti injurii sint oportet, qui illud quotidie repetendum esse docent. δ. Magnopere etiam dignitati, perfectioni ac sufficientiæ meriti Christi derogat, quod Papa jus sibi tribuit non modo propter superbundantiam meriti Christi, sed propter opera etiam Sanctorum supererogatoria, remittendi peccata; ut adeo iterum Christus Jesus non sit unica perfectissimaque salutis nostræ caussa, ipsique unici perfectissimique Salvatoris Dignitas denegatur. ε. S. Scriptura etiam nonnisi unicum inter Deum ac hominem Mediatorem ac Intercessorem esse dicit. 1. Tim. II. 1. Joh. II. sed alios adhuc Ecclesia Romana agnoscit, Sanctosque invocat, & ostendit se non omnem spem atque fiduciam in Jesu Christo ceu unico perfectissimoque Salvatore ac Advocato collocare; ut & in hoc Articulo summa ipsi denegetur Gloria. ς. Huc denique omnia illa opera pertinent, quæ Romana Ecclesia præter Christi Justitiam ceu justificationis nostræ coram Deo caussam considerat. Vota spontaneæ paupertatis, castitatis ac cœcæ obedientiæ, quæ meritoria habentur; jejunia inprimis & Eleemosynæ variis ordinibus ac monasteriis donatæ, & hujusmodi plura quibus meritum adscribitur & dignitati meriti Christi tantum derogatur quantum propriis tribuitur meritis.

§. CCCXCV.

Ut de Munere Regio aliquid addamus adhuc supereſt. Nihil magis in Regno mundano Gloriæ ac Majestati Regis adversum est, quam si quisquam, cui nullum jus competit in Regnum, eandem sibi cum Rege potestatem arrogaret, & pro lubitu suo Regnum administrare vellet, quem Rex ceu criminis læsæ Majestatis reum in

Regno

Regno suo minime toleraret. Eandem autem Pontifex Romanus cum Christo in Civitate Dei potestatem sibi arrogat; cum vero Jus atque potestas Principis Ecclesiæ Christo competat (Cap. III. §. 1493.), Dominium autem supremum in Regno spirituali Civitatis Dei nulli mortalium competere possit, adeoque ille qui illud sibi tribuit nil nisi Usurpator sit (loc. cit. §. 1511.): Sequitur Pontificem Romanum in Gloriam Christi, justi Ecclesiæ Domini, injurium esse, qui eandem sibi cum Christo, etiam in hominum conscientias, potestatem ac Jus in Civitate Dei arrogat; adeo Juri ac potestati Christi in Ecclesiam, quæ nemini mortalium competere potest, tantum derogat, quantum sibi tribuit; unde Doctrina hæc non potest non in Gloriam Christi quam maxime esse injuria, (§. 389. 390.).

§. CCCXCVI.

Quoniam itaque Ecclesiæ Romanæ Doctrina de munere Christi prophetico (§. 392.) ac Sacerdotali detrahit (§. 393.), nec minus etiam in munus ejus Regium injuria est (§. 394.); Ea autem Doctrina quæ de muneribus hisce detrahit in Gloriam Christi injuria est (§. 390.): Sequitur *Doctrinam Ecclesiæ Romanæ in Gloriam Christi esse injuriam.*

Propositio XI.

§. CCCXCVII.

Cultus Ecclesiæ Romanæ divinus, Cultui in Evangelio præscripto plane contrarius est. Con-

§. CCCXCVIII.

Conſtat quantus cærimoniarum numerus in Cultu divino Vet. Teſt. obtinuerit, quarum rigidiſſima obſervatio ſub ipſa mortis pœna inculcata fuit. Jeſus autem omnes hos ritus abrogatum venit, & quaque data occaſione Phariſæorum præcipue ſuperſtitionem refutavit, monſtrans male ipſos in rituum externorum exactiſſima obſervatione juſtitiam quærere, omittentes præcipuam legis partem, juſtitiam, charitatem ac miſericordiam. Unde haud una vice acriter ipſos reprehendit Diſcipulosque monet, ut aliam majoremque quærant Juſtitiam quam Phariſæi, ſi in Cœleſte Regnum intrare velint. Abrogandumque eſſe totum illum Cultum cærimonialem docuit, duo Novi Teſtamenti Sacramenta Baptismum & S. Cœnam loco præcedentium inſtituens. Circumciſione nimirum Judæi ad obſervationem totius cærimonialis Cultus ſeſe obligabant, & totum illud onus in ſe ſuſcipiebant; dum ergo Sacramentum hoc abrogavit Chriſtus, oſtendit omnem etiam apparatum illum cærimonialem, quem ſecum ferebat Circumciſio abrogandum eſſe; ut nullæ amplius locum habere debeant externæ cærimoniæ præter eas quas Chriſtus inſtituit. Haud parvam inſuper legis moſaicæ partem Paſchatis celebratio conſtituebat, cujus loco Salvator noſter S. Cœnam inſtituit. De facto autem ritus illi per Templi deſtructionem fuere abrogati.

§. CCCXCIX.

Et cum nullum magis in Judæorum animis radicatum fuit præjudicium, quam opinio de Juſtitia ex obſervatione legis cærimonialis erigenda; nihil

nihil magis agebant Apostoli, quam ut errorem hunc radicitus ex Judæorum animis eruerent; quod inprimis Paulus facit in integra sua ad Romanos & ad Galatas Epistola, in quibus docet justitiam coram Deo valentem nonnisi per fidem in Christum inveniri. Cultum autem spiritualem externis cærimoniis oppositum nunc observandum esse, Christus Apostolique docebant. Cultus autem qui in Ecclesia Romana obtinet, veteri Judaico, quem tamen abrogandum esse docuit Christus, plane non dissimilis est, dum non modo magnum illum externorum rituum numerum in Ecclesiam suam revocarunt, ut tantus sit quantus olim Judæorum fuit, sed eandem ritibus illis hominem justificandi vim tribuunt, quem & Judæi iis adscripserunt. Ut vero eo clarius pateat quanta sit differentia inter divinum Cultum quem Evangelium præscribit, & eum qui in Ecclesia Romana obtinet, per partes brevem instituemus comparationem.

§. CCCC.

I.

Ex communi fere Judæorum ac Gentilium opinione, varii illi Ritus in Cultu divino observati, peccata expiandi vim habebant; & inter Judæos legales illæ cærimoniæ eum in finem fuerunt à Deo institutæ ut figura ac typus essent veræ pecca-

I.

Eadem quæ maximæ Judæorum partis, ac communis Gentilium opinio fuit, de vi nimirum cærimoniarum expiatoria, etiam Ecclesiæ Romanæ sententia est, dum Corporis exercitationibus tantam vim attribuit ut iis revera pro peccatis satisfieri possit. Et licet

torum Expiationis suo tempore futuræ. Postquam autem illa per Christum facta est, Evangelium docet; Deum plane nullam aliam pro peccatis satisfactionem requirere, neque præter sanguinem Christi aliud reconciliationis medium esse. *Ipsum enim Deus proposuit placamentum, per fidem in ejus sanguine collocandam.* Rom. III. 24. Cum itaque externi illi ritus, hunc quem habuerunt usum ac finem, amplius habere non possint, cum Evangelio de reconciliatione per Christum subsistere non potuerunt, nec in divino Christianorum cultu locum habere possunt, nisi veram peccatorum per sanguinem Christi jamjam præstitam expiationem negare velimus. Neque ergo vel vim expiatoriam, nec veræ expiationis rationem typicam cærimoniæ illæ amplius habere possunt; cet Evangelium doceat, præter Christi sacrificium ac meritum, nullam cum Deo dari reconciliationem, & omnia ea per Christum fuisse præstita, quæ olim in ritibus illis per umbram fuerint præfigurata; nihilominus Ecclesia Romana docet: non obstante Christi pro peccatis satisfactione, cuilibet tamen homini pro propriis suis peccatis satisfaciendum esse; Ad opera hujusmodi meritoria referunt externa quædam Corporis exercitia, in quibus vera pœnitentia consistere debet, jejunia, peregrinationesReligionis ergo susceptas; quæ omnia cultui in Evangelio præscripto è diametro sunt adversa, dum nulla ibi pro peccatis satisfactio agnoscitur, quam quæ per Christi sanguinem facta est.

Eccle-

unde ipsorum usus ac finis quem antea habuerunt plane cessavit. Paulus propterea ubique docet per illarum observationem nullam in foro divino valentem reperiri justitiam, sed eam in solidum vivæ adscribit fidei, & cum disciplina Christiana cærimonialem illum cultum consistere non posse in variis suis Epistolis demonstrat.

2.

Ad legem cærimonialem Mosaicam etiam pertinebat ciborum differentia; illa vero cum reliquo cultus cærimonialis adparatu abrogata fuit. Quod jam innuit Christus Matth. XV. 11. *Non*, inquit, *quod in os intrat, coinquinat hominem, sed quod ex ore prodit, id coinquinat hominem.* Clarius vero rem exponit Paulus ad Rom. XIV. ubi monet sublatam nunc esse ciborum ac temporum differentiam, dum *Regnum*

2.

Ecclesia Romana non minus ac sub lege Mosaica ciborum differentiam ordinavit, quam jejunium vocant & magnam Religionis ejus partem constituit. Jejunium enim illud non in plenaria à cibis abstinentia, sed in discrimine tantum ciborum, quod faciunt, consistit. Quæ differentia non ita comparata est ut in genere, jejunii tempore, ab omni abstineatur victu qui ex animantium carnibus præparatur, sed inter

Cœlorum, sive Ecclesia N. T. ejusque bona non consistant *in cibo ac potu, sive eorum differentia, sed in Justitia & pace & gaudio in Spiritu sancto.* Et 1. Tim. IV. 3. 4. 5. præmonet à Spiritibus fallacibus, dæmoniorumque doctrinis *vetantium abstinere cibis, quos Deus creavit, ut eis cum gratiarum actione vescantur fideles, qui verum intelligunt: videlicet omnia à Deo condita esse bona, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumatur.* Nec non Epist. ad Coloss. II. 16. 23. *Quare nemo vos damnet ob cibum, aut potionem, aut festorum discrimen. Ista vero placita sunt ex hominum præceptis atque doctrinis.*

inter ipsa animalia Adversarii discrimen faciunt dum aquatilibus vesci liceat, reliquorum vero caro prohibita sit.

3.

In Templo Hierosolymitano olim symbolica præsentia divina erat; unde singularis quædam loci sanctitas oriebatur, omnesque Terræ Cananeæ Incolæ singulis an-

3.

Pontificii Locis quibusdam singularem adscribunt sanctitatem, non quidem propter Dei, sed propter symbolicam Sanctorum præsentiam, vel propter reliquias

nis tribus vicibus Hierosolymam proficisci obligabantur, ut ibi in templo sacra facerent. In disciplina vero Evangelii nihil plane de symbolica ejusmodi præsentia divina, de loci unius præ alio sanctitate, de hominum migratione in locum aliquem ut Deum ibi colant, reperitur; sed potius Christus monet hanc locorum differentiam Nov. Test. temporibus abrogatam esse, dicens. Joh. IV. 21. 23. *Mulier, crede mihi, adventat hora, quum nec hoc in monte, nec Hierosolymis Patrem coletis. Sed adventat hora, & nunc est, quum veri Cultores Patrem spiritu & veritate colent.* Quorum verborum non hic sensus esse potest, quod Deus nec Samariæ nec Hierosolymis amplius colendus sit. Sed hoc potius Salvator inuere vult; quod Deus in posterum nullo in loco peculiari ac symbolico modo præsens quasdam magni alicujus Sancti, quas hic vel illic conservari arbitrantur. Oriuntur hinc peregrinationes illæ sacræ ad locum ejusmodi sanctum susceptæ, dum putant preces ibi factas propter loci sanctitatem ibi potius quam alibi à Deo exaudiri. Proficiscuntur propterea Hierosolymam ad sacrum sepulchrum, quæ quidem unica peregrinatio est quam Jesu Christi causa suscipiunt, reliquæ enim omnes in Mariæ vel Sancti cujusdam honorem fiunt; opinantur majorem ibi preces vim habere, quam si immediate, ubicunque loci sit, Deus invocetur. Quod Doctrinæ Evangelicæ plane adversum est.

In

futurus sit, ut adeo nullus locus præ alio sanctus dicendus, sed Deus ubique locorum modo plane spirituali colendus atque adorandus sit.

4.

In Libris Evangelicis nullibi reperimus quod rebus materialibus ac inanimatis virtus aliqua supernaturalis atque magica adscribenda sit, ut solus earum contactus vim quandam cœlestem, spiritualem ac salvificam habeat. Sed quidquid sanctitatis, quidquid gratiæ, divinæ ac spiritualis vitæ in homine est, in solidum efficaciæ Christi ac Spiritus ejus vivificantis ac sanctificantis adscribitur.

5.

Damnat disciplina Christiana omnem Justitiam ex operibus externisque cærimoniis quæsitam. Pharisæi ac Legisdoctores rigidissimi cærimoniarum ac externi operis cujuslibet Cul-

4.

In Ecclesia vero Romana rebus materialibus atque inanimatis virtus plane divina adscribitur; uti ex gr. Reliquiis Sanctorum, Agnis Dei, Crucibus, imaginibus, candelis, cineri, oleo, campanis & aquæ consecratæ; quibus vim animæ salutem ac corporis sanitatem promovendi, malosSpiritus ejiciendi, morbos sanandi, hominem sanctificandi ac peccata expiandi, tribuunt.

5.

In Ecclesia autem Romana, uti jam monuimus, tanta operibus ac cærimoniis quibusdam vis tribuitur, ut per se Deo placeant ac hominum peccata expient. Quo pertinet abstinen-

tores erant, nihilominus auditoribus suis Salvator dicit: *Nisi melior sit Justitia vestra quam Legisdoctorum ac Pharisæorum non intrabitis in Regnum cœlorum.* Quibus verbis Christus iis omnem adimit spem, qui fiduciam suam in externis ac ritualibus operibus collocant. Idem Apostolus Paulus facit Gal. V. 4. 5. 6, *Nihil rei*, inquit, *vobis cum Christo est: qui in lege positam habetis justitiam, ex gratia excidistis. Nos enim spiritu per fidem à spe justitiæ pendemus. Nam in Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides per Charitatem efficax.*

6.

Universalis tandem Regula juxta quam Deus sub Evangelio colendus est, hisce comprehenditur verbis: Joh. IV. 23. 24. *Sed adventat hora, & nunc est, quum veri cultores Patrem spiritu & ve-*

tia à Carne certis diebus; peregrinationes Religionis ergo; duræ quædam Corporis exercitationes, quas ad pœnitentiam requirunt; deblateratio certi numeri rosariorum; erogatio Eleemosynarum sive pecuniæ pro Inferiis, pro absolutionibus, aut in usum Monasteriorum; Varii Monachorum ordines, sive vota castitatis, paupertatis ac cœcæ obedientiæ, quæ non in veræ Virtutis exercitio, sed nonnisi rebus quibusdam externis consistunt; Omnibus hisce aliisque pluribus exercitiis externis justitiam in foro divino valentem inesse arbitrantur.

6.

Romana vero Ecclesia Cærimoniarum numerum Corporisque exercitationes in infinitum fere multiplicat, ab Evangelica simplicitate plane discedit; multitudine rituum ac rerum sen-

ritate colent. Etenim Pater à talibus se coli postulat. Spiritus est Deus: & qui eum colunt, animo & vere debent colere. Quæ verba alium quam hunc sensum habere nequeunt: Quod, cum divina Natura in hoc consistat, quod sit spiritus infinitus, etiam modo naturæ ipsius conveniente colendus sit. Ut adeo verus Dei Cultus non in externis ritibus ac corporis exercitationibus, uti in Templo Hierosolymitano ac Samaritano fiebat, consistere possit, sed quod internus ac spiritualis esse debeat, neque loco cuidam, propter ejus sanctitatem alligatus, sed Deus ubique locorum, non in umbra ac symbolo, sed in veritate adorandus sit.

sensualium hominum animos à vera attentione cultuque spirituali avocat, ut hominis mens repræsentationibus rerum corporearum plane immersa ad sublimiora sese extollere non possit. Cultum etiam divinum certis alligant locis, dum ea reliquis sanctiora esse putant, magisque ibi homines quam alibi à Deo exaudiri arbitrantur.

§. CCCCI.

Ex hisce omnibus nunc cuivis facile patet, quantum Cultus, quem Romana præscribit Ecclesia, à simplici illo ac spirituali, quem Evangelium postulat, differat; imo illi plane contrarium esse manifestum est.

Plura qui hac de materia legere cupit adeat SHERLOCKII *préservatif contre le Papisme.* Cap. III.

Propositio XII.

§. CCCCII.

Doctrina de Transsubstantiatione Doctrinæ Evangelicæ plane contraria est.

Dogmatis hujus falsitas jam Cap. III. §. 1654- 1663. à nobis demonstrata fuit ; Cum vero hæc controversia inter nos & Ecclesiam Romanam maxime agitata magni etiam momenti sit , de novo hic , ut nihil intentatum relinquamus, errorem hunc refutabimus. Ita autem in propositionis hujus demonstratione versabimur , ut primo ostendamus quid Evangelium hac de re doceat , & deinde quænam Ecclesiæ Romanæ Doctrina sit.

§. CCCCIII.

Evangelium nimirum ita describit Sacramenti hujus naturam, ut sit SIGNUM atque SIGILLUM Corporis atque Sanguinis Jesu Christi , in peccatorum remissionem pro nobis crucifixi atque effusi.

§. CCCCIV.

Ceu *Signum* repræsentatur , quando Christus jubet , ut illud celebremus *in sui recordationem* Lucæ XXII. 19. & *in commemorationem mortis Domini donec veniat.* 1. Cor XI. 25. Signum autem vocatur res aliqua visibilis aut sensualis, quæ nos alterius rei vel invisibilis vel absentis commonefacere debet. Cum autem Sacra Cœna eum in finem

finem sit instituta, ut illa, ceu res visibilis atque sensualis, nos commonefaciat, Jesu Christi ejusque passionis & mortis, beneficiorumque inde ad nos redundantium, adeoque rei absentis atque invisibilis, cujus, propter absentiam, *recordari* jubemur, & quidem donec veniat Jesus Christus; quæ verba itidem ipsius absentiam indicant: Sequitur, Sacramentum Eucharistiæ esse *Signum.*

§. CCCCV.

Cum id Signum vocetur quod rem aliam repræsentat, atque nos de illa commonefacit; per se patet, rem aliquam, quatenus signum est alterius rei, ipsam rem signatam esse non posse, alias desineret esse signum alterius illius rei. Quoniam itaque Sacramentum Eucharistiæ; juxta Doctrinam Evangelicam, est signum (§. 403.): Liquet *illud ipsum rem signatam esse non posse.*

§. CCCCVI.

Docet insuper S. Scriptura: externa hæc in S. Eucharistia signa atque symbola, rem signatam non modo repræsentare & significare, sed eandem etiam nobis, recte iis utentibus, *confirmare* atque *obsignare.* Innuit hoc Christus, quando panem Eucharisticum vocat *Corpus suum*, & poculum *novum Testamentum in sanguine suo.* Idem indicat Paulus Apostolus 1. Cor. X. 16. dicens: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communio Corporis Christi est?* patet inde S. Cœnæ scopum duplicem esse α. *Commemorationem* Christi atque mortis ipsius (§. 403.); β. *Communionem* Corporis & Sanguinis Christi. Respe-

ctu prioris vocatur Signum ; respectu posterioris, Sigillum.

§. CCCCVII.

Per *Communionem* illam non intelligitur *corporalis*, *quæ nihil prodest*, Joh. VI. 63. sed *vivifica & salutaris.*

§. CCCCVIII.

S. Eucharistiam, quatenus sigillum est, ipsam rem obsignatam non esse, sed eam tantum repræsentare & obsignare, patet tam ex ipsis institutionis verbis, quam ex iis quæ attulimus (§. 406.). Ex institutionis verbis, dum Christus poculum vocat *Novum Testamentum in sanguine suo* ; qua loquendi formula, non negantibus Adversariis nostris, neutiquam significatur, poculum ipsum Novum Testamentum esse, facta substantiæ illius commutatione ; Cum vero similium similis sit ratio, eadem phrasis in eadem re adhibita, eandem etiam significationem habeat oportet ; unde sequitur nec panem etiam ipsum Christi Corpus esse, substantiali commutatione facta.

§. CCCCIX.

Patet ex dictis α. Symbola in S. Eucharistia adhibita, nec quatenus signa sunt (§. 403.), nec quatenus sigilla ipsam rem significatam & obsignatam esse posse (§. 409.) ; Unde ea secundum Doctrinam Evangelicam non ipsum Corpus & Sanguis Christi, sed ejus signa atque sigilla sunt.

§. CCCCX.

Liquet β. Verba institutionis *Hoc est Corpus meum* non substantialem indicare immutationem, sed alterius rei significationem & confirmationem sive obsignationem.

Neque

Neque habent Adversarii, cur de verborum Christi, *Hoc est Corpus meum*, falsa interpretatione ac contorsione conquerantur, si ita explicentur verba hæc, ut notent: Hoc *significat* atque *obsignat* Corpus meum; siquidem alio sensu quam hoc, Christi Discipuli ea accipere non potuissent; cum in Sacramentorum præcipue usu ejusmodi loquendi formulis assueti erant. Non enim modo Circumcisio dicitur Fœdus, licet nonnisi signum ac sigillum Fœderis fuerat; sed Agnus ille sacramentalis vocatur *transitus* sive *Pascha*; quod Sacramentum institutum erat in commemorationem singularis illius beneficii quod Deus Israëlitis olim in Ægypto exhibuerat; unde de Agno dicitur *hoc est Pascha*, quæ verba alium sensum habere non possunt, quam hic Agnus *significat* Pascha. Quoniam itaque Christus novum ac maximum Ecclesiæ suæ exhibuit beneficium, loco Paschatis aliud instituit sacramentum ut beneficii hujus insigne aliquod extaret monumentum ac documentum; inde Apostoli, qui modo Pascha celebraverant, non potuerunt non eandem phrasim, in eadem re adhibitam, eodem etiam intelligere sensu; ut sicuti paulo ante de Agno dicebatur *Hoc est Pascha*, id est, *hoc significat Pascha*, nunc diceretur *Hoc est Corpus meum*. Sicut Agnus significabat *transitum* sive Liberationem Israëlitarum ab Angelo mortis; ita panis hic significat *Corpus meum* beneficiaque à me ad vos redundantia. Ut alium verbis hisce affingere sensum Christi Discipuli non potuerint.

§. CCCCXI.

Videndum nunc quid Ecclesia Romana de hoc Sacramento doceat. Hoc nempe: Panis substantiam in Sacræ Cœnæ consecratione mutari in Corporis Christi substantiam, ut non amplius adsit panis substantia, sed ut fiat substantialis illius in Corpus Christi transmutatio.

Ita nimirum pronuntiat *Concilium Tridentinum* Sess. XIII. Can. 2. & 4. *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere*

Subſtantiam panis & vini, una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus tantum ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime transſubſtantiationem appellat, anathema ſit: Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſed tantum in uſu, dum ſumitur; non autem ante; vel poſt: & in hoſtiis; ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur; vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema ſit.

§. CCCCXII.

Quum itaque Romana Eccleſia docet: panem & vinum in S. Euchariſtia non amplius eſſe panem & vinum, ſed ipſum Corpus & Sanguinem Chriſti; ſacra hæc Symbola non amplius ſunt Signa atque Sigilla, ſed ſunt, ex hypotheſi Pontificia, ipſa res ſignificata & obſignata, adeoque nec amplius Sacramentum ſunt; cum vero Sacramentum Euchariſtiæ juxta Doctrinam Evangelicam ſit Signum (§. 403.), adeoque non ipſa res ſignificata (§. 404.); & Sigillum (§. 405.): Sequitur *Doctrinam de Transſubſtantiatione Doctrinæ Evangelicæ contrariam eſſe.*

Propoſitio XIII.

§. CCCCXIII.

Doctrina de Transſubſtantiatione eſt contradictoria.

Quid-

§. CCCCXIV.

Quidquid contradictorium est illud in se est impossibile, adeo ut illud nec per divinam potentiam nec per modum Mysterii concipi possit. Non per divinam Omnipotentiam, cum illa ad possibilia tantum sese extendat. Non per modum Mysterii, dum & ipsa Mysteria, si vera sint, nullam involvere debent contradictionem.

§. CCCCXV.

Contradictoriam autem esse hancce Doctrinam ex sequentibus patet, quæ celeberrimi cujusdam Theologi proponimus verbis. Corpus Christi nostris, teste Scriptura, in omnibus simile fuit, excepto peccato, nullas tamen, ex mente Ecclesiæ Romanæ, habet corporis humani, imo ne corporis quidem proprietates; ante oculos enim positum est *invisibile*. Ore Corporis idque proprie manducatur, neque tactu tamen, neque olfactu, neque gustu percipitur, neque dentibus conteritur, neque deglutitur, neque corpus nutrit, sed loco corporis animam nutrit. Simul est in plurimis locis, sive ubique. A seipse distat, à seipso recedit, ad se accedit. Seipso majus est & minus. Minus est parte sua, atque in ea totum continetur. Est corpus humanum quod seipsum comedit, vel comedere potuit. Seipsum totum alii distribuere potuit. In uno loco habet proprietates contrarias illis, quas eodem tempore habet in altero. Hic est visibile & palpabile, at simul illic invisibile & palpari nequit. Hic locale, extensum, impenetrabile, divisibile. Illic illocale, extensionis expers, penetrabile, indivisibile. Ex sepulchro resurrexit, illud tamen non reliquit. Ex terra in Cœlum

lum adscendit, in terra tamen mansit. In terram ex cœlo rediturum est, neque tamen ex terra unquam recessit. Corpus quod sine accidentibus latet sub accidentibus sine substantia. Corpus quod antequam productum fuit jam extitit. Quod quorundam verborum pronuntiatione seipsum produxit. Individuum jam existens, factum ex alio individuo numero à se diverso. Conversio non panis in corpus humanum, sed hujus panis in hoc corpus humanum ante conversionem jam existens, &c. Omnes hæ Notiones uni eidemque subjecto tributæ ita comparatæ sunt, ut una alteram tollat, atque sibiinvicem repugnent; Unde patet *Doctrinam de Transsubstantiatione esse contradictoriam.*

Propositio XIV.

§. CCCCXVI.

Si creditur Transsubstantiatio, Transsubstantiatio credi non potest.

§. CCCCXVII.

Transsubstantiatio, ex Adversariorum hypothesi, unum ex præcipuis Christianæ Religionis dogmatibus atque Mysteriis constituit. Ut ergo dogma hoc credatur, Religionis Christianæ veritas credenda & supponenda est. Ut vero Religionis hujus veritas credatur, etiam fundamentis illius fides habenda. Nititur autem tota Christiana disciplina testimonio Apostolorum de Christi Miraculis ac Resurrectione. Ut vero Miraculis

lis fides habeatur & ab Apoſtolis, omnium rerum à Chriſto geſtarum teſtibus, iis fides haberi potuerit, neceſſum eſt, & fuit, ut etiam ſenſibus habeatur fides; ſi enim ſenſibus fides denegetur, ne ſplendidiſſimum quidem Miraculum quidquam valere poteſt, dum nonniſi ſenſibus illud potuerit percipi. Si ergo ſenſibus denegetur fides, etiam Apoſtolorum, de Chriſti Reſurrectione, teſtimonio tuto credi nequit, dum ſenſibus Miraculum hoc perceperint; Si autem teſtimonio huic tuto credi nequit, etiam Chriſtianæ Religionis fundamento fides adhiberi non poteſt; Si vero fides de diſciplinæ Chriſtianæ fundamento dubia ac incerta, toti etiam Chriſtianæ Religioni fides deneganda; dum enim ſubruitur fundamentum totum etiam corruit ædificium. Negata vero ac incerta reddita tota Chriſtiana Religione, etiam dogma Transſubſtantiationis negatur ac incertum redditur. Dogma autem iſtud ſenſibus fidem denegat, adeoque teſtimonio etiam Apoſtolorum de Religionis Chriſtianæ fundamento. Qui ergo Transſubſtantiationis certitudinem credit, Religionis Chriſtianæ certitudinem negat; hujus vero certitudinem qui negat, etiam Transſubſtantiationis certitudinem neget oportet, dum illa Doctrinæ Chriſtianæ pars ſit. Sequitur ergo *quod ſi Transſubſtantiatio credatur, Transſubſtantiatio credi non poſſit.*

§. CCCCXVIII.

Ex dictis per corollarium deducitur: Ne ſplendidiſſimum quidem Miraculum Transſubſtantiationi fidem facere poſſe, dum ut illi fides habeatur ſenſibus credendum ſit, iis vero ſi fides habeatur de Transſubſtantiatione actum eſt.

Vide

Vide JOH. ALPH. TURRETTINI *Cogitationes de variis Theologiæ Capitibus* §. 116. 117.

Propositio XV.

§. CCCCXIX.

Dogma de Transsubstantiatione primis Christianismi temporibus ignotum, seculis demum posterioribus receptum fuit.

§. CCCCXX.

In S. nimirum Litteris non modo altum de hac Doctrina est silentium, sed contrarium potius illæ testantur; Paulus enim panem consecratum expresse *panem* appellat 1. Cor. XI. 26. 27. 28. dicens; *Calicem* benedictionis *esse Communionem* Sanguinis Jesu Christi, ac *panem* esse *Communionem* corporis Christi. 1. Cor. X. 16. Et Christus post consecrationem factam, id quod Discipulis bibendum dedit vocavit *fructum vitis*, id est, *vinum*. Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25.

§. CCCCXXI.

Et cum Transsubstantiatio hostiæ etiam, sive Christi, adorationem secum ferat, in S. Litteris ejus etiam mentio debuisset fieri, in primis in prima ejus institutione. Nihil autem ibi dicitur, quam Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, discipulisque ut accipiant & comedant, mandasse. Nullum autem de Hostiæ adoratione occurrit præceptum, nec apud Evangelistas, nec apud Apostolos. Cum autem divino præcepto nec

nec quidquam addendum nec quidquam demendum sit, Deut. IV. 2. etiam hic Christi Apostolorumque mandato nihil addendum est.

§. CCCCXXII.

Uti S. Litteræ Doctrinæ de Transsubstantiatione repugnant, nec Hostiæ adorationem præcipiunt, sic antiquioris Ecclesiæ Doctores idem faciunt. Ex pluribus pauca tantum allegabimus testimonia. IRENÆUS ævo Apostolico proximus dixit: Lib. IV. cap. 39. pag. 327. Εὐχαριστία ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου, *Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti.*

Pontificii Doctores operam navarunt ut hæc Irenæi verba cum Doctrina sua conciliarent; Eos vero, MASSUETUM inprimis, verbis hisce vim inferre, & à vera ejus sententia discedere ostenderunt SAL. DEYLINGIUS *in Irenæo Evangelicæ veritatis confessore & teste* vide ejus Observationes Miscell. p. 2. seqq. Dissertationis hujus §. XXXIX. PFAFFIUS *Not. ad Irenæi Fragm. Anecdot.* pag. 80. seq. BUDDEUS *Institution. Theol. Dogm.* Lib. V. Cap. I. §. 23.

§. CCCCXXIII.

Eadem hac de re mens etiam AUGUSTINO stetit, referente GRATIANO *ex Libro sententiarum* PROSPERI *Decret. Part. III. de Consecrat. Dist. II. Cap.* 48. *p.* 459. *Hoc est*, inquit, *quod dicimus: hoc modo omnibus adprobare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici: duobus constare: visibili elementorum specie, invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti &c.* Addimus huic CHRYSOSTOMUM *in Epistola*

stola ad Cæsarium monachum, ubi disputans contra Apollinaris hæresin hoc modo loquitur: *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem adpellatione panis; dignus autem habitus & Domini Corporis adpellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora; sed unum Corpus filii prædicatur.*

Ut hic sibi consulant Doctores Pontificii, aut Epistolæ hujus auctoritatem negant, aut falsam interpretationem quærunt. Auctoritas vero jam à multis Viris eruditis vindicata fuit. Quod autem *naturam* panis per ejus *accidentia* explicant, refutationis loco dixisse sufficit.

§. CCCCXXIV.

Sequitur THEODORETUS qui Dialog. II. Tom. IV. Opp. pag. 85. dicit. *Nec Symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura & forma & videri tangique possunt; sicut & prius.* Addimus GELASII Papæ Romani testimonium, qui ita hac de re loquitur *Libro de duabus naturis in Christo adversus Eutychen & Nestorium*, qui extat *in Biblioth. Maxim. Vet. patrum., Tom. VIII. pag. 699.* seqq. *Certe*, inquit, *Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Domini, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ; & tamen esse non desinit substantia; vel natura panis & vini.*

§. CCCCXXV.

Uti primæ Ecclesiæ Doctores Doctrinam Transsubstantiationi contrariam foverunt, pari etiam

etiam modo de Hostiæ adoratione nihil plane sciunt. Scripsit JUSTINUS MARTYR ritum quo Eucharistia peragebatur, quod idem fecit DIONYSIUS AREOPAGITA; sed de hac adoratione neuter horum mentionem facit. Et JOHANNES DALLÆUS Lib. II. *Adv. Cultum Latinorum* probat, tribus primis seculis neminem priscorum Patrum adoratæ hostiæ meminisse. Unde & Patres Concilii Nicæni Anno 325 congregati nihil statuerunt quod Dogmati huic favere posset, sed Jesum Christum potius in cœlis, quam sub panis & vini specie adorandum volunt; monent enim: *Ne in propositum panem & calicem humiliter intenti simus, sed elevata fide, mente contemplemur in illa cœlesti mensa immaculatum agnum Jesum.* Communis propterea erat veterum formula: *Sursum Corda.*

§. CCCCXXVI.

Ante seculum autem nonum nulla, in quocunque Scriptore, Dogmatis hujus inveniuntur vestigia, sed eo demum tempore etiam in hac Doctrina à veteri simplicitate discessum, ac Superstitioni locus fuit datus. Primus qui transsubstantiationem defendit, fuit PASCHASIUS RADBERTUS, ab initio Monachus, postea Abbas Corbejensis in Gallia, qui librum *de Sacramento Corporis ac Sanguinis Domini nostri Jesu Christi* scripsit & in eo substantialem sacrorum Symbolorum mutationem in substantiam corporis Christi defendit. Cui sese opposuerunt, veteremque tuiti sunt Doctrinam, RABANUS MAURUS, RATRAMNUS quem alii BERTRAMUM appellant, & JOHANNES ERIGENA SCOTUS, aliique multi. Primus *in Epist. ad Egilonem Abba-*

tem, cujus meminit *pœnitential.* Cap. XXXIII. ubi ita habet: *Quidam NUPER de ipso Sacramento corporis & sanguinis Domini non rite sentientes, dixerunt, hoc ipsum corpus & sanguinem, quod de Maria Virgine natum est. - - Cui errori quantum potuimus, ad Egilonem Abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere credendum sit, aperuimus.* Alter scilicet RATRAMNUS transsubstantiationis dogma evertit in Libro *de Corpore & Sanguine Domini.* Tertius itidem Librum *de Corpore & Sanguine Christi* scripsit. Ut alios qui sequentibus temporibus novæ huic doctrinæ sese opposuerunt taceam.

Vide JOHANNIS GEORGII WALCHII Dissertationem continentem: *Historiam Transsubstantiationis Pontificiæ.*

§. CCCCXXVII.

Ex hisce omnibus quæ attulimus abunde liquet, Pontificiis ad hoc suum dogma tuendum, nullum, nec in S. Litteris nec apud primos Ecclesiæ Doctores, præsidium esse, *sed illud primis Christianismi temporibus ignotum, seculis demum posterioribus fuisse receptum.*

Ea quæ BELLARMINUS *de Eucharistia Lib. I. Cap. I.* contra Calvinistarum Doctrinam affert, majore jure in Pontificios retorqueri possunt. Ita nimirum ille: *Ne glorientur Calvinistæ, sententiam suam valde antiquam esse: Illud est observandum, antiquissimos illos hæreticos non tam Sacramentum Eucharistiæ, quam Mysterium Incarnationis oppugnasse. Idcirco enim, ut Ignatius in Epistola ad Smyrnenses indicat, negabant Eucharistiam esse carnem Domini, quia negabant Dominum habere carnem. Quare nullus Veterum, qui*

qui de hæresibus scripserit, hunc (Reformatorum scilicet) *errorem in Catalogo posuit, ut patet ex Irenæo, Tertulliano, Philastrio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno: neque ullus veterum disputat contra hunc errorem primis sexcentis annis. His igitur omissis primi, qui veritatem Corporis Domini in quæstionem vocarunt, fuerunt Iconomachi post annum Domini 700. in quodam suo Conciliabulo Constantinopolitano, quod ipsi septimam Synodum falso vocabant. Hi enim (ut refertur in septima Synodo, Art. VI. Tom. III. in fine) dicebant unicam esse imaginem Christi ab ipso Christo institutam, nimirum panem & vinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi Corpus & Sanguinem.* Sexcentis primis Christianismi annis nunquam impugnatum fuisse dogma de Transsubstantiatione, hic BELLARMINUS docet & quidem recte. At qui factum hoc? sane quoniam nondum illud fuit inventum, atque plane ignotum erat; quidquid enim nondum existit, id etiam nec impugnari potest. Nemini autem non constat totam Christianam disciplinam, inde à primis Ecclesiæ Christianæ initiis, ab infensissimis ejus hostibus Incredulis atque hæreticis debellatam fuisse, ut nullum extiterit dogma quod intactum fuerit relictum. Unde nullo modo credibile, illud dogma, quo nunquam incredibilius quodquam inter mortales propositum fuit, de Transsubstantiatione nimirum, solum, nunquam impugnatum fuisse, si jam tunc temporis doctum fuisset. Nulla certe alia afferri potest ratio, quam ideo id factum; quia novum hoc dogma tunc temporis plane ignotum erat.

Propositio XVI.

§. CCCCXXVIII.

Hostiæ adoratio Cultus plane idololatricus est.

§. CCCCXXIX.

Per Idololatriam intelligitur, quando aut ipsi creaturæ, aut Deo sub specie sive forma creaturæ, divinus honor exhibetur.

§. CCCCXXX.

De Hostiæ adoratione hæc Pontificiis mens est, quod Sacerdos rite ordinatus, pronuntiatis debita attentione institutionis verbis, *hoc est Corpus meum*, hostiam sive frustulum panis in Corpus Domini mutet, quod Sacramentum deinde cultu summo Deo debito venerandum sit.

§. CCCCXXXI.

Aut vero Hostia illa mera creatura est, aut revera in Corpus Domini mutata. Prius, hoc est, etiam post consecrationem in S. Eucharistia panem & vinum manere, (Propos. XII. XIII. XIV.) à nobis demonstratum est, Hostia ergo illa mera Creatura est, unde etiam cultus sive honor divinus ipsi exhibitus mera Idololatria est (§. 428.).

§. CCCCXXXII.

Sed supponamus posterius; Doctrinam nimirum Pontificiorum veram esse, nunquam tamen Pontificii certi esse possunt, num revera Corpus Domini adsit nec ne. Ut enim externa Symbola in Corpus ac Sanguinem Christi commutentur, legitima requiritur consecratio, ad hanc vero opus est ut α. legitime ordinatus sit Sacerdos. β. ut debitam ille in consecratione adhibuerit attentionem. At quis certo noscere poterit, an minister legitime, id est cum debita intentione Episcopi, ordinatus fuerit? Et an idem in Sacramenti consecratione debitam adhibuerit intentionem

nec

nec ne? Nunquam ergo Pontificii certi esse possunt, num revera Corpus Domini, an vero panem adorent, adeoque Idololatriam committant; quod, etiam ex ipsorum hypothesi, fit si debita Sacerdotis, in ejus consecratione, intentio abfuit; Et si Sacerdos legitimam suam ordinationem à Petro Apostolisque derivare non potest.

§. CCCCXXXIII.

Prohibuit denique Deus, verbis disertissimis, ne sub ulla specie aut imagine externa colatur, Deut. IV. 15. 16. Sed in spiritu & veritate vult adorari, quoniam ipse spiritus est. Joh. IV. Pontificii vero Deum sub visibili aliqua atque externa creaturæ specie ac forma adorant; cum vero honor Deo sub creaturæ forma exhibitus Idololatria sit; patet ipsos in hostiæ adoratione Idololatriam comittere.

Dicent Adversarii, falsam hanc esse Idololatriæ definitionem; Crimen nimirum hoc, nonnisi ab Ethnicis commissum, in hoc consistere, quando simulachrum quoddam vice Dei veri colitur, dum cultor illius existimat illud ipsum Deum esse. Sed quis crediderit tam infrunitos ac stupidos fuisse Gentiles, ut putaverint, illud Lignum, Aurum vel Argentum quod sculpebant Deum ipsum esse, sed potius nonnisi symbolicam aliquam divinitatis habere volebant præsentiam; unde vetustissimus simulachrorum cultus ille fuit, quem statuis Solis exhibebant, dum divinitatem in Sole imprimis præsentem esse opinabantur; at quis propterea crediderit eam ipsis fuisse mentem, quod statuæ ac imagines illæ Solis ipsa divina Essentia sint. Nec etiam Israëlitæ olim, qui toties ab Idololatriæ crimine avocantur, tam stupidi erant, ut crederent Vitulum illum, quem finxerant, vel aliud quodcunque simulachrum, ipsam divinitatem esse. Hæc ergo quam Ecclesiæ Romanæ Doctores Idololatriæ definitionem dant, locum habere neutiquam potest, dum inter ipsos

Gentiles vel inter Judæos Gentilium imitatores ejusmodi Idololatria non obtinuerit, ut crederent ipsam illam terrestrem materiam Deum esse; Sequitur per crimen hoc recte intelligi ejusmodi divinum honorem qui vel Creaturæ alicui loco Dei vel Deo sub specie aliqua Creaturæ exhibetur.

Objectionum præcipuarum Solutio.

§. CCCCXXXIV.

ARGUMENTUM achilleum quo Adversarii utuntur ad tuendam suam de Papæ in Ecclesia primatu sententiam desumtum est ex Matth. XVI. 18. 19. Ubi ita Christus, Petro nomine omnium reliquorum Apostolorum loquenti, respondit: *Ego quoque dico tibi: tu es Petrus, & super hac petra construam meam Ecclesiam, quam orci portæ non superabunt. Tibique cœlestis Regni claves dabo, ac quicquid in terra ligaveris, erit ligatum in cœlis; & quidquid in terra solveris, erit solutum in cœlis.* Ex quibus verbis ita argumentantur: Apostolo Petro præ reliquis Apostolis à Christo hic prærogativa quædam cum singulari potestate ac suprematu adjudicata fuit. Episcopus vero Romanus legitimus Petri in sede Apostolica successor est. Ergo eadem quæ Petro prærogativa, potestas ac primatus, etiam Papæ Romano competit.

§. CCCCXXXV.

Quatuor, ut ad *Objectionem* hanc *respondeamus*, inveniuntur modi, quibus S. Scripturæ Interpretes dictum hoc explicant; aliis per Petram Petrum intelligentibus, aliis omnes Apostolos simul cum eorum successoribus, aliis fidei confessio-

fessionem quam Petrus nomine omnium Apostolorum dedit, aliis denique ipsum Christum. Quocunque vero modo hoc Christi effatum explicetur, nihil ibi Adversarii reperient quo rem suam tueri possint; ostendemus enim, male ipsos inde Petri præ reliquis Apostolis Suprematum inferre; pejus adhuc eos concludere, Petrum Romæ Cathedram habuisse, & pessime quod Pontifex Romanus legitimus ejus in hac Cathedra Successor sit.

§. CCCCXXXVI.

Supponamus Petrum intelligi per Petram illam cui Ecclesia superædificanda est, inde tamen pro Petri suprematu nihil efficitur; reliqui enim Apostoli ab hac prærogativa non excluduntur, dum & ipsi Ecclesiæ fundamentum sint. Christus nimirum manet Architectus & Lapis angularis Ecclesiæ, *& fundamentum aliud jacere nemo potest, præter id quod jactum est, qui est Jesus Christus.* 1. Cor. III. 11. Ædificata est Ecclesia non modo super Petrum, sed *super Apostolorum vatumque fundamentum, anguli Capite ipso Jesu Christo.* Ephes. II. 20. Imo nova civitas Hierosolyma duodecim habet fundamenta, juxta numerum scilicet Apostolorum. Apoc. XXI. 19. 20. 21. Sequitur quod, licet concederemus Petram, de qua in textu sermo fit, Petrum esse, ideo reliqui Apostoli non excludantur, quorum omnium nomine Petrus dixerat: *Tu es Christus filius Dei viventis.* Prærogativa ergo in Ecclesiæ fundatione omnibus eadem fuit.

§. CCCCXXXVII.

Si porro Christus Petro dicit: *Quodcunque solveris*

veris super terram, erit etiam in cœlis solutum. Pari modo cæteris etiam Apostolis dicit: *Quæcunque solveritis super terram, etiam in cœlis erunt soluta.* Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 21. 22. 23. Unde eadem omnibus Apostolis potestas commissa fuit.

Petro majorem cæteris Apostolis dignitatem ac potestatem minime datam fuisse agnovit ANACLETUS Papa *Can. in novo*, Dist. 21. qui ita habet: *Petrus ligandi solvendique potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri vero Apostoli cum eodem* pari consortio honorem & potestatem *acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, qui etiam, jubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt.* Et Can. *Loquitur*, Caus. 24. Quæst. 1. ubi CYPRIANUS ita; *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari Consortio præditi, & honoris & potestatis.* Licet autem Anacletus dicat, reliquos Apostolos Petrum Principem suum esse voluisse, illud non de *dignitatis* primatu, qua cum reliqus *pari Consortio* fuisse dicitur, intelligendum, sed de primatu solum *originis* atque *temporis*, dum primus ad Apostolatum vocatus fuit. Can. *Beati*, Caus. 2. Quæst. 7. dicitur; *Beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt: verum inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est.* Recte pronunciatur in Can. *Quodcunque* Caus. 24. Quæst. 1. *Quando claves accepit, totam significavit Ecclesiam, quæ in ejus Persona ligandi solvendique potestatem accepit.* Unde nihil sibi soli proprium hic Petrus accepit. Per

Per Petram vero non Petrum, sed Christum intelligendum esse agnoscit Glossator Decret. in Can. *ita Dominus*, Dist. 19. qui in verba: *Et super hanc Petram*, ita loquitur: *Per hanc distinctionem non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, Quia super illo Articulo fidei fundata est Ecclesia. Ergo super seipso fundavit Ecclesiam.* AUGUSTINUS docet Tract. ult. in Joh. & Rom. 13. de Verb. Dom. Ecclesiam non super Petrum, sed supra Petram, quam confessus est Petrus, ædificatam esse. In Bibliis Germanicis ante Reformationem Lubecæ 1494. impressis ita habetur in glossa ad hunc locum: *Du bist Petrus, een Bekenner des waern Steens Christi, ende op desen Steen, den du bekennt hefst, oppe Christum, sol ich buwen mine Keerke.* Vide DÖRINGII Dissert. *Auctoritas Pontificia ex ipsis Pontificum Decretis sive jure Canonico eversa.* §. XXI.

§. CCCCXXXVIII.

At dicunt p. Adversarii, ipsum rei eventum probare, quod hic Petro primatus in Ecclesia traditus fuerit, dum ipse Romæ Pontificatum administraverit, ibique Cathedram sive sedem habuerit. An vero Petrus Romæ fuerit, uti BARONIUS aliique volunt, non constat; negant id Viri in Ecclesia Romana pereruditi, HENRICUS VALESIUS, Annot. ad Euseb. H. E. L. II. C. XVI. ANTON. PAGIUS, in Crit. Annal. Baron. ad A. C. 154. p. 44. conf. c. XLIII. pag. 39. 40. STEPH. BALUZIUS, ad Lactant. de mortibus persecut. c. 11. Sed concedamus Petrum aliquan-

do Romæ fuisse, nihil tamen inde sequitur ex quo suprematus ipsius Papæque Romani probari possit. In aliis etiam urbibus fuit, quarum Episcopi propterea universales non fuerunt. At perhibent, minime autem probant, Apostolum hunc non modo Romæ fuisse, sed & Cathedram ibi habuisse, & Archi-Episcopi universalis munere functum esse. Sed falsum hoc esse ex sequentibus rationibus satis superque apparebit. 1, Si Cathedram & Sedem Episcopalem perpetuæ commorationis erigere voluisset Petrus, id non Romæ fecisset, sed ibi potius quo principaliter, ut Evangelium prædicaret, missus erat. Atqui non Romam ad Gentes missus erat, sed potius ad Judæos, fatente BELLARMINO Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 16. Lib. 2. cap. 7. Et teste Apostolo Paulo qui ad Gal. II. 7. asserit, Petro circumcisionis Evangelium creditum esse, uti Paulo præputii Evangelium. Unde Cathedram suam inter Judæos Hierosolymæ vel in alia Palestinæ urbe erexisset, si suprematum ejusmodi, qualem Pontificii statuunt, sibi vindicare voluisset. 2. Is porro Ecclesiæ status, qualis tunc temporis, sub infensissimo Christianæ Religionis hoste, Romæ erat, minime permittebat, ut quisquam Christianorum, sive Petrus sive alius sit, primatum aliquem sive Cathedram & jus potestatemque quandam in alios sibi vindicare ausus fuisset, cum ne quidem Evangelium, simplici ministerio, absque præsentissimo vitæ periculo docere potuerint. 3. Sed nullum insuper Dominium Petrus unquam in Ecclesiam exercuit, dum non modo Christus omnem in Ecclesia Dominatum procul abesse jussit. Matth. XX. 26.

Sed

Sed ipse etiam Petrus omnem dominandi libidinem prohibuit. 1. Pet. V. 3. 4. Paulus denique qui proprie Gentilium Apostolus fuit Gal. II. Romæque commoratus est, expressis verbis testatur, se nulla in re Petro inferiorem esse 2. Cor. XI. 5. XII. 11. Idque ipso facto probavit Petrum reprehendens eique in faciem resistens Gal. II. 11. 14. 5. Mandatum etiam quod Christus Petro omnibusque Apostolis dedit, non hoc fuit, ut Cathedram erigerent, sedesque in Urbibus figerent, ibique Dominatum talem exercerent, qualem nunc Papa exercet; sed dicit: *Ite in mundum universum & prædicate Evangelium omni Creaturæ* Marci XVI. 15. *Docete omnes Gentes.* Matth. XXVIII. 19. Omnes ergo Apostoli totius orbis erant Doctores, ut nullus alicubi Cathedram habere, & in reliquos imperium exercere, debuerit.

§. CCCCXXXIX.

Sed quid tum, si hæc omnia largiremur, Petrum præ omnibus reliquis Apostolis Primatum habuisse, ipsum Romæ fuisse, ibique Cathedram atque suprematus sui sedem constituisse? Nihil etiam tunc efficient Romanæ Ecclesiæ Doctores, ad stabiliendam talem Pontificis Romani potestatem, atque jus in universam Ecclesiam dominandi, quale ipsi Papæ suo tribuunt. Minime enim inde sequitur: Petrus Apostolorum fuit Princeps, & quendam in Ecclesia primatum tenuit, eumque Romæ exercuit, ergo quilibet Romanus Episcopus eundem, quem Petrus, Principatum habet, & primatus ille Urbi Romæ annexus est. A successione enim loci non licet concludere ad idem jus, adque successionem in doctrina; non sequitur Petrus qua Apostolus,

& quidem primus omnium vocatus, singularem quandam habuit prærogativam atque primatum, ergo eodem etiam jure omnes Episcopi Romani gaudent. Probandum propterea Adversariis nostris incumbit. 1. Papam Romanum Petri in Doctrina, non loci solum, Successorem esse. 2. Tantam prærogativam, jus ac potestatem à Petro in Episcopos Romanos translatam esse, & transferri potuisse, quantam ipse ceu extraordinarius Dei Minister, quales Apostoli fuerunt, possedit. 3. Papam Romanum Petri vestigia in omnibus omni tempore secutum esse, neque unquam potestate hac abusum, sed eodem modo, eodemque limitum gradu, eam exercuisse, quomodo ipsemet Petrus ea usus est.

§. CCCCXL.

Et si tandem concederemus Episcopum Romanum in Petri Cathedra sedere; nec tunc sequeretur Ecclesiam Romanam talem habere Pontificem qualem sibi fingit. Et Pharisæi olim in Mosis Cathedra sedebant; sed quid erant? cœci cœcorum duces, qui & alios in errorem ducebant. Matth. XXIII. 16. Originem suam, longa successionis serie, Judæorum Pontifices Populique proceres ab ipso Aharone trahebant, sed à Mosis Aharonisque institutis plane discedebant, erant latrones, hypocritæ, monumenta dealbata atque Diaboli progenies. Glorientur ergo Romani Pontifices longam inde ab ipso Petro, in Cathedra ejus, successionis seriem; possunt tamen, simili modo, esse Duces cœcorum errorumque Magistri, *qui catervatim innumerabiles secum Populos in gehennam trahunt.* Can. *Si Papa.* Dist. 40.

Sed

§. CCCCXLI.

Sed ipso denique facto Papa ostendit, se justum Petri successorem non esse, dum nihil plane simile habet

Petrus Argentum atque Aurum non habuit. Act. III. 6.	Papa contra magnas possidet Regiones, quas sibi ab Imperatoribus donatas dicit, & patrimonii loco à Petro sibi relictas asserit.
Petrus magnam Orbis partem permigravit, ut Evangelium ibi annuntiaret.	Papa Romæ sedem suam maximo cum splendore habet, neque munere Apostoli in ulla re fungitur.
Petrus sola veritatis Evangelicæ virtute Spiritusque sancti ope homines ad fidem convertit, neque unquam vi, flammis atque tormentis usus est.	Papa non evidenti veritatis Disciplinæ Christianæ demonstratione, ejusque ad hominum Conscientias commendatione, homines ad Ecclesiæ communionem perducere tentat, sed armis, tormentis atque varii generis suppliciis id facere allaborat.
Petrus Magistratui politico, nihil contra divinum mandatum præcipienti, obediens fuit.	Papa potius Reges atque Principes sibi subjicere studuit.
Petrus jubente Christo tributum solvit.	Papa contra, illud cum fidelitatis juramento à Principibus exigit.

Papa

Petrus rebus politicis, Imperatorum electionibus aliisque curis mundanis nunquam se immiscuit, minus adhuc Imperium affectavit.	Papa vero hisce contraria fecit & facit adhuc.
Petrus nunquam potestatem Reges deponendi sibi arrogavit, neque subditos à fidelitatis juramento absolvit.	Papa id sæpius tentavit.
Petrus ab omni splendore atque fastu mundano procul abfuit.	Papa gloriam, dignitatem, atque majestatem maximopere ambit.
Petrus nunquam alios ita contemsit, ut iis pedem vel calceamenta basianda præbuerit, ut hoc gestu humilem suam subjectionem ipsi testarentur.	Papa autem id ad maximum aliorum contemtum facit.

Ex omnibus hisce aliisque multis evidentissime patet: quod Petrus atque Pontifex Romanus in omnibus toto cœlo à seinvicem differant, ut præter formam humanam nihil simile sit; unde liquet: Papam legitimum Petri successorem esse minime posse. Videt ergo, ex iis quæ ad solvendam primam hanc objectionem diximus, quilibet præjudiciis non imbutus Lector, quam parum præsidii Adversarii nostri in citato Christi effato inveniant; Ut licet integram ipsorum dicti hujus explicationem admitteremus, nihil tamen Papæ Romano simile ibi inveniretur.

Vide

Vide etiam Supracit. DORINGII Diss. §. XIV. Lubet adponere verba Celeb. JURIEU *Prejugés Legitimes contre le Papisme* Tom. II. pag. 73. *Je veux*, inquit, *qu'un Turc soit ici notre juge afin qu'il soit libre de l'esclavage des prejugés : qu'on lui dise d'une part ; voyes moi cet homme avec sa triple Couronne qui tient en sa main les clefs de l'enfer & de la mort, qui distribue les peines & les recompenses, qui commande & qui veut etre obeï de tous les hommes : & d'autre part ecoutés les titres sur lesquels il s'apuye. Je suis assuré qu'aprés avoir ouï ces Textes de l'Ecriture il croira que les Chrêtiens auront dessein de se moquer de lui : Et ou est la-dedans, dira-t-il, la Ville de Rome, le Pape, le pouvoir supreme ? Ou sont les Cardinaux, le sacré College, la sainte Congregation de sancta fide, la Cour sainte, le tribunal de toute l'Eglise & de toute la terre, le pouvoir de commander aux Rois, & d'excommunier tous les hommes ? Je ne comprens pas comment ce saint Pere a qui ces paroles ont été dites, s'il etoit vivant pourroit fonder sur cela les pretentions d'etre l'Epoux visible de l'Eglise, le Vicaire de Jesus Christ & un Dieu en terre. Mais je comprens encore bien moins comment l'Eveque de Rome doit entrer dans tous les pretendus droits de St. Pierre. Car je n'y voi rien de commun : L'un etoit a Jerusalem quand ces paroles lui furent dites, l'autre est a Rome : l'un etoit envoyé avec droit de prêcher dans tout le monde, & celui-ci a son siége en un certain lieu ; l'un avoit onze compagnons de même puissance & de même authorité que lui ; & celui-ci est seul & unique dans son rang. Enfin je ne scai par quelles machines & quels canaux vous voulés faire couler*

ler les Privileges & l'authorité de ce Pierre dans le Pape : je veux bien que vôtre ſaint Pierre ait eu tout ce que vous lui attribués, mais qu'a cela de commun avec le Pape.

§. CCCCXLII.

Pontificii Jus atque Suprematum Papæ non modo ex S. Litteris probare allaborant, ſed id maxime agunt ut infallibilis ejusmodi Eccleſiæ Capitis abſolutam *neceſſitatem* oſtendant, ut ſine eo Religio Chriſtiana ne ſubſiſtere quidem poſſet. Ut partibus ſuis hic ſatisfaciant, nobis primo OBJICIUNT : Judicium de Religione cuilibet conceſſum tot parere Religiones quot ſint Capita ; unde non poſſit non maxima hinc Religionum oriri confuſio : Si vero exiſtat Chriſti Vicarius in terrâ, cum infallibili Sacram Scripturam interpretandi & de controverſiis Religionem ſpectantibus decidendi auctoritate, non poſſe non conſervari fidei unitatem, ſectasque omnes hac ratione exterminari.

§. CCCCXLIII.

Argumentatio ita procedit : Quodcunque Dogma ad Eccleſiæ utilitatem, bonum ordinem, pacem & tranquillitatem, adeoque etiam ad fidei unitatem conſervandam plurimum conducit, illud etiam pro vero agnoſcendum. Atqui hoc dogma *Eccleſia eſt infallibilis, ac cæcus ei in omnibus aſſenſus eſt præbendus* Eccleſiæ plurimum expedit. E. oportet verum ſit, & ab omnibus credatur.

§. CCCCXLIV.

Reſpondemus α. non ſemper procedere hanc argumentandi rationem, qua ab utilitate alicujus

jus rei ad ejus veritatem concluditur ; inprimis si a particulari conclusio fit ad universale. Multa ex. gr. in Republica videntur utilia ad hoc vel illud incommodum impediendum , quæ tamen locum habere non possunt & hypothetice impossibilia sunt. Eodem etiam modo in Civitate Dei comparatum est ; multa in illa abstracte & sine respectu ad alia considerata utilia videri possunt, quæ tamen si omnia simul respicias, quæ ibi occurrunt, hypothetice impossibilia sunt. Deus autem pro summa sua Sapientia nihil facere potest in particulari nisi respectu habito totius Universi, & per consequens etiam totius Civitatis suæ. Unde non quæritur, an veritas aliqua vel dogma utile esset in particulari, ad huic vel illi malo remedendum, vel an nobis saltem utile videatur ? sed quæritur , an utile sit respectu habito ad omnes reliquas veritates Theologicas, & ad totam Dei Civitatem ? Licet ergo dogma illud principale Romanæ Ecclesiæ, *Papa est infallibilis, ac ei cæcus in omnibus assensus est præbendus*, licet inquam dogma hoc in particulari & abstracte à reliquis ad hoc vel illud malum ex Civitate Dei tollendum utile videatur, minime tamen inde concludi potest illud cum reliquis omnibus cohærere , & respectu habito totius Civitatis Dei totiusque Disciplinæ Christianæ Systematis locum habere posse, adeoque etiam verum esse. Cum vero demonstraverimus , nemini mortalium eas competere qualitates , quæ requiruntur ut aliquis fit Ecclesiæ Caput, Christi in terra Vicarius, infallibilitate præditus (Cap. III. §. 1494-1511.), & Jesus Christus solus eas possideat qualitates (loc. cit. §. 1485 - 1493.), ipseque solus in Verbo suo audiendus sit (Propos. 1. hujus Cap.);

Munusque Doctoris infallibilis gloriaque inde redundans supra humanam sortem sit, ideoque Christo soli officium illud competere possit (§. 269.); Et Pontifex Romanus Christi in terra vicarius & Doctor summus esse nequeat (Propos. II.); nec infallibilis Scripturæ interpres & controversiarum Judex (Propos. III.); Viaque humanæ auctoritatis in Religione, excluso examine, divinæ Bonitati ac Sapientiæ, nec non Christi Apostolorumque praxi, Litterarumque sacrarum testimoniis contraria sit, & intollerabilem in hominum conscientias involvat tyrannidem, convictioni etiam maxime obsit (Propos. VIII.); Cœcus porro assensus in Religione, veræ fidei naturæ officiat (§. 370.), nec ille cum vera hominis Libertate, quæ in omnibus actionibus moralibus requiritur, consistere queat; Sequitur, dogma hoc, Ecclesia sive Papa est infallibilis eique in omnibus cœcus assensus est præstandus, cum reliquis disciplinæ Christianæ partibus non cohærere, adeoque nec locum habere posse, sed hypothetice impossibile esse. Unde tali modo neutiquam concludere licet: Dogma hoc in particulari utile videtur, ergo verum sit oportet; dum si respectum habeas totius Doctrinæ Christianæ systematis atque totius Civitatis Dei, illud locum non inveniat, & hypothetice saltem impossibile sit.

§. CCCCXLV.

Unica hæc responsio plane sufficit, addimus tamen β. tantum Sectarum discrimen tantumque numerum non esse in Religione Protestantium, quantum Pontificii perhibent. Distinguendum nimirum in Religione, quod Cap. IV. demonstra-

ſtravimus, id quod ad eſſentiam atque fundamentum ejus pertinet, ab eo quod fundamentale non eſt. Diſtinguendus etiam diſſenſus in verbis à diſſenſu in rebus. Licet multi diverſas foveant in nonnullis opiniones, propterea non ſtatim deſinunt eſſe fideles, ejusdemque Religionis conſortes, ejusdem Eccleſiæ membra, idem Caput Chriſtum agnoſcentes, eandemque unicam perfectiſſimamque Salutis ſuæ cauſſam habentes. Licet alius dicat ego ſum Pauli, alius ego ſum Cephæ, alius ego ſum Apollo, omnes tamen Chriſtieſſe poſſunt.

§. CCCCXLVI.

γ. Quanquam Pontificii infallibilem controverſiarum Judicem ſe habere glorientur, ipſi tamen diffiteri non poterunt, multas etiam in ſua Religione reperiri opiniones, ut & ipſorum Doctores in omnibus minime conſentiant, ergo nec infallibilis illa, quam prætendunt, humana auctoritas, ad omnem diſſenſum impediendum ſufficiens medium eſt.

§. CCCCXLVII.

δ. Etiam non omnem Sectam atque hæreſin Deus ex Eccleſia ſua tollere vult. *Oportet & hæreſes eſſe inter vos, ut, qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* 1. Cor. XI. 19.

§. CCCCXLVIII.

ε. Tandem & nos habemus infallibilem controverſiarum Judicem, non merum hominem, ſed Chriſtum in Verbo ſuo loquentem, juxta quam regulam quivis incedere debet, & firmum illud Verbum, ad quod attendendum eſt;

juxta quod omnes in Religione lites atque controverſiæ componendæ ſunt. Ut ergo omnis in Religione noſtra diſſenſus non Religionis culpæ, ſed humani ingenii imbecillitati ac Zelo ſcientia deſtituto adſcribendus ſit.

Tantopere Adverſarii noſtri univerſalem in Religione ſua conſenſum jactant, ſi vero hujus conſenſus naturam examinamus nulla alia re quam ignorantia nititur; dum nemo Religionem ſuam examinare audet. De homine Philoſophiæ ignaro nec dici poteſt quod in hac vel illa re, cum hoc aut illo Philoſopho conſentiat, an vero ab illo diſſentiat? Ita qui dogmatum Religionis alicujus plane rudis eſt, nec dici poteſt cum ea conſentire nec diſſentire. In Religione Pontificia, homines nihil ſciunt quam ſe credere teneri quæ Eccleſia credit, neſcientes quid Eccleſia credat; omnis igitur Eccleſiæ hujus conſenſus in hoc conſiſtit, quod nihil ſcire debeant, & in meram denique reſolvitur ignorantiam. Ad hanc autem ignorantiam, ſive conſenſum falſo ita dictum tuendum & conſervandum vis externa atque arma adhibentur. Si ergo aliquis univerſalis hujus in Eccleſia Romana conſenſus, de quo gloriantur, definitionem ſcire cupiat: *Eſt Ignorantia vi externa conſervata.* Habeant propterea ſibi conſenſum ſuum; hac etiam ratione Religio Muhammedana propagatur, dum nemini eam examinare liceat. Eandem igitur ob cauſſam tantus hominum numerus in Eccleſia Romana conſentit, ob quam tot in Muhammedis Doctrina conſentientes ſunt.

§. CCCCXLIX.

Addunt hisce, quæ ALIA OBJECTIO eſt, apud Proteſtantes nullam dari poſſe fidei certitudinem, ſed propter ſententiarum diverſitatem omnia incerto niti fundamento, ut neſcias denique quid credendum vel non credendum ſit. Contra ea in Eccleſia Romana, propter infallibilem controverſiarum Judicem, nullam de ullo fidei

fidei Articulo dubitandi cauſſam adeſſe, ſed omnia falli neſcia Romani Pontificis auctoritate niti. Quæ alia Pontificiæ Religionis præ noſtra prærogativa ſit.

§. CCCCL.

Non nunc dicam objectionem hancce falſo ſuperſtructam eſſe principio, de Eccleſiæ nimirum Romanæ infallibilitate, quam nullatenus dari à me demonſtratum fuit. Sufficiet oſtendiſſe, majorem fidei Proteſtantium, quocunque ſenſu verbum hoc ſumatur, quam Eccleſiæ Romanæ eſſe certitudinem. Fides duplici modo ſumitur, *vel* pro fide quæ creditur ſive pro *fidei objecto; vel* pro fide qua creditur & fidei actu. Si priori ſumatur ſenſu fides, aut *fidei objectum* eſt quidquid homini peccatori ad Salutem conſequendam revelatum eſt, adeoque Veritates divinitus in S. Litteris patefactæ. At neſcio, quo jure divinum Verbum incertitudinis accuſare poſſint, niſi totam Chriſtianam Religionem ſubruere atque evertere velint. Nullus vero dubito quin ipſimet mei Adverſarii lubentes confiteantur, Revelationem illam quam divinam agnoſcimus firmam certamque eſſe. Cum autem Proteſtantes Verbum illud divinum fidei ſuæ normam habent; ſequitur fidei ipſorum objectum, ſive fidem quæ creditur eſſe certiſſimam.

§. CCCCLI.

Oportet ergo per fidem non intelligant fidei Articulos & fidei objectum, ſed oportet ſumant ſenſu poſteriori pro *fidei actu*, ſive fide qua creditur; ut ſignificet convictionem de Articulis in S. Scriptura contentis. Neſcio autem quo jure

Pontificii hoc de Proteſtantis Eccleſiæ Religione dicere poſſint. Supra jam demonſtravimus in Eccleſia Romana non poſſe dari convictionem, dum illa ex evidenti veritatis demonſtratione naſcatur, hæc autem propter cœcum aſſenſum apud Pontificios locum habere nequeat; ubi vero convictio abeſt ibi etiam nec fides locum habet, dum illa teſte Apoſtolo Hebr. XI. 1. ſit ἔλεγχος ſive convictio ex demonſtrationis evidentia nata. In Religione vero Proteſtantium nihil admittitur, niſi quod evidenter ex S. Litteris, certiſſimo fidei objecto, demonſtratum ſit; ubi vero evidens demonſtratio eſt, ibi etiam certitudo locum habet. Id ergo quod Pontificii Doctores Proteſtantibus affingunt, incertitudo nimirum fidei, apud ipſos omni gradu obtinet.

§. CCCCLII.

Dicent forſan, licet fides ex convictione naſcatur, talem tamen apud Proteſtantes neutiquam reperiri, ſed nonniſi Scepticos eos eſſe. At unde hoc ſciunt Adverſarii? an corda eorum cognoſcunt & de illorum conſcientiis judicium ferre poſſunt? An vero ex Libris eorum Theologicis id arguunt? Prius dici nequit, oportet ergo ſit poſterius. Si vero hoc; ex Libris eorum ſymbolicis Scepticismum ſive articulorum fidei incertitudinem eliciant oportet. Qui vero hoc fieri poſſit ego non video, dum non modo omnia ad ſalutem credenda accurate ibi ex S. Litteris ſint definita, ſed & maxima in confeſſionibus illis publicis ſit conſtantia, ut nunquam eæ fuerint abrogatæ, & aliæ in earum locum ſint ſubſtitutæ. Scepticismus fideique incertitudo tribui poteſt iis, qui aut verbis dubitationem ſuam expri-

exprimunt, ut ostendant dubios se hærere cuinam sententiæ calculum suum addere velint; aut qui subinde sententiam suam mutant. De Protestantibus vero neutrum dici potest, dum ab una parte in Libris ipsorum symbolicis omnia sine ulla hæsitatione ac dubitationis specie determinata, nec unquam publicæ eorum confessiones mutatæ sint.

§. CCCCLIII.

Si dissensum in rebus minoris momenti, quæ Religionis fundamentum non respiciunt, Scepticismum ac Articulorum fidei incertitudinem vocare velint Adversarii, illa non minus in Ecclesia Romana quam apud nos obtinet; Ut hic plane nullam præ nobis prærogativam Pontificii habeant.

§. CCCCLIV.

Ea ergo inter Pontificiorum ac Protestantium fidei certitudinem differentia est, ut α. quoad *fidei objectum* Ecclesiæ Romanæ consortes de eo non consentiant, dum respectu principii fidei certent num illud sit Papa, num Concilium, num vero Papa cum Concilio simul? & nemo certus esse possit, num Concilium aliquod omnibus illis præditum sit requisitis, quæ adesse debent ut illud universale, legitimum, adeoque infallibile etiam dici possit. Contra ea inter omnes Protestantes convenit S. Litteras unicam fidei nostræ normam ac principium esse. Judicet quilibet præjudiciis non imbutus, à quanam parte major hac in re certitudo fidei stet. β. Quoad ipsum *fidei actum*: Pontificii ea tenentur credere, quæ ignorant, & quæ nonnisi auctoritate humana nituntur.

tuntur. Proteſtantes contra nonniſi ea credunt, de quibus certam habent notitiam, & quæ evidenti demonſtratione ex S. Literis probata ſunt.

§. CCCCLV.

Quoniam fidei vocabulum nonniſi duplici hoc quo diximus ſenſu accipi poteſt, patet maximam fidei Proteſtantium eſſe certitudinem, ſive ſenſu priori intelligatur (§. 449.), ſive poſteriori (§. 450.); adeoque Adverſariorum objectionem falſam eſſe.

§. CCCCLVI.

OBJICIUNT porro: ſine admiſſo infallibili S. Scripturæ Interprete ac controverſiarum Judice, neminem certo de Articulorum fidei veritate ac certitudine perſuaſum eſſe poſſe.

§. CCCCLVII.

Sed hac ratione α. S. Litteras obſcuritatis accuſant, ut infallibili Judici ſuo locum facere poſſint. Unde ante omnia neceſſum eſt, ut probent, divinum Verbum in rebus Religionis fundamentum ac eſſentiam ſpectantibus ita obſcurum eſſe, ut nonniſi à Papa & Epiſcopis in Concilio congregatis intelligi queat. Hoc vero contra divinam Potentiam ac Sapientiam eſſe ſuo loco oſtendimus. β. Si vero veritates illæ ſalutares clariſſime revelatæ ſunt, (uti ſumma Dei Sapientia id requirit, quæ hominum miſeriæ occurrit ipſisque veram ad ſalutem viam monſtravit,) ab iis etiam qui ſalutis cupidi ſunt intelligi poſſunt, ut ipſum Chriſtum Doctorem infallibilem in S. Litteris loquentem audire queant. Ad quid tum infallibilis illa humana auctoritas? γ. Et denique, ne quidem

dem determinavit adhuc Ecclesia Romana, quisnam infallibilis ille Judex sit, dum Pontificii hac in re maxime dissentiant : Si autem incertum est quodnam infallibile illud tribunal sit, in Ecclesia Romana etiam incertum esse debet, quinam Articuli fidei sint; unum enim ab altero pendet, ex ipsa Adversariorum hypothesi, ut sine Judice infallibili humano veritas fidei Articulorum cognosci nequeat, nec ulla eorum possit dari persuasio ; dum ergo dubia trahitur Doctorum Ecclesiæ Romanæ mens, quisnam infallibilis ille Judex sit ? etiam nulla apud eos dari potest Articulorum fidei certitudo. Quamdiu igitur non decisa est controversia illa quisnam Judex ille sit, per ipsam Pontificiorum hypothesin nemo de Articulorum fidei veritate persuasus esse potest; dum hoc ipsum fidei Articulus sit, scire quisnam infallibilis ille in Ecclesia Judex habendus sit?

Celebris ille Argentoratensis Jesuita J. SCHEFFENMACHERUS hic effugium quærens contendit : Nos secure in Ecclesiæ Romanæ decretis acquiescere posse, licet dubitemus, utrum solus Pontifex ex Cathedra loquens infallibilis sit nec ne; contra vero etiam Doctoribus Ecclesiæ Romanæ Laicisque, in sola Pontificis auctoritate ejusque infallibilitate acquiescere licitum esse, vel, si malint, conciliorum supra Pontificem auctoritatem agnoscere. Ita enim ille in Epistolis suis quæ hunc titulum præ se ferunt. *Lettres d'un Docteur Allemand de l'Université Catholique de Strasbourg, à un Gentilhomme Protestant, sur les six obstacles au salut, qui se rencontrent dans la Religion Lutherienne.* Ubi pag. 117. eludere volens Protestantium objectionem, quod ne ipsi quidem Pontificii de fidei principio inter se conveniant, dicit : *Je reponds que tous les catholi-*

tholiques s'accordent à reconnoitre pour regles de la foi la parole de Dieu expliquée par l'Egliſe. Or l'Egliſe, je parle ici de l'Egliſe enſeignante, n'eſt ni le Pape ſeul, ni le Concile ſans le Pape; mais c'eſt le corps des Eveques joint à leur chef; tel corps joint au Chef eſt infallible. C'eſt ce que tout Catholique ſe fait un Devoir de croire. Pour ce qui eſt de l'infallibilité du Pape lors qu'il parle ex Cathedra, c'eſt à dire en qualité de Paſteur Univerſel pour inſtruire toute l'Egliſe après avoir conſulté Dieu & duement examiné les matiéres, les ſentiments des Catholiques ſont partagés ſur cela. Mais ceux-la même qui tiennent pour cette infallibilité & qui ſe fondent ſur cette parole du Sauveur à St. Pierre: J'ai prié pour vous Pierre, afin que vôtre foi ne vienne pas à manquer: ceux-là même dis-je n'en font pas pour cela un article de foi: ils ne regardent leur ſentiment que comme une opinion, & ſi Dieu vous fait la grace Monſieur, de vous faire Catholique, - - il vous ſera libre de prendre parti pour & contre, ſans que vôtre foi puiſſe en ſouffrir. Ad quæ reſpondet celeberrimus Tigurinorum Theologus J. J. ZIMMERMANNUS *Diſſertationis de recentiorum quorundam Eruditorum præpoſteris adverſus incredulos diſputandi methodis Parte V.* §. 8. „Quid magis ineptum, inquit, quam affirmare, ſine „admiſſo infallibili Judice neminem de veritate dog„matum credendorum perſuaſum eſſe poſſe, & tamen „ſimul contendere, nos ſecure Articulis, quos pro„fitetur Eccleſia Romana, ſubſcribere poſſe: licet ig„noremus vel negemus etiam, Pontificem ex Cathe„dra loquentem infallibilem eſſe? An non hoc idem „eſt, ac ſi quis dicat, virum veri amantiſſimum con„cluſionem Syllogismi admittere poſſe, & tamen præmiſſas negare, vel de earum veritate dubitare? „An non verſuta illa cum Proteſtantibus agendi ratio

ſatis

„satis ostendit, doctissimos Pontificiorum haud satis „præsidii reperire in sua de necessitate Judicis in„fallibilis opinione? „ Ad id vero quod celebris Jesuita asserit, non ad fidei Articulos pertinere sed nonnisi opinionem esse, num Papa infallibilis absque Concilio, an vero Concilium? Ita respondet *de la CHAPELLE; C'est un fait constant, Monsieur, & que vôtre Docteur n'ignore point, que c'est desormais dans sa communion parmi les partisans de la Bulle, & principalement à Rome non une opinion, mais un Article de foi, que le Pape est superieur au Concile, que c'est en lui seul personellement que reside l'infallibilité de l'Eglise enseignante, & que le Corps des Evêques sans avoir été consulté ne concourt à legaliser ses decisions que par la soumission qu'il temoigne à les accepter. C'est un fait aussi constant, que les Jesuites, qui ont sollicité cette Bulle, en sont aussi les Zelés defenseurs, & qu'ils remuent le Ciel & la Terre pour la faire recevoir par-tout comme Regle de foi. Quelle sincerité peut il donc y avoir dans la bouche d'un Ecrivain de cette compagnie, qui vous dit gravement, que si vous vous faites Catholique Romain, vous serés en pleine liberté de croire là dessus le pour & le contre? Oseroit-il encore aujourd-hui vous tenir le même langage, & tout ce qui s'est passé en France, depuis l'Impression de ces Lettres, ne doit-il pas le confondre? &c.* vide pag. 81. seq. Patet ex iis quæ in hoc Scholio diximus, non modo, quam inconstantes in tuendis opinionibus suis sint Pontificii, dum in re maximi momenti sibi invicem contradicant; sed apparet etiam quam incertum ac dubium apud eos sit, quænam fidei eorum regula esse debeat,? Disputant de Infallibilis Judicis necessitate, sed quis proprie ille sit nesciunt. Si infallibilis inter eos existit controversiarum Judex, quare non infallibili sua auctoritate etiam hanc componit litem,

cur

cur non dudum omnium rixarum in Ecclesia Romana super hac re ortarum finem fecit ? Si igitur nemo in Ecclesia hac reperiatur, qui hanc quæstionem decidere possit, & ita quidem ut in posterum ab omnibus Ecclesiæ Romanæ membris judicium hoc pro certo habeatur ; sequitur etiam non dari Infallibilem controversiarum Judicem. Imo unicum hoc Argumentum evertendæ infallibili humanæ auctoritati sufficeret, omnis enim ibi excluditur infallibilitas ubi nemo est, qui tantos motus de infallibilitatis sede ortos, modo infallibili, sedare possit.

§. CCCCLVIII.

OBJICIUNT, ad conservandam fidei unitatem etiam Protestantes suum habere Papam, dum & ipsi auctoritatem humanam in Articulorum fidei definitione agnoscant. Huc tendere videtur BOSSUETUS *Expos. de la Doctrine de l'Eglise Cath.* §. XX. Habent nimirum protestantes Ecclesiæ Libros suos symbolicos, cum quibus Doctrina omnium eorum qui publice docent conformis esse debet, ut contra agere nemini liceat, nec etiam quisquam ad Ministerium Ecclesiasticum admittitur, nisi fides atque Doctrina cum symbolicis Libris consentiat ; alligatur ideo fides ipsius Libris ab homine aliquo vel pluribus compositis. Si vero controversiæ circa nonnullos Religionis Articulos oriuntur, rei disquisitio Consilio vel Synodo committitur, quæ ex hominibus composita est : quidquid autem Synodus illa decernit, ei Ecclesiæ illius membra, à qua Synodus illa convocata fuit, sese submittere coguntur, sive velint sive nolint. Si non saltem publici Doctoris munus obire nequeunt, sed ab eo removentur & quidem inviti adhibita vi externa. Ex quibus patere ajunt Pontificii, rem tandem, etiam inter Protestantes, ad humanam per-

pervenire auctoritatem, à qua Doctores Libris symbolicis subscribentes & Synodi decretis sese submittentes pendeant.

§. CCCCLIX.

At tanta inter nos & Pontificios hic est differentia, quanta in omnibus reliquis Articulis. In Ecclesia nimirum Romana mera obtinet humana auctoritas, cui cœco assensu fidem præbere coguntur homines, nec ulla ibi ex Verbo divino additur veritatis demonstratio, ejusque ad cujusvis hominis conscientiam commendatio; Sed Papa aut Concilium ut αὐτὸς ἔφα pronuntiat, iisque anathema dicit, qui cœca fide sepositio omni examine sibi assentiri recusant. Protestantes contra, sive in Libris symbolicis veritatem dicant, sive in Synodis in eam inquirant, in nulla tamen re fidem sibi haberi volunt, nisi in qua cum Deo ex Verbo ejus loquuntur, eamque ex Litteris Sacris demonstrant; neque unquam propria auctoritate pronuntiant, nec propter eam sibi credi postulant, sed ideo solum quia cum summo Doctore Jesu Christo in Verbo suo nos docente se consentire demonstrant, neque sibi, sed ipsi soli assensum præberi volunt. Quantum ergo inter meram humanam auctoritatem cœcamque fidem, & inter evidentem veritatis demonstrationem discrimen est; tantum etiam inter Ecclesiæ Romanæ & nostrum in fidei Articulis Judicem discrimen est. Papa ergo ille quem Protestantes agnoscunt est infallibile Dei Verbum, ex quo præcipuæ veritates, immediate ad Religionis Essentiam pertinentes, in symbolicis Libris Synodique Decretis proponuntur, quæ obligant quatenus sacro Codici conformes sunt.

Ponti-

Pontificiorum vero Papa, sive infallibilis Judex est sola humana auctoritas, cui absque ulla veritatis demonstratione assensus præbendus est.

§. CCCCLX.

Ut Adversarii absolutam Judicis infallibilis necessitatem tueantur, talia conquirunt Argumenta quibus probent viam examinis in Religione non modo perdifficilem sed plane impossibilem esse; imo illam simplices in Fanaticismum & Indifferentismum conjicere posse. Unde OBJICIUNT: *Fanaticum* dici eum qui incertam quandam opinionem pro veritate divinitus revelata agnoscat. Cum vero juxta Protestantium placita quilibet, sive sit Doctor sive simplex, sive Artifex sive Rusticus, sive Mas sive Fœmina, ad examinandos Religionis Articulos obligatus sit, iisque assensum præbere teneatur quæ Spiritus S. scopo consentanea sibi videntur. Idiotæ autem tum propter ingenii sui imbecillitatem, tum propter rerum examinandarum ac dijudicandarum difficultatem, opinionumque & interpretationum diversitatem, Articulos ad Religionem scitu credituque necessarios certo cognoscere non possint, adeoque incertis opinionibus assensum præbere, illisque acquiescere teneantur; sequi: homines simplices, vi examinis hujus, in Fanaticismum prolabi.

§. CCCCLXI.

Ad difficultatem hanc solvendam duo regerimus; α. Ea quæ Propositione VIII. demonstravimus, viam nimirum humanæ in Religione auctoritatis, excluso examine, divinæ Bonitati ac Sapientiæ, quæ veritates salutares clare revelare & potuit

&

& voluit, ut à simplicibus etiam intelligi queant (§. 356 - - 360.), nec non Christi Apostolorumque praxi (§. 361. 362.), quæ hauddubie in omnibus nobis imitanda est ; Litterarum etiam S. testimoniis contrariari (§. 363.) ; Intollerabilem quoque in hominum conscientias tyrannidem involvit (§. 364 - - 369.) ; Convictioni tandem adeoque etiam veræ fidei maxime obest (§. 370-372.). β. Via auctoritatis longe etiam majoribus difficultatibus obsepta est, quam via examinis. Nec enim Plebs in Ecclesia Romana scire potest, quodnam infallibilitatis illud sit tribunal, dum maximus hac in re etiam inter Doctissimos sit dissensus, & nemo in Ecclesia Romana inveniatur qui ceu infallibilis Judex lites has componere possit. Nec porro cognoscere potest plebs, num Papa revera ex Cathedra locutus sit nec ne? hoc vero si nesciat, etiam scire nequit, num id quod pronuntiavit infallibile sit? Nec etiam certus esse potest Populus, num Concilium aliquod omni ex parte legitimum sit (per Propos. IV.)? Ex quibus patet, nunquam in Religione Pontificia ad certitudinem in fidei Articulis perveniri posse. In Religione autem Protestantium, ubi divinum Verbum unica fidei norma agnoscitur, nulla alia re opus est, quam ut scrutentur plebeii homines, num hæc vel illa veritas in illo contenta sit nec ne? quod adhibita debita diligentia ac attentione, implorato Spiritus S. auxilio, fieri facillime potest ; inprimis cum Lex divina clara sit, ut oculos collustret. Psalm. XIX.

§. CCCCLXII.

Aliam huic OBJECTIONEM addunt. Juxta Doctores scilicet Ecclesiæ Protestantis verum scrip-

Scripturæ ſenſum, cœleſtesque ac ſalutares veritates, per internum Spiritus S. teſtimonium cognoſci, ut verus perſuaſionis modus nonniſi à Spiritus divini interno teſtimonio pendeat. Plebem vero ſçire minime poſſe, num Spiritus S. perſuaſionis hujus auctor ſit nec ne? dum multi, qui maxime erroneas fovent opiniones, ad teſtimonium illud provocent, & ſe illud habere perſuaſi ſint. Unde nec hic ulla reperiatur fidei certitudo, ſed facillime ſic unumquemque in Fanaticismum prolabi poſſe, dum & Fanatici ad lumen illud Spiritus S. internum provocent.

§. CCCCLXIII.

Verum omnino eſt, ſupremum controverſiarum Judicem ipſum Spiritum Sanctum eſſe, qui per Scripturam ſacram nos verum à falſo diſcernere docet. Ipſemet nimirum S. Scripturæ Auctor exiſtens, cum hominibus in illa loquitur, ipſos per illam, modo debitam adhibere adplicationem velint, de veritate convincit, veritati vero reſiſtentes per internum Conſcientiæ teſtimonium redarguit, niſi ipſimet homines propria ſua culpa atque pertinacia vim ejus impediant. Teſte enim Chriſto Spiritus hic veritatis ab una parte *nos ducit in omnem veritatem* Joh. XV. 13. ab altera parte *mundum peccati convincit.* loc. cit. verſu 8. unde etiam *Lex & teſtimonium* conſulendum dicitur Eſajæ VIII. 19. 20. Et *ſpiritus eſt qui teſtatur ſpiritum veritatem eſſe.* 1. Joh. V. 6. Patet ex hisce, quidquid contradicant Adverſarii, Spiritus S. teſtimonium externum quod in Verbo exhibet, cum teſtimonio interno in hominis conſcientia, certiſſimum unicuique veritatem cognoſcendi principium eſſe. Duplici ergo modo teſtatur

ſtatur divinus Spiritus α. per Verbum ſcriptum in quo veritatem docet β. per teſtimonium internum, ſive mentis de veritate illa convictionem. Utrumque igitur hoc teſtimonium conſentiens ſit oportet.

§. CCCCLXIV.

Dum vero dentur homines, qui erroneas ſuas opiniones pro Spiritus S. lumine ac teſtimonio interno venditant, Deus præcipit ut ab omni caveamus errore, & debitum inſtituamus examen, quo ſpectat illud Apoſtoli πάντα δοκιμάζετε. 1. Theſs. V. 21. & Johannis 1. Epiſt. IV. 1. *ne cuivis Spiritui credite, ſed Spiritus explorate num ex Deo ſint.* Et Chriſti: *Cavete falſos Prophetas.* Matth. VII. 15. Quæritur autem undenam ſciri poſſit num teſtimonium illud internum, certiſſimum convictionis medium, revera Spiritus S. ſit, nec falſa tantum opinio? Reſpondeo certa dari veritatis criteria, infallibilesque Sacram Scripturam interpretandi Regulas, quæ à nemine, niſi clariſſimis notionibus contradicere velit, negari poſſunt. Juxta criteria hæc & veritatem dijudicandi Regulas, ſi homo præjudiciis ſepoſitis adhibita omni diligentia procedere velit, facile inveniet, num ſententia aliqua graviſſimas in ſalutis negotio veritates, cæteroquin clariſſime revelatas, reſpiciens, cum toto Perfectionum divinarum per ipſum rationis lumen cognitarum complexu, cum fidei analogia, cæterarumque veritatum nexu, auctorisque ſcopo atque cum hominis natura ejusque ad Deum relatione, conveniat nec ne? Si deinde Spiritus S. teſtimonium internum conſentit, mentemque hominis ita illuminat, ut clariſſime veritatem hanc, quam ad-

hibitis donis naturalibus ex Litteris Sacris elicere potuit, perſpiciat, adeoque Spiritus teſtatur ſpiritum in Verbo loquentem veritatem eſſe, non poteſt non certiſſime homo concludere, internum hoc teſtimonium, cum eo S. Scripturæ ſenſu, qui adhibitis omnibus veritatis criteriis atque regulis elici potuit, conſpirans, non poſſe non ab ipſo veritatis auctore oriri. Quæ de rebus ad fidem ſpectantibus intelligenda ſunt. In rebus enim quas Philologicas aut criticas nominare ſolemus, aliisque parvi momenti rebus ac diſceptationibus, Spiritus S. judicium exſpectare velle Majeſtate illius parum dignum foret. Frivolis ejusmodi ac inutilibus diſputationibus qui inhærent, Doctrinamque ſalutarem, quæ ad pietatem eſt, negligunt, eoipſo oſtendunt, ſe Spiritus S. ductum minime ſequi; iisque Apoſtolus Paulus dudum pronuntiavit ſententiam, dicens: *Si quis diverſam docet Doctrinam, neque accedit ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt Doctrinæ, is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac pugnas de verbis, ex quibus invidia &c.* 1. Tim. VI. 3. 4.

§. CCCCLXV.

OBJICIUNT denique, ad neceſſitatem auctoritatis humanæ oſtendendam, pauciſſimos imo nullos inter plebem reperiri, qui ſalutares Articulos ex S. Scriptura eruere, qui verum à falſo diſtinguere, qui ad controverſias, quæ de fidei Dogmatibus oriuntur, dijudicandas apti ſunt, qui ea mentis diſpoſitione gaudent, quæ ad veritatem inveniendam inventamque amplectendam idonei, quique denique omnis eruditionis ac ſcientiarum genere inſtructi ſint, ſine quibus legitima

tima Scripturæ interpretatio non procedit: Unde aliter fieri non possit, quam ut illitterati ejusmodi ac imperiti homines, S. Scripturam legentes, in Indifferentismum Religionis incidant; ut quaslibet opiniones arripiant, & propter opinionum diversitatem, ingeniique humani imbecillitatem, indies suas de fidei Articulis opiniones mutent; unde non possint non maximæ turbæ ac dissensiones in Ecclesiis atque Imperiis oriri, ut adeo Protestantium doctrina valde periculosa sit.

§. CCCCLXVI.

Nonnulla ad objectionem hancce jam supra (ad §. 441.) respondimus, quibus nunc nonnulla addimus. Non repetam, viam humanæ auctoritatis, atque traditiones quas Adversarii pro Scriptura nobis obtrudunt, longe majoribus adhuc premi difficultatibus. Nec denuo inculcabo, de iis veritatibus hic tantum sermonem esse, quas scire credereque debent omnes, qui salutis æternæ compotes fieri cupiunt. De his ita clare nos S. Litteræ docent, ut à quolibet sana mente prædito, in primis Christianæ Religionis fundamentis ac principiis instructo, Sacram Scripturam in versione, quæ sensum ejus recte exprimit, legente, intelligi queant.

§. CCCCLXVII.

Sed insuper hic præcipuus finis est, cur Christus summus Ecclesiæ Doctor munus Ecclesiæ Doctorum atque Pastorum instituit; quorum est *gregem Domini pascere*, id est, salutari Doctrina imbuere. Act. XX. 28. 1. Pet. V. 2. Ita vero hi Gregem suum sive Ecclesiam docere debent, ut

id non fiat cum auctoritate *ut Gregi imperantes*, loco citato Petri. Sed *evidenti veritatis declaratione* ad quamvis hominum conscientiam. 2. Cor. IV. 2. Horum, qui exquisita eruditione instructi esse debent, nontantum est publice alios in salutaribus veritatibus instruere, sed & privatim aliis exemplo atque Doctrina viam ad perennem felicitatem monstrare. Si ergo sint plebeji atque illitterati, qui verum Scripturæ sensum in nonnullis locis capere nequeunt, adeunt inter Protestantes Doctorem atque Pastorem suum, & ab eo erudiri cupiunt. Neque tamen propterea aliter ab ore illius pendent, quam ipsis ex S. Scriptura demonstrare potest, hunc verum atque genuinum hujus vel illius loci, de quo quæritur, sensum esse, & nullam hic sibi arrogat auctoritatem, & non vult sibi, sed soli Christo in Verbo suo loquenti, credi. Vident ergo Adversarii mei, quænam in Protestanti Ecclesia via sit, qua plebeji etiam, absque humana auctoritate, ad veritatis salutaris certam atque indubiam cognitionem pervenire possunt.

§. CCCCLXVIII.

Objiciunt: Protestantibus nullam justam fuisse caussam cur schisma facerent, & ab Ecclesia Catholica secederent; cujus rei caussas nos reddere teneamur, legitimas vero à nobis adduci non posse, dum id ne quidem in Hæreseos casu facere licitum sit.

§. CCCCLXIX.

Respondemus. α. Nos non tam ex Romana Ecclesia exisse atque secessionem fecisse, quam ejectos fuisse; dum nos non modo anathemate feriat

feriat Papa cum Tridentino Concilio, ut nullus tam humilis frutex in Protestantium campis reperiatur, qui non anathematis fulmine percussus fuerit; sed & vi, ferro, flammis ubique nos persequuntur, ut nullus nobis inter eos tutus relinquatur locus. Quo ergo jure nos accusare possunt, ab iis nos secessionem fecisse, cum ipsi potius à nobis secedant, neque nullo modo nos tollerare velint. β. At posito, Protestantes ab Ecclesia Romana sponte sua secessisse, justissimæ ipsis non defuere caussæ; Nam error hauddubie maxime fundamentalis est, qui circa ipsum Religionis principium committitur. Pontificii autem S.Scripturæ, unici Religionis Peccatoris principii atque normæ, auctoritatem contemnunt, & sibi, capitique suo, Romano Pontifici, infallibilem tribuunt auctoritatem fidei regulam præscribendi atque de controversiis omnibus decidendi; ut adeo sacrilege in jus illud involent quod Christo soli competere (Propos. I.) à nobis demonstratum fuit. Insuper loco divini cultus in Litteris S. præscripti in spiritu ac veritate peragendi, introduxerunt cultum plane corporalem atque carnalem, Evangelio plane contrarium (Propos. XI.), varia superstitionis ac Idololatriæ genera, imaginum, sanctorum mortuorum, ac panis Eucharistici cultum. Cum vero maximis ac fundamentalibus ejusmodi erroribus nequaquam assentiri possint Protestantes, nisi & propriæ conscientiæ & divino Verbo contradicere velint, neque propterea idem cum Romana Ecclesia facere queant, oportet à Pontificiis dissentiant, & in cultu etiam divino ab iis sese separent. γ. Id vero in casu Hæreseos facere licitum

tum esse testatur Paulus dicens : *Hæreticum hominem una & altera vice monitum devita.* Tit. III. 10.

§. CCCCLXX.

Addunt *Objectionibus* hisce : Reformatores nullam ad suscipiendum ejusmodi munus habuisse vocationem sive ordinationem ; unde probanda sit Protestantibus missio sua , seu ordinaria seu extraordinaria , ad subvertendam scilicet Ecclesiam ; ostendenda esse Missionis ejusmodi legitima signa ac documenta.

§. CCCCLXXI.

Respondemus α. primos Reformatores, Adversariis non negantibus, ordinationem sive vocationem suam ad Ministri Evangelii munus obeundum, jam in ipsa Romana Ecclesia accepisse, quæ propterea Missio sive Ordinatio ex Adversariorum hypothesi legitima fuit. *Quæstio* ergo hæc est : An muneri illi satisfecerint ad quod ordinati erant ? An vero potius contrarium fecerint, Ecclesiamque non ædificaverint , sed potius subverterint ? *Respondeo*, munus ipsorum ceu Doctorum Evangelii, ad quod ordinati erant, hoc fuisse, ut Verbum Dei prædicent ; hoc si fecerunt , muneri suo , ad quod ab ipsa Romana Ecclesia ordinati fuere , satisfecerunt quoad Doctrinam scilicet. Cum vero nihil docuerint Reformatores, nisi quod ex ipsis S. Litteris probarunt , patet totum , quod susceperunt , Reformationis Ecclesiæ negotium nonnisi in hoc constitisse, quod ad Verbum Dei totam suam composuerunt Doctrinam, quo factum fuit ut à magno hominum numero ipsis habita fuerit fides. Eoipso ergo quo ad Doctoris Evangelii munus ordinati fuere etiam

am ad Reformationem fuerunt ordinati, cum pura Evangelii prædicatio atque Reformatio sit unum idemque. Ab iisdem itaque, à quibus ad Doctoris Evangelii munus obeundum missi sunt, etiam ad Reformationem missi sunt. Liquet: etiam primorum Reformatorum scopum minime fuisse ut Ecclesiam subvertant; sed nonnisi hunc; ut fidem, cultum divinum, hominumque vitam, ad Dei voluntatem, in Verbo ejus præscriptam, componerent. β. Legitima ministri missio proprie in hoc consistit, ut cœtus aliquis fidelium jus alicui ex medio sui concedat in Ecclesia ordinarie docendi, omnia quæ ad Ecclesiæ decorum auditorumque ædificationem spectant administrandi. Quamprimum ergo aliquis ab Ecclesia, vel ab iis qui ab illa ad id ordinati sunt, Minister Evangelii constituitur, pro tali habendus est. Idem propterea valet an Minister aliquis ab ipsa Ecclesia unanimi consensu, an vero ab Ecclesiæ Episcopo ad munus Evangelii obeundum ordinatus sit. Si itaque in Ecclesiæ restitutione, collapso ordine, & quando ii qui juxta ordinem receptum missi fuerunt, periculosos errores, variaque superstitionis genera S. Scripturæ adversa, veræ pietati noxia introduxerunt, missio secundum illum ordinem nec necessaria est, nec locum habere potest; sed hoc in casu sufficit, talem ab universa illa, in qua docet, Ecclesia legitimum Evangelii Ministrum agnosci, licet ab Episcopo ordinatus non sit, siquidem Episcopo major potestas non competit, quam ipsi Ecclesia delegavit; cum ergo idem toti alicui Ecclesiæ jus competat quod Episcopo, illa non minus Ministros constituendi facultatem habet ac alias Episcopus habet.

§. CCCCLXXII.

Aliam *Objectionem* inde desumunt, quod Ecclesia Protestans nuper orta sit, & quærunt ubinam illa ante Wiclefum, Lutherum, Calvinum fuerit? Neque in illa non interruptam Episcoporum Successionem inveniri dicunt, sine qua non possit esse vera Ecclesia.

§. CCCCLXXIII.

Respondemus: In ipsa Romana Ecclesia Deum semper veros suos habuisse Cultores, qui subinde per aliquod tempus latuerunt, uti olim Eliæ temporibus factum erat; dum enim Propheta hic existimaret, se solum reliquum esse, qui genua sua Baali non flexerit; at respondet Deus, septem hominum millia adhuc supersesse, qui ab Idololatriæ crimine mundi sint. Eodem itaque modo sese cum Ecclesia nostra ante Reformationem habebat, quo cum Ecclesia Judaica prophetæ hujus tempore comparatum erat. Ad veram autem Ecclesiam, non interruptam etiam Episcoporum successionem requiri, est hypothesis Pontificia, quæ à nemine adhuc demonstrata fuit, nec unquam probari poterit.

§. CCCCLXXIV.

Dicunt autem veram Ecclesiam semper debere esse *visibilem* oculisque mundi observabilem; hoc vero criterium Protestantium Ecclesiæ minime competere, dum ante Reformationis tempora à nemine fuerit conspecta; unde nec vera Ecclesia esse possit.

§. CCCCLXXV.

Sed & hæc est falsa Ecclesiæ Romanæ hypothesis; fieri enim potest, ut vera Ecclesia persecutio-

cutionis tempore sæpe latere cogatur, ut à nemine conspiciatur. Cujus rei exemplum à nobis allatum est (§. 472.) ex 1. Reg. XIX. 10. 14. 18. Observandum autem, distinctionem illam Ecclesiæ in Visibilem & Invisibilem non esse divisionem totius in partes, dum non constet ex partibus oppositis, sed subjecti solum per adjuncta. Eadem enim Ecclesia diverso respectu visibilis & invisibilis dici potest, iidemque homines vario respectu sunt membra visibilis & invisibilis Ecclesiæ: Visibilis quatenus sunt in externa Ecclesiæ communione, invisibilis quatenus per fidem veram cum Christo reliquisque Corporis mystici membris uniti sunt. *Quæstio* autem omnis huc redit: An necessarium veræ Ecclesiæ requisitum sit, ut membra ejus cœtum aliquem vel societatem Ecclesiasticam constituentia, omni tempore oculis mundi sint conspicua? *Respondemus*: Id quod proprie veram efficit Ecclesiam, & quod facit ut hic vel ille homo sit verum veræ Ecclesiæ membrum, esse qualitatem quandam intrinsecam atque moralem, oculis hominum non conspicuam, sed Deo soli cordium cognitori notam. Est nimirum vera Ecclesia Corpus Jesu Christi. Eph. I. 22. 23. 1. Cor. XII. 12. 27. membra vero illius Corporis nonnisi vere fideles sunt. Gal. V. 6. Rom. VIII. 9. XI. 20. fides autem à nemine hominum conspici potest. Unde non omnes illi ad veram Ecclesiam pertinent, qui ejus membra sese esse profitentur, teste Christo Matth. VII. 21. 22. 23. & Apostolo Rom. II. 28. 29. *Non enim is Judæus est, qui manifesto est: nec ea circumcisio est, quæ manifesto in carne est: sed is Judæus est, qui in occulto est: & ea circumcisio est, quæ ani-*

mi est, spiritu non Littera : cujus Judæi laus non ab hominibus est, sed à Deo. Apparet ex hisce, intrinsecas eas esse qualitates, quæ veram efficiunt Ecclesiam. *Visibilis* autem est Ecclesia, si illa in extrinsecam aliquam societatem atque cœtum coalescit, publicisque Deum conventibus colit. Si vero accidat ut hoc ab hostibus ejus impediatur, in occulto latet, & respectu hominum invisibilis est, nihilominus tamen vera Ecclesia manet, dum ejus Attributa retinet.

§. CCCCLXXVI.

Etiam hanc contra nos movent OBJECTIONEM : Quod primi Reformatores homines fuerint, qui maximos habuerint nævos, qui etiam seditionis, rebellionis, aliorumque scelerum fuerint rei.

§. CCCCLXXVII.

Illos vero homines, & quidem non infallibiles, imo homines infirmitatibus adhuc circumdatos fuisse concedimus. Hoc autem ipsorum Doctrinæ nihil detrahit. Quid de Petri lapsu dicendum ? An propterea tota ejus Doctrina rejicienda ? Et si hoc contra Doctrinæ veritatem valeat argumentum, absque omni dubitatione falsissima erit Ecclesiæ Romanæ Religio, cum, confitentibus ipsis scriptoribus pontificiis, gravissima multorum Pontificum fuerunt vitia. Seditiosos atque rebelles fuisse primos Reformatores, nec ex ipsorum Doctrina, nec actionibus quisquam probare poterit.

§. CCCCLXXVIII.

Aliud illorum contra nos *Argumentum* hoc est : Quod falsum Protestantes de Romanæ Ecclesiæ

cleſiæ Doctrina habeant conceptum, Articulos cum Pontificiis controverſos non eſſe de neceſſariorum atque fundamentalium ordine, unde nec juſta fuerit ſeceſſionis cauſſa.

§. CCCCLXXIX.

Ad hæc ſequentia obſervanda ſunt. α. Si talia Eccleſiæ Romanæ imputamus dogmata, quæ illa neutiquam profitetur, id à primis jam Reformatoribus factum ſit oportet; nam hauddubie ea erunt propter quæ Proteſtans Eccleſia à Romana ſejuncta fuit. Si vero falſa hæc imputatio à primis Reformatoribus facta fuit, hujus rei cauſſa erit horum virorum vel ignorantia vel malitia; at neutrum probabile eſt. *Non prius;* Quis enim credere poterit, Zwinglium, Lutherum, Melanchtonem, Bucerum, Calvinum, Oecolampadium, viros cæteroquin, nemine negante, eruditiſſimos, in Romana Eccleſia natos, nutritos, educatos, Pontificia Religione à juventute imbutos, eam neutiquam intellexiſſe. *Non poſterius;* nulla enim probabili nititur ratione ipſos aut ſpem ullam concipere potuiſſe ſe fidem apud alios homines inventuros, ſi talia adgreſſi fuiſſent dogmata, quæ in Romana Eccleſia nunquam fuere recepta; aut mendacia ac calumnias docuiſſe contra propriam conſcientiam, cum nullum aliud in hac vita inde percipere potuerint emolumentum quam Principum Romano-Catholicorum, ſedisque Romanæ invidiam atque perſecutiones ipſis illatas, neque alium ſperare potuerunt fructum quam vitæ, bonorum, libertatisque amiſſionem. β. Non antiqua ſed nova plane hæc Doctorum Pontificiorum accuſatio atque effugium eſt, primo enim poſt Reformationem ſæculo igno-

ignotum illud plane fuit : poſtquam autem nonnulli Eccleſiæ Romanæ Doctores perſpicaces atque eruditi errores craſſiſſimos agnoſcere inciperent, Proteſtantesque iterum in partes ſuas trahere cuperent, quoad externam ſaltem ſpeciem in Articulis maxime erroneis paulatim cedendum eſſe rati ſunt. γ. Si autem, uti nonnulli Doctores Pontificii nobis perſuadere conantur, differentia inter nos fere nulla imo ſaltem non fundamentalis eſt; quo tunc jure, ut in illorum caſtra tranſeamus, à nobis petere poſſunt, ſi errores noſtri admodum ſunt exigui ac pauciſſimi, nullum hoc eſt motivum quo nos permovere poſſint ut Romano Pontifici, ademta Conſcientiæ Libertate, nos iterum ſubjiciamus. δ. Si denique errores noſtri non ſunt fundamentales, & ſi Articuli inter Pontificios & nos controverſi non ſunt de neceſſariorum ordine, cur nos propter Religionem tanto proſequuntur odio, cur vi, ferro, flamma nos extinguunt, an juſtam nos occidendi habent cauſſam propter diſſenſum minime fundamentalem leviſſimique momenti, cur nos non potius tolerant donec ad ſaniorem redeamus mentem ?

§. CCCCLXXX.

Dicunt conveniendum nobiscum eſſe de Fidei Principio, neque ullas admittendas eſſe conſequentias aut ſyllogismos, ſolam ſcriptam Litteram, ſive terminos S. Scripturæ expreſſos, ex quibus omnis contra Pontificios inſtituenda ſit demonſtratio.

§. CCCCLXXXI.

Si hoc modo nobiſcum Pontificii Doctores diſpu-

disputare velint, nobis perinde est, ad stabiliendam enim veritatem aliquam utimur ipsis Scripturæ verbis, sed ut idem Adversarii in Dogmatum suorum probatione faciant eodem ab ipsis jure petere possumus. Probent itaque totidem Scripturæ verbis, dari Christi in Terra Vicarium, eum Romæ sedem suam habere debere; Romanum Pontificem Petri successorem esse. Probent dari Sacrificium missaticum; Dari post hanc vitam purgatorium ignem &c.

§. CCCCLXXXII.

Objiciunt, competere Romanæ Ecclesiæ jus præscriptionis, indeque fluentis legitimæ possessionis, quæ dum à Protestantibus turbetur, hujus præsumtionis reddere teneantur causas.

§. CCCCLXXXIII.

Sed Jus præscriptionis, in rebus Religionem spectantibus veritatesque cujuscunque generis illæ sint, valere non posse, alibi suo loco ostendimus. Alias nimirum error in multis veritati prævaleret.

§. CCCCLXXXIV.

Addunt denique indicandum à Protestantibus esse præcisum tempus, quando in singulis partibus Religionisque Articulis factæ sint mutationes? Quandonam nati sint in Romana Ecclesia hi vel illi errores, de Romanæ Ecclesiæ infallibilitate, de corporali Christi in S. Cœna præsentia, de imaginum cultu &c.? Quod nisi facere possimus, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime credi.

Hisce

§. CCCCLXXXV.

Hisce vero partibus nostris abunde satisfecerunt SPANHEMIUS atque BASNAGIUS aliique.

§. CCCCLXXXVI.

Nunc progrediendum nobis esset ab objectionibus generalibus ad speciales. Illæ vero tam parvi momenti sunt ut ipsimet Doctores Pontificii posteriores, si nobiscum disputare volunt, iis non amplius utantur; vident enim, quod si ex S. Litteris decidendæ sint controversiæ, de re sua actum esse.

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

* * * \

§. IV.

Alii vero, hoc externum evitare volentes, in alterum incidunt ; dum omnia externa Salutem operandi media, actiones & cærimonias rejiciunt, aut saltem non multum curant & contemnunt; veramque Religionem *internam* tantum, in motibus & actibus internis consistere perhibent.

§. V.

In hoc jam olim errabant *Mystici*, dum ita urgebant statum internum, ut omnia vel media salutis externa, vel fidei fructus externos, non attenderent, & externa Religionis officia contemnerent.

§. VI.

Tales præcipue inde à Reformationis tempore extiterunt, qui nontantum Doctrinam & Cultum externum emendandum voluerunt, sed omnem illum Ecclesiæ & Religionis apparatum externum plane abrogandum ; nec solum in rebus fidei Autoritate humana & traditionibus non standum, sed ipsum Dei Verbum, ut medium salutis externum, parvi facientes, motus & inspirationes Dei internas crepabant, à quibus pendendum sit; unde *Fanaticismus & Enthusiasmus ortum suum duxit.*

§. VII.

Hos autem, ut & *Tremulos* aliosque communi, propter Doctrinæ convenientiam, *Fanaticorum* nomine in hoc capite comprehendimus.

§. VIII.

Illis vero nomen tale datur quod à Gentilium templis sive Fanis derivatur. Sacerdotes nimirum

mirum, qui muneribus in illis obeundis vacabant, dicebantur *Fanatici*; solebant autem hi subinde colloquium cum Diis confingere ut Dictis suis apud Populum eo majorem fidem facerent.

§. IX.

Eam ob causſam ut Plebs fictitiis hisce divinis commerciis fidem non denegaret, motus prodere solebant extraordinarios, quasi in ecstasin rapti essent.

§. X.

Propter internas tales, quas hodiernis temporibus nonnullæ sectæ sibi tribuunt, Revelationes, atque motum membrorum furibundum quasi, ad imitationem illorum Gentilium Sacerdotum, etiam *Fanatici* talium Sectarum Asseclæ nominari solent.

§. XI.

Cum hoc nomen nunquam in bonam sumatur partem, dum insaniæ notam indicet, adeoque non facile alicui imponendum sit, tamen sensu latiori quilibet ita appellari potest, qui præter & extra Rationem & veram Dei Revelationem aliquid profert. Qui ergo extraordinariam Revelationem divinam mentiuntur, eamque insanis gestibus proferunt, non habent cur conquerantur, si nomine *Fanatici* insigniantur.

§. XII.

Enthusiastæ vero nomen suum à voce græca ἔνθεος contracte ἐνθὲς habent; Unde ἐνθυσιάζειν & inde ἐνθυσιασμὸς: significant hæc vocabula aliquem in quo Deus est; sive extraordinariam in homine Dei præsentiam. Adeoque *Enthusiasta* is

est, qui extraordinariam Dei Revelationem & θεοπνευσιαν jactat, & vehementiores Phantasiæ motus & imaginationis vires pro immediatis Spiritus S. commotionibus & inspirationibus habet, easque fidei suæ principium & vitæ normam agnoscit.

Vox hæc cum significationis sit amplissimæ, hinc nonnulli distinguunt inter *Enthusiasmum verum*, qualem Prophetæ & Apostoli habuerunt, & *falsum* sive *fictum*, qualis Enthusiastarum sit; nunquam tamen Viri θεοπνευστοι ita appellantur, nec Enthusiasmus ipsis tribuitur.

§. XIII.

Cum Natura vero ipsa Fanaticismi & Enthusiasmi pugnat, ut illorum Doctrina in Systema aliquod redigatur & connectatur.

Hypothesis Primaria.

§. XIV.

Omnium illorum, quos sub *Fanaticorum* nomine hic comprehendimus, πρῶτον ψεῦδος hoc esse videtur: quod statuunt, *Lumen quoddam internum & divinum esse unicum & perfectum principium cognoscendi omnia ea, quæ ad salutem peccatori sunt necessaria, illudque vel esse cuivis homini connatum, sive per immediatam Revelationem in illo accendi.*

Studio hanc distinctionem facio, in sequentibus enim videbimus, nonnullos ex Fanaticis prius, alios vero posterius assumere.

§. XV.

Cum varia dentur Fanaticorum genera, & varii Sectæ illius Duces, qui in nonnullis discrepant,

pant, hinc de præcipuis etiam hujus hæreseos Sectis seperatim nobis dicendum est.

De Quackeris.

§. XVI.

QUACKERI ex Anglia ortum suum ducunt, aliis; JACOBUM NAYLORIUM, aliis vero GEORGIUM FOXIUM, sectæ hujus ducem habentibus.

§. XVII.

Nomen vero, quo illorum Asseclæ insigniuntur, *Tremulum* denotat; cujus denominationis caussa hæc est; quod dum in Ecclesiis sive conventibus suis, dum reliqui omnes in silentio & quiete meditantur, aut Hymnum aliquem sacrum canunt; unus vel alter incipit, quasi spiritu correptus esset, sese in medium projicere motibus & tremoribus corporis membrorum aspectu horrendis; quo tremore finito, interruptis verborum sonis, putatitia vel fictitia Spiritus S. effata pronuntiant.

§. XVIII.

Miram hanc corporis agitationem ipsi oriri dicunt ex luce maximo cum fulgore in ipsis accenso, & talem in modum radiante, ut homo illam immotus perferre nequaquam possit.

§. XIX.

Unde vero talis tremor ortum suum ducat cum veritatis certitudine exacte definiri nequit; Diabolo illum adscribere velle nimis durum videtur.

§. XX.

Forsan pedetentim ejusmodi motibus assuescunt; ut præsentibus fidem faciant, agitationes has simulatas divinas esse; aspicientesque in stuporem rapiant, quo effatis & professioni suæ ceu divinæ assensum præbeant.

§. XXI.

Probabilitati tamen quam maxime accedere videtur, tremorem hunc derivandum esse à vehementiori Phantasia: Notum nimirum est, quantam vim apud nonnullos homines excitatior imaginatio habeat, apud eos præcipue qui melancholici temperamenti sunt; si deinde consuetudo & præparatio ad ejusmodi agitationes, nec non præjudicium ex hypothesi quadam accedat, facile concipitur, quomodo vehementes ejusmodi commotiones excitari queant.

Dogmata ex Hypothesi primaria deducta.

§. XXII.

Hi ex illis *Fanaticis* sunt, qui Lumen quoddam divinum, omnibus hominibus congenitum, rerum credendarum & agendarum principium faciunt (§. 14.).

§. XXIII.

Lumen hoc ut ipsam divinæ Essentiæ particulam homini in creatione inditam, ab anima ejusque facultatibus distinctam concipiunt; per peccatum vero illud fuisse obfuscatum perhibent, ut vim suam exercere nequeat, in piis vero sive rege-

regenitis iterum excitari, ut omnia per illud cognoscantur & revelentur.

§. XXIV.

Recte quidem sentirent, si per Lumen istud nihil aliud intelligerent, quam Conscientiæ Lumen in quolibet homine irregenito etiam accensum, quo se observationi Legis Naturæ & Religionis naturalis obstrictum sentit, & Rationis illuminationem divinam, per convictionem veritatum supernaturalium in Verbo divino contentarum.

§. XXV.

Nemo enim quamcunque profanus existit, qui non ad hæc obligatum se esse sentiat, dum Conscientiæ reliquiæ & Rationis principia etiam post lapsum superstint.

§. XXVI.

Et si accedat illuminatio Spiritus sancti in regenitis, per convictionem veritatum supernaturalium, homo scit omnia ad salutem cognitu necessaria.

§. XXVII.

In eo autem errant, quod α. illas Conscientiæ reliquias & Rationis Lumen divinæ Essentiæ particulam esse perhibent, & Spiritus S. Dona ut ipsius divinæ substantiæ communicationem concipiunt.

§. XXVIII.

Nec minus quod β. illud Conscientiæ Lumen & fictitiam divinæ particulam Essentiæ, omnium rerum ad Salutem cognoscendarum & faciendarum perfectum principium faciunt.

§. XXIX.

Ex hac autem præcipua hypotheſi reliqui omnes illorum fluunt errores. Inde enim eſt, quod ipſum Dei Verbum veram fidei normam parvi faciunt, & maximo cum contemtu de ipſo loquuntur, illud nonniſi *litteram mortuam* appellantes, qua illi ſolum indigeant, qui nondum ſunt regeniti, ad excitandum & vinculis liberandum congenitum illud Lumen, quo ſuſcitato nullo amplius medio externo & inſtructione opus ſit, dum per Lumen illud omnia cognoſcantur; quæ ad Salutem conſequendam neceſſaria ſunt.

§. XXX.

Cum ex hoc cognoſcendi principio de S. S. Trinitatis Myſterio nihil conſtet; hinc etiam confuſos de eo ſibi formant conceptus. Licet enim omnes tres divinitatis perſonas pro vero Deo agnoſcant, omnem tamen inter illas perſonalem diſtinctionem tollunt.

§. XXXI.

Et cum peccati magnitudo, & vera illius ratio, corruptionisque natura nonniſi ex divino Verbo recte agnoſcatur; Hinc ex eodem illo horum Fanaticorum falſo principio fluit, quod falſum ſibi de ſtatu miſeriæ humanæ & peccati in genere forment conceptum. Dum nimirum putant, *Lumen* illud *internum* divinæ ſubſtantiæ particulam eſſe, peccatum contra ut ſubſtantiam aliquam pravam concipiunt, quæ homini per lapſum à Satana fuerit indita, ita ut ſubſtantia illa divina in homine, licet peccatore, permanſerit etiam poſt lapſum, ſed per malam peccati ſubſtantiam obfuſcata & captivata ſit, ut amplius, niſi

nisi per regenerationem vincula ejus tollantur & tenebræ dispellantur, vires suas exerere nequeat.

§. XXXII.

Qui vero falsum sibi de peccato & hominis miseria format conceptum, etiam de modo liberationis & Liberatoris Persona non recte sentire potest; unde talem Christum sibi fingunt, qui duplex habuerit corpus, *Spirituale* nempe, quod ab initio Mundi habuerit, tale forsan quale Adami ante lapsum fuisse autumant, & *animale*, quale ex Maria assumserit, in quo passus sit.

§. XXXIII.

Finem autem incarnationis & passionis Christi duplicem fuisse dicunt, tum nimirum ut nobis exemplo suo ostenderet quomodo Lumen illud vinculis malæ substantiæ, quibus captivatum est, liberari & vires suas recuperare queat; tum ut vim nobis mereretur, qua ad plenarium Luminis illius usum reduci possimus.

§. XXXIV.

An vero tale Corpus animale B. Liberatoris sibi fingant, quod etiam mala illa substantia infectum fuerit, ut hoc modo Christus nobis exemplum præberet, quomodo pravitas illa substantialis & peccatum vincendum sit, quo Luminis illius usu perfrui possimus, ego definire nolo.

§. XXXV.

Et cum de Christi Satisfactione illiusque imputatione non recte sentiunt, hinc etiam de fide qua illam recipimus nihil docent.

§. XXXVI.

Cum Fides in Christum, tanquam unicam atque

que perfectissimam causam salutis, totius negotii salutis formam atque centrum constituat; hinc qui de illa nihil aut perverse docet, simul de toto gratiæ negotio perverse sentiat oportet.

§. XXXVII.

Propterea etiam illi, de quibus agimus, hæretici, totum Dei circa hominis Salutem negotium, quantum in illis est, pervertunt, totamque illam Doctrinam hypothesi suæ accommodant. Requirunt autem ad hominis Salutem regenerationem, qua fit ut Lumen illud internum, tenebrarum vinculis hactenus quasi captum, liberetur, ut vires suas exserere incipiat, & ita perrumpat ut totus homo illo collustretur atque hoc modo sanctus fiat.

§. XXXVIII.

Inde fit ut vel minimos conscientiæ motus in se excitatos pro immediata Essentiæ divinæ in ipsis inhabitantis operatione habeant. Et hoc cum existimant, facile sibi persuadent, quemlibet etiam affectum per ejusmodi conscientiæ motum excitatum immediatum substantiæ divinæ opus esse. Qui affectus, ejusmodi persuasione magis magisque roboratur ut semper vehementior fiat, donec sufficit ad motus ejusmodi corporis excitandos quos propterea etiam pro divinis habent.

§. XXXIX.

Et cum Deus ipse in hominibus habitet, illiusque Lumine homines ita collustrentur, ut toti lux fiant, adeoque regeneratis summum acquirat gradum; hinc etiam fluit opinio de Ecclesia in hac terra perfecte sancta & pura.

Neque

§. XL.

Neque propterea Mediis Gratiæ externis opus habent ; Unde non tantum Verbi divini in hoc ſtatu uſum rejiciunt , ſed de Sacramentis etiam contemtim loquuntur.

§. XLI.

Sed nec Magiſtratu opus eſt , ſi homines, tali Eſſentia divina perfuſi , eum perfectionis gradum conſequuti ſunt , qualem ipſi Cœlicolæ poſſident : Unde Fanatici Principibus honorem debitum deferre recuſant.

§. XLII.

Inde etiam fit, ut hujusmodi homines , propriæ perfectionis typho inflati , omnes alios alto ſpernant ſupercilio.

Anthonia Bourignon & Petrus Poiretus.

§. XLIII.

In *Fanaticorum* claſſem quoque referendi ſunt omnes qui *Joriſtarum* , *Familiſtarum & Labadiſtarum* nomine veniunt.

§. XLIV.

Et præcipue famoſa illa ANTHONIA BOURIGNON , quæ cum præcipuos errores cum reliquis Fanaticis communes habuit , tum alios ex proprio ſuo confinxit ingenio ; Ad priorem claſſem pertinet primaria illa Fanaticorum hypotheſis , de *Lumine interno* ; de omnium externorum Salutis Mediorum , Verbi divini nec non Sacra-

mentorum inutilitate ; de sufficientibus animæ ad bonum viribus ; de duplici Christi corpore animali & spirituali, aliisque pluribus.

§. XLV.

Ad posteriorem classem refertur, quod docuit de corpore Adami Crystallino pellucido ; de statu integritatis ejus statui cœlesti simillimo ; de lapsu Adami per somnum ; de caussa creationis Evæ ad ulteriori lapsui medendum ; de conjugio, quod cum statu maximæ perfectionis subsistere nequeat.

§. XLVI.

Præcipuus illius Assecla fuit Vir acutissimus, PETRUS POIRETUS, tum mala tum bona fama celeberrimus. Qui duo opera, *alterum* comprehendens *Cogitationes de Deo anima & malo*, alterum *Oeconomiam divinam* sive Systema Theologiæ suæ, ordine & connexione elegantissima conscripta, edidit.

§. XLVII.

Id autem in Oeconomia sua divina egisse videtur, ut *Mysticorum* & *Fanaticorum* placita in Systema redigeret, & ex principiis quibusdam explicaret.

§. XLVIII.

Primaria vero *hypothesis* hæc est, *quod Lumen aliquod internum salvificum statuit, quod in cognitione, sensitiva magis quam ideali consistat.* Idealem cognitionem tanquam viam considerat per quam homo ad sensitivam pervenire possit.

§. XLIX.

Hanc ob caussam tres in hominis mente distinguit facultates, nempe *Facultatem immensam*

Lumen

Lumen divinum recipiendi, quæ facultas ita illuminatur ut passive tantum se habeat, & Lumen illud splendere sentiat, ita ut Lumen illud in mente hominis aliquid peculiare sit sic lucens, ut anima illud passive accipiat. *Alteram* mentis facultatem dicit esse *Desiderium immensum*. *Tertiam* vero *immensam Acquiescentiam*.

§. L.

Quid vero per Lumen illud internum per quod sensualem acquirimus cognitionem intelligat, non ubique eodem modo sese explicat. Licet enim subinde per id immediatam Spiritus S. in anima hominis operationem indicare videatur, tamen de eo ita loquitur, ut illum cum Fanaticis in hac re feciſſe nulli dubitemus, dum asserit illud natura omnibus hominibus congenitum, ab anima distinctam substantiam esse, existentiam vero ipsius, tum experientia, tum exemplis ipsorum Gentilium, tum S. Scripturæ testimonio constare contendit; quod præcipue videre est ex Libro ejus adversus principia LOCKII scripto.

§. LI.

Huicce hypothesi substruit distinctionem inter *Intellectum passivum & activum*; *Priorem* ut præcipuam animæ facultatem considerat, per quam solam homo ad veram sapientiam atque illuminationem pervenire possit, dum lux interne, in intellectu passive se habente, accendatur. *Activum* vero ut solidæ eruditioni nocivum & cognitionem tantum idealem formantem plane rejicit.

§. LII.

Si nunc inquirere volumus, undenam factum

sit

sit ut Vir hic perspicacissimus in ejusmodi inciderit opiniones? videtur ipsum sensum ejusmodi Lucis in se habuisse, ortum ex reliquiis Conscientiæ, post lapsum residuis; quæ per varias meditationes S. Scripturæ lectionem, & ipsam Spiritus S. operationem excitantur.

§. LIII.

Hoc internum Lumen à cognitione ideali POIRETUS ita distinxisse videtur, ut per idealem intelligat mere theoreticam, quæ per varia Ratiocinia ex principiis Rationis deducta adquiritur. Per alteram vero, quam sensualem appellat, sensum Conscientiæ cum affectu animi conjunctum, unde *cognitio practica* oritur.

§. LIV.

Quod vero cognitionem hancce & conscientiæ sensum consideraverit ut Lumen aliquod divinum, extrinsecus illabens, & in mente accensum, id à Mysticis quos legit, & cum quibus conversabatur, habuisse videtur.

§. LV.

Quænam vero de S. Scripturæ usu & necessitate mens ipsi fuerit, satis accurate definiri nequit, cum enim Lumen illud vere divinum statuerit, in eo errore fuisse videtur, quod Lumen internum sufficiat homini ad Salutem consequendam & cognoscendam.

§. LVI.

Falso quidem se accusari protestatus est, quod scriptum Dei Verbum parvi faciat, & absque illo sufficientem ad Salutem consequendam cogni-

cognitionem per solum Lumen internum accensam statuat; dum *in Vindiciis Veritatis & innocentiæ, adcusationibus JEGERI oppositis*, Lib. I. Cap. IV. pag. 209. dicit: Se S. Scripturam pro unico Theologiæ principio habere, *solam*, deinceps inquit, *& unam Scripturam S. habui, habeo & gratificante Deo habebo, quamdiu vivam, pro uno & solo Theologiæ Christianæ & rerum ad Salutem credendarum principio: ita ut si quid ei non concordet, aut ei adversetur, quocunque id veniat nomine verbi interni, alloquii immediati &c. id plane non sit audiendum, nedum pro dogmate Christianæ fidei admittendum.*

§. LVII.

Alibi tamen passim asserit, homines etiam per solum Verbum internum illuminari & ad Salutem perduci posse; licet de externo nihil sciant, & inter alia plura loca, Lib. III. *Oecon. divinæ* Cap. VII. §. 12. Tomi I. scribit: *Si à Creaturis aversus veritatem in centro animæ lucentem consulet, ad Deum utique Salutemque æternam ducetur, verusque fiet Christianus; licet forte litteram Evangelii ignoret; eo quod lumen in corde ejus lucens, sit ipse Spiritus Jesu Christi, cujus efficacia, vita moresque Christi in ipso formabuntur Christusque in eo nascetur.*

§. LVIII.

Inde non poterat non *Religionum Indifferentismus* oriri. Dum enim omnes homines, etiam Evangelium ignorantes, intrinsecum Religionis Salutaris principium habent, illud in omnibus Religionibus salvum maneat oportet; unde POIRETUS docebat, externam Religionum differentiam nullius momenti esse, si modo pium & bonum cor adsit. Pietatem autem in accensione luminis

Luminis interni in Intellectu passive se habente consistere ajebat.

§. LIX.

Unde etiam ex principiis suis, in *Irenico* suo quod scripsit *Universali*, omnes Christianas Religiones manentibus licet dogmatibus cuivis peculiaribus unire studuit. In hoc quidem recte judicabat, quod amori divino & abnegationi propriæ magis quam controversiis Theologicis studendum sit.

§. LX.

Ex hac vero, de intrinseco Religionis principio, falsa hypothesi non potuerunt non multi alii oriri errores, cum enim Lumen illud divinum menti nostræ illapsum hominibus sufficere possit ad omnia ea cognoscenda quæ ad Salutem necessaria sunt. (§. 57.), Scripturæ tamen Sacræ nihilominus Veritas sua constet (§. 58.), hinc omnia in ea contenta ita comparata sint oportet, ut ex principiis illis interni Luminis constare queant. Proximum vero est ut etiam Mysterium S. S. Trinitatis per Lumen illud cognoscibile sit.

§. LXI.

Unde POIRETUS etiam Mysterium illud ex ratione, nempe Lumine illo interno, constare asserit; imo illud in *Cogitationibus suis de Deo anima & malo* triplici argumento demonstrare satagit. Deum Triunum definit per *Cogitationem meram* (quæ est Pater) *sui repræsentativam & immenso erga semetipsam desiderio repleta* (qui agendi modus est Filius) *in seipsa acquiescens*, & propter considerationem propriæ perfectionis *lætans* (per quod Spiritum S. intelligit).

Ut

§. LXII.

Ut autem res clarior fiat, quod homo Deum Triunum ex se cognoscere possit, distinctionem trium in Essentia divina Personarum cum tribus quas in mente hominis concipit facultatibus comparat; ut Patrem consideret tanquam *facultatem immensam* Lumen divinum recipiendi, Filium ut *desiderium immensum*, Spiritum S. autem ut *acquiescentiam immensam.*

§. LXIII.

Si explicationem hancce justo perpendimus judicio, illa cum Sabellii errore admodum congruit, siquidem ita concipiuntur non tres Personæ attributis personalibus à seinvicem distinctæ, sed tantum tres cogitandi modi, inter quos nullum percipitur discrimen, nisi per abstractionem mentalem, quapropter Doctrina hæc cum S. Scriptura minime convenit.

§. XLIV.

Huic de Lumine interno aliam porro sententiam Fanaticam substruit, de animæ nimirum hominis creatione ejusque natura; dum asserit: Illam non cum cæteris Creaturis ex nihilo, sed per emanationem quasi ex ipsa Dei Essentia fuisse productam. Quod hisce verbis pronuntiat Oecon. Div. Tom. I. Lib. I. Cap. X. §. 15. *Deus existentiam animæ actualem & homini propriam non simpliciter ex nihilo extraxit; aut simpliciter creavit, sed divinitus veluti enixus fuit.*

§. LXV.

Idque vero tantum de prima anima, Adami scilicet, intelligi vult; reliquas vero animas ex ani-

animabus parentum per traducem propagari, ut mediatam tantum originem ex Essentia Dei habeant.

§. LXVI.

Neque hypothesi suæ conformiter, animam immediatum cum Deo commercium habere posse existimat, neque Deum in illa habitare: neque illa in Deum ingredi posset, nisi esset divinæ particula auræ. Vide Oecon. Div. Tom. I. Lib. I. Cap. X. §. 3. & 6.

§. LXVII.

Et cum Lumen illud hominis internum ut divinum quid consideraret, imo ipsum Deum ut Lumen aliquod conciperet, animam vero ut Essentiæ divinæ particulam ex illa productam fingeret; hinc Lumen illud, immediate ex Deo enixum, nunquam majorem habere potuit fulgorem quam antequam peccati vinculis captivatum & quasi incrustatum fuit; unde in hanc quoque incidit sententiam, quod etiam ipsum Adami Corpus ante lapsum totum fuerit luminosum & transparens. Oecon. Lib. I. Cap. XXII. §. 11. Tom. I. & §. 13. asserit, illud fuisse fortius & agilius igne, soleque ipso luminosius.

§. LXVIII.

Ex eadem sua hypothesi Imaginem divinam, secundum quam homo creatus fuit, ita concipit, ut homo repræsentaverit imaginem eorum, quæ in luminosa atque beata Divinitatis natura sunt Essentialia; adeo ut præter Divinitatem puram idea nulla, nullum Lumen, nullæ perceptiones aliæ, ibidem inveniantur. Vide Oecon. Div. Tom. I. Lib. I. Cap. XX. §. 3. seqq.

Lapsum

§. LXIX.

Lapsum vero eodem quo Virgo illa *de* BOURIGNON concipiebat modo ; Nempe quod Adamus facultatibus animæ inferioribus uti, rebusque corporalibus delectari incœperit, deliquium propterea aliquod ipsum passum fuisse, quod sit origo somni, qui in creatione primitiva nusquam fuerit. Ne autem cor ipsius creaturis plane occuparetur, Deum in hoc somno fœminam creasse & veluti extractum totius corporis sui ab eo separasse.

§. LXX.

Ex *primaria* porro, quam ostendimus, *hypothesi* tota quoque de Oeconomia Gratiæ & Negotio Salutis Doctrina derivanda est. Omnia enim ibi ad Lumen illud divinum in homine accensum referuntur ; *Fidem* nimirum quod attinet, ipsa ab illo non consideratur ut desiderium & apprehensio meriti Jesu Christi, sed satisfactione præterita illam refert ad deditionem trium animæ facultatum Deo : Illamque definit, quod sit *deditio desiderii Spiritus Cordis & Libertatis nostræ, soli Deo confidenter & vere facta*, cui deditioni inseparabiliter cohæreat intima præsentia Dei, desiderium animantis, intellectum illuminantis, cor pacificantis, omnesque animæ motiones formantis atque dirigentis, Oecon. Div. Tom. II. Lib. V. Cap. IV. §. 66.

§. LXXI.

Pro triplici etiam, quam animæ tribuit, facultate, tria quoque fidei genera distinguit, *Fidem* scil. *desiderii*, *conversionis fontem*, *Fidem Luminis*, *purificationis caussam*, & *Fidem acquiescentiæ*, ex

qua *Justificatio* oriatur. Ex omnibus tribus autem simul oriri *Regenerationem* asserit.

§. LXXII.

Ex illa hypothesi totam de Justificatione Doctrinam pervertit, illam non considerans ut absolutionem Dei, ut summi Judicis, propter imputationem plenariæ Jesu Christi satisfactionis; sed illam concipit ut plenariam hominis renovationem atque inhærentem Justitiam, quam si Deus observet, illum homini declarare, nihil amplius illi inesse, quod ipsi displiceat, quod non justum sit atque rectum.

§. LXXIII.

Regenerationem autem considerat, ut eum hominis statum, in quo ab omnibus desideriis peccaminosis liber est; Unde asserit, certissimum esse, in corde regenerati concupiscentiam nullam amplius supereſſe; neque ullum desiderium pravum ex fundo ipsius pronasci; intimos ejus recessus, proclivitates, inclinationes & affectiones in pacem cum Deo rediisse in vitæ jam fontem transformata, nihil denique mali in corde ejus debellandum restare. Oecon. Div. Lib. V. Cap. IX. §. 28. Tom. II.

§. LXXIV.

Et cum tota hominis restauratio, interno illi lumini ortum suum debeat, quod luminis Dei Essentialis particula existens Intellectum passive se habentem totum colluſtrat, atque hoc modo Deus ipse in illis præsens fiat, adeoque POIRETUS Fidem, Justificationem & Regenerationem absque merito Christi & sine ullo ad illud respectu

ctu concipiat ; hinc etiam tota de muneribus Christi Doctrina ipsi pervertenda fuit.

§. LXXV.

Totum propterea de satisfactionis Jesu Christi imputatione dogma inficiatur, dicens impossibile omnino esse, ut pœna peccati per surrogationem, aut substitutionem alterius, non dico meritoriam, aut intercessoriam ; sed exemtoriam, qua alius pro peccatore supponi debeat, aboleatur. Hoc est; fieri nulla ratione potest, ut peccator à peccati pœna ita absolvatur, ut alius pro alio, cui illa infligenda erat, sese offerat, ac peccatore pœnæ ejus necessitatem in illum transferente, eam alter, peccatore ipso exemto, in se suscipiat. Tom. I. Oecon. Div. Lib. III. Cap. IV. §. 16.

§. LXXVI.

Multa tamen acutissimus Vir hic de Christi pro hominibus satisfactione loquitur, qua tantum acquisiverit quantum opus erat, ut homo Peccatorum suorum remissionem à Deo impetrare posset. Præcipuam vero ejus partem intercessionem Christi apud Deum esse putat, ut enim per Omnipotentiam suam atque Bonitatem hominem meliori restitueret statui, quam ille erat, in quo primitus creatus fuit. Unde dicit : Filium Dei magnam Fratrum suorum cladem, hoc est, totius generis humani, doluisse ; unde per ardentissimam caritatis suæ magnitudinem, Majestatem Patris, peccatoris prævaricatione læsam, supplex oraverit ut omnipotentem Bonitatem suam in hominem efficacissime ac largius, atque in creatione fecerat, refunderet. Oecon. Div. Tom. I. Lib. III. Cap. V. §. 10.

§. LXXVII.

Negata vera satisfactionis ratione etiam alia passionis Christi caussa indicanda fuit, illamque potius tanquam exemplum, quod nobis Christus dederit considerat; qua ratione scilicet carnis concupiscentiæ compescendæ sint, quibus Christus tamdiu restiterit, donec post perpessos infernales terrores victor evaserit: *Atqui*, inquit, *videmus illum inclinationibus, quibus naturam suam infirmam eo abripi sentiebat, restitisse; contraria autem elegisse: contra voluntatem carnis ita fortiter pugnasse, ut Sanguinem pariter ac aquam sudaverit, ac immanissimis quibusque incommoditatibus, quas Caro abhorret, imo ipsi morti Carnis sese exposuerit, videlicet ut nos eadem similiter in nos transferremus.* Oecon. Div. Tom. I. Lib. III. Cap. XVII.

§. LXXVIII.

Hoc autem modo ut Christus exemplo nobis esse, & talis passionum ejus ratio indicari possset, etiam dogma de humana ejus natura secundum hypothesin hancce inflectendum fuit. Præter enim corpus Christi, corpori Adami pellucido persimile, quod jam ante hominis lapsum assumserit, eum in finem ut Deus modo visibili cum homine familiare commercium habere possit, aliud adhuc ex Maria corpus assumsisse perhibet, nostro per omnia simile, non corporalibus tantum, sed & spiritualibus subjectum infirmitatibus, ad peccatum propterea incitatum, nunquam tamen ab illis victum, cum fortissime sese iis opposuerit. *Sunt*, inquit, *qui volunt, Christum tentationes nullas, nullasque inclinationes naturæ corruptæ habuisse, forte ut ipsi ab ejus imitatione excusari*

cusari possint, quandoquidem conditio eorum cum conditione illius in comparatione conjungi nequeat. Verum illi eum ita penitus ignorant : quippe qui unus plures habuit, quam cæteri omnes, easque longe violentissimas & principales ; sine ullo tamen peccato, immo non sine virtute ac meritis. Oecon. Lib. IV. Tom. II. Cap. II. §. 3.

§. LXXIX.

Reliqua, quæ cum Virgine de BOURIGNON communia habuit, dogmata, brevitatis gratia omittimus, de animarum post mortem purificatione, Regno Millenario &c. quæ ipsa ex divina se habuisse revelatione professa est.

Valentinus Weigelius.

§. LXXX.

In eandem cum *Fanaticis* Classem referendus etiam est VALENTINUS WEIGELIUS, quia nontantum Doctrinam de *Lumine interno*, sed & alia pleraque placita cum ipsis habuit communia; omnia vero ipsius dogmata non cohærent, quod Fanaticis etiam vulgare est.

§. LXXXI.

Cum omnibus hominibus connatum quoddam *Lumen internum* statuebat, quod ceu rerum cognoscendarum & faciendarum principium considerabat; hinc distinxit nontantum inter *Verbum externum* & *internum*, sed & Sacræ Scripturæ Autoritatem elevabat, vimque ejus enervabat : asserens, neque Scriptores Sacros ab erroribus fuisse immunes; unde non S. Scriptura certa fidei norma esse queat, multa etiam in illa esse dubia,

multa incerta, multa imperfecta, neque aliter illam quam litteram mortuam esse considerandam, ad veram Dei cognitionem consequendam & æternæ salutis recuperationem parum utilem.

§. LXXXII.

A Sacra autem Scriptura, ut unico fidei principio recedens, mirum non est, si res miras de Deo docuit, cum Pseudomysticis enim Deum concipiebat ut omnium creaturarum Essentiam; quæ hypothesis fluebat ex opinione de omnium rerum effluxu ex Deo, tanquam caussa emanativa, & omnium creaturarum ad Essentiam Dei reductione.

§. LXXXIII.

Similiter etiam eandem ob caussam de S. S. Trinitate multa cum S. Scriptura non conformia imo absurda etiam docebat. *Filii* nimirum *generationem* ut *emanationem* quandam ex Dei Essentia concipiebat. Unde asserebat, Patrem Filio majorem esse, ab ipso per Evam quandam cœlestem & spiritualem genitum, quæ ipsa etiam ex Deo emanavit. Vide ipsius *Postillam* Part. II. pag. 286.

§. LXXXIV.

Pari etiam modo Creationem ut emanationem ex Essentia divina concipit, ut omnes Creaturæ Essentiæ divinæ emanatio sint. *Deus, enim*, inquit, *nihil creat nisi quod ipse est: etiam nihil aliud efficit nisi quod ipsemet est, hoc est omnes res, cum ipse sit omnes res*, in Lib. cui titulus est *Tabernaculum Mosis.*

§. LXXXV.

De Negotio Salutis cum aliis Fanaticis in pluri-

plurimis consentiebat, nempe Christum duplex habere corpus, cœleste & terrestre, quod posterius ex Maria assumserit. *Postilla* Part. I. p. 214. Ipsam vero Mariam corpus suum ex cœlo immediate à Deo productum habuisse asserebat.

§. LXXXVI

De statu atque officio Christi multa docet contradictoria, ut & de ipsius satisfactione, plurima tamen eo tendunt: Christum passionibus suis exemplum dedisse, qua ratione caro per Lumen illud æternum vincenda & homo ad Dei communionem sive unionem reducendus sit.

§. LXXXVII.

Regenerationem vero talem sibi imaginatus est, qua homo novum quoddam atque cœleste Corpus ex ipsa Carne Christi natum accipiat, adeoque duplex habeat Corpus, terrestre alterum atque mortale, alterum autem cœleste & immortale.

§. LXXXVIII.

Fides vero, ex ipsius mente, est vel ipsa Filii Dei in homine inhabitatio, talis qualis fuit habitatio ejus in Christo homine & quidem Christus in omnibus regenitis ita habitat, ut caussa sit omnium actionum & operationum eorum: vel etiam fidem considerat ut obedientiam in imitatione Jesu Christi consistentem, quæ nec lectione nec auditione Verbi divini obtinetur, nec alio quodam medio externo, sed tamdiu expectandum donec Christus interne sese revelet.

§. LXXXIX.

In justificatione vero justitiæ Christi imputatio-

tationem plane rejicit, illamque cum reliquis Fanaticis cum Regeneratione atque Sanctificatione confundit.

§. XC.

Sanctificationem vero ad eum usque gradum progredi putat in hac vita, ut Regenitus legem exactissime servare possit; imo tam perfectum fieri posse quemvis Regenitum ac ipse Christus fuit. *In Dialogo* ejus de *Christianismo.* Cap. VI. p. 76.

§. XCI.

Uti omnium Mediorum externorum usum rejiciebat, ita etiam Sacramentorum usum summopere contemnebat. Quisquis enim essentialiter cum Deo aut Christo ita unitus est, ut Deus ipse subjective omnia in eo operetur, is omnino externis Mediis haudquaquam opus habet.

§. XCII.

Eandem etiam ob causam Ministerium Ecclesiasticum rejiciebat, neque quenquam munere concionatoris fungi posse asserebat, nisi à Deo ipso immediate vocatus & ab ipso edoctus sit.

§. XCIII.

Ex hypothesi etiam sua omnia Ecclesiæ externa criteria nullius momenti esse statuebat; interna autem illa esse atque in Amore consistere perhibebat, quos errores WEIGELIUS ex lectione DIONYSII AREOPAGITÆ, THEOPHRASTI PARACELSI, aliorumque Pseudo-Mysticorum Libris hausisse videtur.

Poea-

Boehmius.

§. XCIV.

Vix quisquam ex Fanaticis extitit, qui majorem famam consecutus est; quam Sutor ille Goerlicensis JACOBUS BOEHMIUS: homo quidem illitteratus profundæ tamen uti videtur Meditationis, qui vitæ etiam pietate haud parvam laudem sibi acquisivit.

§. XCV.

Bonam intentionem vir hic in placitis suis habuisse videtur, atque in Scriptis quibusdam multa egregia docuit uti in libellis *de via ad Christum*, *de vera Resipiscentia* aliisque.

§. XCVI.

At verum cognitionis salutaris nostræ principium deserebat magisque THEOPHRASTI PARACELSI placita in multis Scriptis suis propriamque imaginationem sequebatur, temperamenti enim melancholici fuisse fertur.

§. XCVII.

Accedebat insuper persuasio, ex luxuriante imaginatione oriens, de immediatis divinis Revelationibus, atque Lumine interno omnibus hominibus congenito, rerum ad Salutem cognoscendarum Principio.

§. XCVIII.

Unde nontantum immediatas & extraordinarias Revelationes sibi factas fuisse gloriatur, sed & per visionem extraordinariam se ad scribendum primitus fuisse incitatum, mox vero pro-

hibitum novis revelationibus se impulsum fuisse asserit.

§. XCIX.

Per Lumen illud internum & Revelationes sibi notum fieri perhibuit, nontantum id quod sibi ad Salutem scitu necessarium esset, sed & quæ aliis ut fidei principium annuntiaret.

§. C.

Unde dicere solet se esse Librum, imo Biblia ipsa penes se habere; & quemvis qui Christi atque Spiritus ejus particeps factus sit, illa secum gerere. Scribit inter alia **In der Apologia an Tilken**, pag. 317. **Wann ich gleich kein ander Buch hätte, als nur mein Buch, daß ich selber bin, so habe ich Bücher genug. Ligt doch die ganze Bibel in mir. So ich Christi Reich habe, was dürffe ich mehr Bücher.**

§. CI.

Hinc non cum satis magna reverentia de S. Scriptura loquutus est, illam irregenitis solis atque infirmis utilem, perfecte autem illuminatis nullum plane præstare usum dicebat; imo illos Prophetis Apostolicisque Viris æquales esse credebat.

§. CII.

Ex hisce apparet, nullam ipsi fieri injuriam si Fanaticis etiam annumeretur.

§. CIII.

Cum ex recentioribus sit, Dogmata ipsius paululum distinctius exponenda erunt, libri enim ejus adhuc hodiedum multorum teruntur manibus.

Scrip-

§. CIV.

Scriptum primum, quod Anno 1612 edidit, est ejus *Aurora*, prohibitus autem à Senatu Gorlicensi à scriptorum suorum continuatione septem annos plura edere cessavit: postea vero novas gloriatus Revelationes reliqua exaravit opera, quæ Anno 1682 Amstelodami fuere collecta & recusa sub titulo; **Des gottseligen hocherleuchteten Jacob Boehmens**, *Teutonici Philosophi*, **alle Theosophische Wercke** ꝛc.

Errores.

§. CV.

Quæ α. de Deo docet, adeo perplexa sunt, ut multa vix intelligi possint; Illum considerat ut Essentiam *triplici* constantem *principio*, primum dicit esse *Originale*, *Fundamentale* & *Essentiale*, quod consistat in qualitate tenebrarum.

§. CVI.

Secundum autem consistit in *luce*. *Tertium* in ejus *effluxu* & *operatione*: **Die Ausgeburt aus der Finsternuß durch des Lichtes Krafft.** Hisce tribus principiis S. S. Trinitatem indicare velle BOEHMIUS videtur; quam ergo ex tenebris, luce & lucis operatione consistere censet.

§. CVII.

Principium primum in abstracto consideratum mali caussa existit, cum in eo consistant tenebræ & Regnum infernale, **die Qual der Finsterniß**, quæ dicit in Deo esse, sed tantum tanquam in principio primo, quod per se sine duobus aliis, non est Deus, sed tantum principium.

In

In hoc autem principio bonum & malum nondum sunt distincta, sed ipsi insunt tanquam radici, neque mala sunt actu secundo, sed tantum primo.

§. VIII.

Boni autem & mali distinctio demum fit, quando secundum Principium lucis vel accedit vel non accedit; si accedit, fit bonum, si non, fit malum; ut si primum Principium cum secundo non conjungatur sit malum, cum secundo vero conjunctum bonum est.

§. CIX.

Plus vero ex simplicitate quam malitia factum videtur, quod Ideas, notiones terminosque chymicos qualitatibus divinis applicaverit, quibus ideis ex frequenti PARACELSI lectione cerebrum ipsius refertum fuisse videtur, unde meras *qualitates* tribus hisce in Deo Principiis tribuit.

§. CX.

Qualitas *prima* est *quietis* & *compactionis*, in qua omnes impressiones & ideæ latent, tanquam in radice. *Secunda* est *Unitatis* illius divisio in plures Ideas, per quas in differentiales terminos distinguitur; ex illa continui resolutione oritur idearum illarum conflictus & ignei motus, qui bilis & amaritudinis fons est.

§. CXI.

Tertia qualitas consistit in collisione mutua idearum motu inordinato productarum, unde *comparationes*, *combinationes* & *rerum differentiæ* ortum suum habent.

Quarta

§. CXII.

Quarta qualitas consistit in *æquabili & ordinata idearum collisione*, quæ lux est ignis mitis & lucidus; si vero collisio illa sit inordinata, oritur ignis urens & destruens.

§. CXIII.

Qualitas *quinta* ex tertia oritur, ex idearum nempe collisione accedente igne, unde actus volendi oritur, qui, si collisio est ordinata & cum luce conjuncta, est suavis, gaudens, complacens; si vero illa sit inordinata & cum tenebris juncta, ille volendi actus est irascens, ingratus, odiosus.

§. CXIV.

Sexta qualitas ex secunda oritur accedente igne, qui actus est perceptio Idearum distinctarum. *Septima* denique qualitas ex prima ortum suum habet & est ipse actus intelligendi, in quo omnes qualitates circumferentiales in Centrum & Unitatis concordiam reducuntur.

§. CXV.

Ea quæ de creatione dicit nescio an potius cum Veterum Philosophorum placitis de omnium rerum ex Dei Essentia emanatione, an vero cum Spinosismo, an utrisque simul comparanda sint.

§. CXVI.

In genere enim ejus de hac re placita eo tendunt, quod omnia nontantum ex Deo emanaverint, sed quod Deus ipsemet sit natura, & mundus cum omnibus creaturis in eo comprehensis sit ipse Deus, ita enim in *Aurora* sua p. 8. de

de hac re loquitur, *So man die Sonne und Sternen recht will betrachten mit ihren wahren Würkungen und Qualitæten, ſo findet man recht darinnen das gœttliche Weſen, als daſs der Sternen Kræfte ſind die Natur:* & paucis intermiſſis aſſerit: *Man nennet Himmel und Erde, Sternen und Elemente, und alles was darinnen iſt, und alles was über allen Himmeln iſt, So nennt man hiemit den ganzen Gott, der ſich in dieſem oberzehlten Weſen creatürlich gemacht hat,* & pag. 200. *Der ganze Gott iſt ſelber Himmel, Erde, Sternen und Elemente.*

§. CXVII.

Uti hæc materialem planè de Deo conceptum produnt, ita ipſam creaturam ut Dei partem concipit.

§. CXVIII.

Creationem autem ita concipere videtur, ut fiat per ſeparationem vel ſeceſſionem partium, novo centro determinatarum, à ſeinvicem, ut tot fiant creaturæ diſtinctæ, quot centra nova facta ſint, quæ centra qualitatum influentias in novæ Eſſentiæ unitatem ita colligant, ut ne in qualitatem primam, quæ divinitatis & omnium rerum centrum eſt, influere poſſint.

§. CXIX.

Deum nempe ut extenſum aliquod materiale motu continuo ſeſe circa Centrum ſuum volvens conſiderat; quando autem novum aliquod Centrum in parte totius illius producitur, & portio aliqua à toto ſeparatur, & ad Centrum novum illud determinatur, tunc ſecundum BOEHMII mentem fit creatio: Ut non fiat per novæ rei productionem, ſed partis ſeparationem & ad novum Centrum determinationem. Ita

§. CXX.

Ita in generatione animalis cujusvis, Spiritus seu animæ particula à divinitate separatur, & in novum Centrum sive novam Essentiam integram colligitur & determinatur, adeo ut Creatura sit pars ipsius Essentiæ divinæ; per creationem vero hoc est secessionem ab illa divina Essentia peculiare suum accipit Centrum, & novum aliquod individuum constituit.

§. CXXI.

Non minus paradoxa sunt, quæ de Angelorum creatione eorumque lapsu docet; cum nempe Deus ex Essentia sua creaturas producere inciperet, tria etiam Angelorum Regna constituit, quibus tres majores Angelos præfecit, Michaëlem nempe, Luciferum atque Urielem.

§. CXXII.

Hæc autem Regna spatiis ampliſſimis circumscripta esse asserebat, quæ spatia ex ipsa Dei infinita commensuratione orta sint, Deus enim ipse infinitum spatium occupat, spatium vero Regni uniuscujusque majorum horum Angelorum magnitudine totum hunc mundum visibilem adæquat.

§. CXXIII.

Unumquodque vero horum Regnorum ita comparatum est, ut unum quasi vivum corpus constituat, in quo omnia membra à seinvicem separata ab uno vitali spiritu rationem unitatis Essentiæ suæ consequuntur.

§. CXXIV.

Ut, licet in unico horum Regnorum magnus

nus ſpirituum numerus ſit, tam arctum tamen inter ſe habent nexum atque harmoniam, ut omnis operatio vitalis à primo Angelo in cæteros fluat; unde fiat ut ſi primus Angelus deficiat, reliqui neceſſario etiam deficiant, uti Luciferi unius horum Regnorum Principis exemplo mox patebit, ut adeo in Regnis illis omnes operationes eodem, quo in corpore Organico ſive Mechanico, fiant modo.

§. CXXV.

Cum malum primo Principio inſit, non quidem actu ſecundo ſed primo, adeo ut potius ſit indifferens, nec per ſe vel bonum vel malum, ſed demum bonum vel malum fiat, quando lux vel accedit vel non accedit; hinc ex hac hypotheſi explicat quo modo Angelorum lapſus contigerit.

§. CXXVI.

Uni nempe ex Regnis Angelicis præfectus erat Lucifer, à cujus influxu reliquorum illius Regni Angelorum ſtatus dependebat; videbat autem ille ſe cum Regno ſuo non ejusdem ordinis, cujus principia ſunt ex quibus oriundus erat, ſed ſubordinatum tantum eſſe atque influxus pati.

§. CXXVII.

Centrum Eſſentiæ ſuæ propterea in primum principium ſuum retroagere ſtuduit, ut ejusdem cum principio ſuo ordinis fieret atque omnipotentia frueretur, lucis hanc ob cauſſam influxu privatus, ipſe cum regno ſuo in peſſimum ſtatum redactus eſt.

§. CXXVIII.

Et cum præcipue Angelus Michael ipſum præce-

præcederet, Regnum ipsius debellare & imperio ipsius potiri tentavit, à quo victus throno suo dejectus est. Inter alia in *Aurora* pag. 31. hac de re ita loquitur: *Lucifer ist ein grosses Theil der Gottheit gewesen, und dazu aus dem Kern, dann er hat sich auch an den Kern und Grossfürsten Michael gerieben, ihn zu verderben, welcher endlich mit ihm gestritten, und hat ihn überwunden, indem die Kraft Gottes in Lucifers Reiche auch heftig wider ihren Kœnig gestritten hat, bis er endlich von seinem Stuhl als ein Ueberwundener ist gestossen worden.*

§. CXXIX.

Reliqua de Creatione Doctrina non minus perplexa quam obscura est; rem hanc BOEHMIUS ita concipere videtur, ut Materia à medio Angelorum fuerit avulsa, cui Deus luce sua affulserit, & cum illa mixta massa extiterit ex qua Mundus hic fuerit conditus, adeo ut constet ex massa bona, sive luce, & malo hoc est, materia mixta; materia autem illa ex lapsu Luciferi per se fuit mala.

§. CXXX.

Ex terra autem media inter lucem & tenebras, bonum & malum, homo fuit conditus, triplici propterea constans spiritu, *tenebrarum* scilicet, *lucis* & *Mundi* hujus; Is autem creationis hominis finis fuit, ut per Spiritum lucis Mundi lucem in tenebris sepultam ab illis liberaret, hoc si homo feciſſet novus Angelorum Princeps in hoc Mundo fuisset atque Luciferi locum occupasset.

§. CXXXI.

Et homo ipse Angelus corpori non carnoso sed Spirituali atque lucido junctus, alios Ange-

los sibi similes generasset, neque cibo vel potu opus habuisset.

§. CXXXII.

Neque ipsa animalia & plantæ ex materia crassa fuere compositæ, sed spirituosæ fuerunt imagines atque rerum ideæ, per Spiritum Universalem ita formatæ; post hominis autem lapsum solidæ factæ.

§. CXXXIII.

Hominis vero lapsus ita contigit, ut homo instigante Lucifero contenderit retrogredi ad primum principium suum, quod bonum & malum erat; ex qua hypothesi esum de fructibus Arboris cognitionis boni & mali interpretatur; Hoc dum faceret homo omnium rerum faciem plane fuisse immutatam, ut omnia solida & frigida fuerint facta.

§. CXXXIV.

Ea autem BOEHMII mens fuisse videtur, ut per retrogressionem quandam in principium primum, materia lucida per tenebras iterum fuerit absorpta, ut ex corporibus lucidis facta fuerint corpora opaca, solida atque compacta.

§. CXXXV.

Negotium vero Redemtionis ita concipit, ut Deus lucem hominis lapsu expulsam, materiæ iterum restituere decreverit, proptereaque Filium Dei, qui lux est, cum proxima materiæ copula, hoc est, carne humana junxerit, ut hoc modo lucis imperium in Mundo iterum erigeret, Mundumque renovaret, itaque prius Lumen atque subtilitatem restitui contendit.

Unde

§. CXXXVI.

Unde tempore mortis Christi, conflictus fuerit inter lucem & tenebras, hoc cum effectu, ut tenebræ victæ, maximaque per hanc Victoriam in ipso Mundo materiali facta fuerit immutatio; unde totus Mundus cohorruerit factis terræ motibus, cœlorum obscuratione, &c.

§. CXXXVII.

Propter potestatem autem tenebrarum hucusque dominantem Sancti in carcere fuere detenti, virtute vero mortis Christi, tenebris victis, inde dimissi sunt, atque in Paradisum iterum intromissi.

§. CXXXVIII.

Ascensione vero Christi caro & sanguis ejus in Spiritum Dei fuere transmutata, quod factum fuit quia in corpore Christi tenebræ per lucem fuere victæ; cum enim ex BOEHMII hypothesi crassitas atque soliditas corporis à malo & peccato sit, hic cum malum & tenebræ per lucem victæ sunt, nec corpus Christi manere potuit crassum solidumque, sed spiriruale factum est.

§. CXXXIX.

Tali autem corpore ejus facto Christus ascendit in cœlum, in Luciferi locum substitutus, Rex & Princeps hujus mundi factus fuit, & ibi ad instar lucis hunc Mundum & omnia ejus corpora penetrat & hoc modo omnipræsens est, totique Mundo coëxistit, ipsa lux Mundi & omnium lucis in hoc Mundo generationum principium existens.

§. CXL.

Totum porro renovationis hominis negotium ita concipit, ut sit renovatio quædam corporis compacti atque solidioris, per lucis & corporis calidioris operationem.

§. CXLI.

Hoc vero fit ope Spiritus Christi; qui vim habens magneticam cum carne & sanguine Christi glorificati & spirituosi homines conservat, ut per communionem illam ejusdem cum Christo naturæ participes fiant. Ut ergo mutatio illa sit nontantum proprietatum sed & Essentiæ humanæ.

§. CXLII.

In iis quæ de fide loquitur, sacræ quidemScripturæ phrasibus utitur, at præterita mentione applicationis Satisfactionis Christi, illam potius ut obedientiam, qua ductum Patris & Filii sequimur, considerat atque hypothesibus suis conformiter explicat.

§. CXLIII.

Fidem enim considerat tanquam substantiam, quæ est immutatio in homine facta per influxum illum Spiritus, in quem corpusChristi mutatum est, & per quem in nos influit.

§. CXLIV.

Obedientia autem illa spiritualis, in qua fides consistit, ita comparata est, ut per illam carnem & mundana derelinquamus, ductum Patris & Filii sequentes; quo modo homo ad similitudinem exemplumque Vitæ Christi refingitur, aptusque redditur, ut subjectum passivum fiat, in quod Christus influat.

Duobus

§. CXLV.

Duobus propterea fides actibus absolvitur; *Alter* est aversio à carne & Mundo, qui hominem idoneum reddit & præparat ad influxum Spiritus Christi recipiendum ; *Alter* vero consistit in ipso illo Spiritus Christi influxu.

§. CXLVI.

Hisce duobus actibus duo respondent Sacramenta, Baptismus & S. Cœna.

§. CXLVII.

Cum corpus Christi glorificatum omnes hujus Mundi creaturas penetrat, ut hac ratione renoventur, salutisque negotium in universali Spiritus Christi influxu consistat, omnesque homines ex triplici Principio constent, adeoque lucis principium omnibus commune sit ; hinc ex hypothesibus hisce sequitur : etiam Gentes influxus illius universalis fieri potuisse participes ; & cum homines per influxum illum ipsius Christi participes fiunt, ipsi etiam Gentiles juxta BOEHMIUM salutis æternæ non possunt non fieri participes.

§. CXLVIII.

Unde hic Sectæ Fanaticorum Dux statuit : etiam illos Populos, qui nihil de Evangelio audiverunt, Christi participes atque salvos fuisse factos : dum fides non sit meriti Christi cognitio historica, sed obsequium ductui divino præstitum, quem ductum licet Gentes non habuerint per S. Scripturam, nihilominus tamen ductum ad Deum Patrem habuerunt, qui cum Christo unus est.

§. CXLIX.

Nonnulla de BOEHMII Sententia respectu

ſtatus hominis poſt mortem addenda ſunt, quæ hypotheſibus ejus non minus ac reliqua ſatis conformia ſunt.

§. CL.

Ex hypotheſi nimirum ipſius homo triplici conſtat principio, *Tenebrarum* nempe, *Lucis & Mundi hujus*; unde etiam triplex vita ortum ſuum habet.

§. CLI.

Primum horum principiorum, ſcilicet tenebrarum, luce plane privatum, ideas nonniſi infernales ſibi repræſentat. *Alterum* vero, quod ipſe Chriſtus eſt, ideis gaudet cœleſtibus. *Tertium* denique ab influxu aſtrorum ſuſtentatur, & vita animalis ſive ſenſitiva eſt; quam ultimam vitam, nempe animalem, homines in hac vita maximam partem vivunt.

§. CLII.

Infernalis vero Vitæ Principium apud unumquemque ex hæreditate obſcuratæ lucis eſt. Vita vero lucis in illis eſt, in quibus Chriſtus habitat atque luce ſua colluſtrat.

§. CLIII.

Statum vero hominis in altera vita quod attinet, BOEHMIUS diſtinguit in tempus ante & poſt Chriſtum; ante ipſius tanquam veræ lucis Adventum in hunc Mundum Patres ſub V. T. degentes poſt mortem paradiſo excluſos fuiſſe ſtatuit, cum tenebræ à luce nondum victæ fuere. Adveniens autem in hunc Mundum, etiam ipſos Sanctos illos luce ſua replevit.

Illos

§. CLIV.

Illos vero homines, qui inde ab illo tempore vixerunt, quod attinet, distinguendi sunt in eos qui vel luminosam illam vitam in hoc ævo vixerunt vel non vixerunt. *Priores* post mortem servantur in loco infernali, donec in ipsis etiam lux illa oriatur; id quod gentilibus accidit, qui quidem de Christo in hac vita nihil audiverunt, illud tamen lucis principium non plane suffocarunt, propterea per lucem illam post hanc vitam etiam renovandi ut vitæ paradisiacæ participes fiant.

§. CLV.

Illi vero ex Christianis qui in vita hac luminosa nondum in hoc mortali ævo perficiuntur, in morte & post mortem ad lucem illam perfectam per certos gradus perducendi sunt.

§. CLVI.

Mors fidelium, propterea ut somnus consideratur, ex quo evigilant demum quando perfecti sunt : Evigilatio autem illa non in ultima demum resurrectione contingit, sed quam primum aliquis perfecte purgatus ad luminosam illam vitam pervenit.

§. CLVII.

Resurrectio autem corporum tunc continget, quando in rerum consummatione, omnia ad primum suum principium reducuntur, tunc Fideles iterum tale luminosum corpus accepturi sunt, quale Adami in statu integritatis fuit.

Moderni Inſpirati vel Separatiſtæ.

§. CLVIII.

Ad hoc Caput etiam referendi ſunt illi, qui noſtris temporibus *Inſpiratorum*, *Separatiſtarum* & *Pſeudopietiſtarum* nomine noti ſunt.

§. CLIX.

Quorum placita omnia, quæ ex immediata revelatione ſeu inſpiratione ſibi nota fieri prætendunt, eo diriguntur, ut ſtatuant: *Dari perfectum aliquem Eccleſiæ in hac terra ſtatum*, quem Spiritus Sancti Oeconomiam appellant.

§. CLX.

Veterem nimirum Oeconomiam illam Patri, novam Filio, ultimam denique Spiritui Sancto adſcribunt, quam in illorum communione ortum ſuum habere exiſtimant; unde ſeſe ut perfecte ſanctos ab Eccleſia noſtra minus ſancta & imperfecta ſeparant.

§. CLXI.

Ex qua ſeparatione fit, ut alii etiam homines diverſiſſimarum ſententiarum atque errorum ſeſe illis immiſceant atque aſſocient; ut inter Anabaptiſtas hosque Separatiſtas non magna admodum deprehendatur differentia.

§. CLXII.

Initia vero tantum & prima quaſi perfectæ illius Oeconomiæ incunabula in communione ſua inveniri autumant, nam ſuo tempore tam glorioſus

rioſus tam perfectus Eccleſiæ in hac terra ſtatus erit, qualis ante lapſum Adami in Paradiſo fuit.

§. CLXIII.

In prioribus Oeconomiis obſcure tantum Deus ſeſe hominibus patefecit, atque parce dona ſua communicavit, in ultima vero maxima cum luce ſeſe iis manifeſtabit, atque modo abundantiſſimo ſeſe iis communicabit.

§. CLXIV.

Quæ hypotheſis etiam opinioni de Regno Chriſti millenario in hac terra in doctrina horum hominum locum fecit.

§. CLXV.

Conſummatus vero hic ſtatus non ſine cæde atque bellis judicio divino immiſſis ingruet; unde Pſeudoprophetæ hi internas revelationes atque Spiritum Prophetiæ jactantes, in vaticiniis ſuis etiam nonniſi de cladibus, bellis atque graviſſimis juſti Dei judiciis loquuntur, quibus Deus Mundum immorigerum puniturus ſit.

§. CLXVI.

Et cum internas habeant revelationes, atque tam perfectæ Eccleſiæ initia in communione ipſorum deprehendantur, mirum non eſt ſi Sacræ Scripturæ uſum parvi faciant, neque illam unicum fidei principium agnoſcant.

§. CLXVII.

Neque hanc ob cauſſam fieri poteſt, quin in graviſſimis aliis Religionis Chriſtianæ Capitibus à Veritate aberrent.

§. CLXVIII.

Cum perfectam Sanctorum in hoc vitæ ævo consummationem fingunt, mirum non est si viribus etiam liberi Arbitrii nimium tribuant, neque Salutis negotium in solidum Christo transscribant.

§. CLXIX.

Hominis cum Deo reconciliationem non Sacrificio Christi satisfactorio, sed peccatoris ad Deum conversioni atque regenerationi adscribentes.

§. CLXX.

Neque propterea Christus passionibus & morte sua aliud fecit, quam nobis exemplum dedit, quid nobis tum vitæ sanctimonia tum perpessionibus factu opus sit.

§. CLXXI.

Et huic scopulo allidentes etiam dogma de S. S. Trinitate nullius momenti esse arbitrantur, sed Sabellianismum profitentes, suæ de triplici Oeconomia hypothesi illum applicant, & Deum tantum tribus sub nominibus sese patefecisse perhibent.

§. CLXXII.

Negata Christi pro peccatis Satisfactione neque momentosissima de justificatione Doctrina sarta tecta manere potest; unde illam non vivæ in Christum fidei tribuunt, sed propriam justitiam erigunt.

§. CLXXIII.

Nec Sacramentis etiam sua dignitas atque verus usus hanc ob caussam constare potest; sed ratione veræ illorum significationis inutilia illa prorsus censent. Et

§. CLXXIV.

Et cum in perfecto hoc Ecclesiæ suæ statu quivis immediatas divinas revelationes atque prophetandi donum habet ; hinc Ministerium Ecclesiasticum rejiciunt, & de nostro contemtim admodum loquuntur.

§. CLXXV.

Pariter etiam, dum spirituales & perfecti haberi volunt, cæteri Christiani omnes ut animales & litterales ab iis spernuntur, & petulantibus dicteriis ab ipsis proscinduntur.

De Pseudo-Mysticis.

§. CLXXVI.

THEOLOGIA MYSTICA non semper eodem apud Theologos accipitur sensu. Mox nimirum *bona*, mox *mala* sumitur significatione. Priori modo vocabulum hoc denotat α. eam S. Scripturam interpretandi methodum, qua præter litteralem verborum significationem adhuc alia & sublimis quædam quæritur ; ut vel ipsa verba, vel res & historia verbis expressa, occultum quendam ac spiritualem habeat sensum. Hic nonnulli S. Litterarum interpretes intra certos atque justos limites consistunt, aliis eos transgredientibus.

§. CLXXVII.

β. Significat porro sublimiorem Theologiæ moralis partem, interioremque Christianismi praxin ; & respicit internum animæ hominis statum, novi hominis incrementum per veram resipiscentiam, illuminationem, purificationem ab adhæ-

adhærentibus peccatis atque cum Deo communionem; indicatur etiam in hac Theologiæ parte modus quo ad hæc pervenitur, officiaque præscribuntur ab homine præstanda nisi gratiæ divinæ atque unionis cum Deo expers esse velit. Quæ Theologia, *mystica* dicta, magnopere commendanda, dum veram Sanctitatem, Pietatisque exercitium, inculcat, sine qua omnino Deum nemo visurus est. Unicum hoc cavendum, ne hic externus mediorum gratiæ usus parvi fiat, atque Verbi divini Lectio ejusque auditio negligatur, Sacramentorumque usus contemnatur.

§. CLXXVIII.

In *malam* vero *partem* si vox hæc sumitur, ea intelligitur Doctrina, qua statuitur (quæ etiam Pseudo-Mysticorum *hypothesis primaria* sive πρῶτον ψεῦδος est): *Animæ hominis Essentiam ex ipsa divina Essentia per emanationem quandam ortum suum habere, à Deo vero sejunctam tenebris atque corruptioni fuisse involutam; eamque per viam purgationis, illuminationis atque unionis iterum ad Deificationem, sive intimam perfectissimamque cum divina Essentia unionem, etiam in hac vita pervenire posse.*

Primum Mysticæ hujus Theologiæ fontem multi ex ipsa Platonica Philosophia derivant, quia nonnullæ Pseudo-Mysticorum hypotheses atque verba cum Platonicis convenire videntur. PLATONEM nimirum statuisse asserunt: *Omnes animas ex ipsa Dei Essentia originem suam habere*, teste APULEJO de Dogmat. Plat. p. 54. & PLUTARCHO, qui eandem cum PLATONE habuerit sententiam, ita scribente: Ψυχὴ οὐκ ἔργον ἐστὶ τοῦ Θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος, οὐδ' ὑπ αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονε. *Anima non solum est opus Dei, etiam ejus pars, non modo ab eo, sed ex eo facta.* In *Platonicis*

Tom.

Tom. II. Opp. fol. 1001. Edit. Wechel. In Philosophia insuper Pythagoræo-Platonica doctum fuisse asserunt: Omnes animæ facultates ac vires in id intendendas esse, ut illa, Essentiæ divinæ pars existens, iterum in eam revertatur. Postquam nimirum Anima ab Essentia Dei separata corpori humano ceu carceri intrusa fuit, illa per arctissimam cum corpore unionem, congenitam divinam lucem amisit, eamque crassissimæ tenebræ secutæ, & loco purissimæ divinæ Sanctitatis impuritate illa infecta fuit; unde necessarium omnino sit, ut loco tenebrarum impuritatisque lux atque puritas restituatur. Statuisse propterea dicunt Platonem cum suis Asseclis, ad finem hunc consequendum, singulari animæ purificatione opus esse, qua homines corpori inordinatisque ejus motibus valedicerent, ab omnibus rebus atque contemplationibus corporis quantumpote abstinerent, omnemque à corporis unione orientem impuritatem deponerent; qua ratione anima ad pristinam suam ac originalem puritatem reditura sit; hoc si fiat non posse non fieri, quin scintilla lucis illius divinæ, in hominis corde atque conscientia adhuc latens, iterum lucere incipiat, donec seposita omnis impuritatis crassitie maximo splendore fulgere possit. Ad eum autem animam pervenire posse gradum ut ab omnibus ideis atque imaginatione purgata immediate arctissimeque cum divina Essentia uniatur, iterum in Deum ceu fontem suum influat, ejusque Essentia cum divina Essentia iterum commisceatur. Ejusmodi etiam phrasibus CLEMENTEM ALEXANDRINUM usum fuisse asserunt, qui nonnullis Platonis hypothesibus adhuc addictus fuerit, & dicat: Hominem continua Dei contemplatione in divinam tandem Essentiam sive naturam intrare Deificarique Θεσμενον fieri. Lib. IV. Strom. Eodem plane modo BASILIUM M. juxta Platonis principia docuisse, *Unumquemque sanctum hominem Deum esse*, dicentem Θεὸς ἐστι διὰ τοῦτο ἕκαστος τῶν ἁγίων. Advers. Ennom. Lib. V. Tom. II. Opp. fol. 140. Edit. Paris. Quoniam itaque Pseudo-Mystici eandem cum Platonicis foveant sententiam, nec verbis tantum sed & re cum

iis

iis consentiant, clarissimum esse contendunt: Ipsa Platonis placita Theologiæ hujus originem atque fontem esse. In hoc ut inquiramus instituti nostri brevitas non permittit. Plura hac de re qui legere cupit, adeat WERNSDORFFII Tractatum, qui inscribitur *Aufrichtige und in Gottes Wort gegründete Meynung von der mystischen Theologie.* §. V. pag. 17. & §. VII. pag. 48. seqq. Inter veteres & recentiores præcipui Theologiæ hujus mysticæ fautores atque propugnatores fuere ita dictus DIONYSIUS AREOPAGITA *in Theologia mystica sua*: DIONYSIUS CARTHUSIANUS *de Contemplat.* PHILIPPUS de S. S. Trinitate *in Summa Theol. Myst.* Auctor Theol. Germ. HUGO DE PALMA *in Comp. Theol. Myst.*, ANTONIUS SUCQUET *in Via vitæ æternæ*, CHRISTIANUS HOBURGIUS pluribus Libris, ARNOLDUS *in Hæresiol.* Lib. XIII. Cap. 2. n. 12. Lib. XIV. item in tractatu de Orig. atque progressu Theologiæ Mysticæ. Nec non POIRETUS scribens: *Solam Theologiam Mysticam veram esse, extra eam, quicquid est, meram garrulitatem esse.* Oecon. Lib. III. Cap. I.

§. CLXXIX.

Prima, uti ex hypothesi primaria patet (§. 178.), ad Deificationem sive Deiformitatem perveniendi via est animæ *Purgatio*, quam DIONYSIUS CARTHUSIANUS *de fonte lucis* Art. 3. hoc modo describit: *Est occupatio, qua tanquam per iter, ac medium, ad vitiorum expulsionem, ad passionum & concupiscentiarum refrenationem, ad omnium affectionum animæ reformationem, ac omnium evitationem culparum tendimus, ac conamur.* Et THOMAS

MAS à JESU hoc modo sese explicat: *Supernaturalis & infusa à Deo purgationis via in eo consistit, ut incipientes peculiari Spiritus S. illustratione, & motione purgentur à vitiis, animæque affectiones seu passiones reformentur, ita ut animæ caro promte deserviat.* De Orat. Div. Lib. I. Cap. 5. pag. 44.

In transitu hic monendum, quod, si à Nostris, Pseudo-Mysticorum de animæ purgatione doctrina erroribus accensetur, id non ita intelligendum sit, ac si necessitatem purificationis animæ peccatoris, si cum Deo sanctissimo communionem habere velit, negaremus; sed eam non utilem modo, sed & absolute necessariam ex Litteris S. adstruimus. Si ergo hæc Mysticorum Doctrina in se & abstracte consideratur, eam debito sensu sumtam non rejicimus; sed relate ad omnia ea, quæ cum illa connexa sunt, & respectu habito ad reliqua Theologiæ Christianæ Capita, eam salva fidei analogia admittere non possumus. Ratione enim ordinis respectu reliquorum Gratiæ Beneficiorum, nec non ratione caussæ, mediorum atque modi, uti ex sequentibus apparebit, à Christi Apostolorumque præceptis maxime differt.

§. CLXXX.

Respectu *ordinis*, Mystici animæ purificationem omnibus reliquis ad summum perfectionis gradum perveniendi mediis anteponunt; cum juxta S. Litteras mentis illuminatio antecedere debeat. Cur vero hunc observent ordinem, & quomodo id conformiter primariæ hypothesi fieri debeat, brevibus ostendendum, ut intrinsecam dogmatis hujus naturam veramque ejus rationem eo facilius perspiciamus. Ea nimirum Mysticis stat sententia, quod hominis anima ipsius divinæ Essentiæ atque lucis particula sit; quæ lux deinceps praviſſimis corporis cupiditatibus perversisque affectibus plane obfuscata, carnisque nebulis

nebulis obducta, & eo ipso crassissimis fuit involuta tenebris; ita tamen ut lux hæc cœlestis atque divina, cuivis homini connata non plane fuerit exstincta, ut illa adhucdum in cujusvis hominis corde superstit; propter peccati autem atque corruptæ carnis nebulas, quibus quasi incrustata est, vim suam exserere, atque lucere amplius nequit. Si ergo homo in pristinum suum restitui debet statum, ut lux illa iterum splendeat, & in divinam redire possit Essentiam, hauddubie ante omnia opus est, ut cuncta illa amoveantur obstacula, quæ impediunt quo minus lux illa splendere carnisque cupiditates penetrare possit. Hæc vero impedimenta cum sint pravi illi affectus atque cupiditates; ex Mysticorum hypothesi necesse omnino est, ut anima prius ab iis purgetur; unde via purgativa viam illuminativam præcedere debet.

§. CLXXXI.

Purificationem autem hanc non vi sanguinis Christi adscribunt, qui nos purgat ab omni peccato, ejusque Spiritui Christi sanguinem nobis adplicanti; hac de re nulla apud eos mentio fit; sed eam cum DIONYSIO CARTHUSIANO perfici ajunt per *conatum* vitia expellendi, passiones atque concupiscentias refrenandi, animique affectiones reformandi.

§. CLXXXII.

Hanc ob caussam etiam nihil tenent de vera in Christum crucifixum fide, qualem eam S. Scriptura postulat, ceu unicum medium quo Christi ejusque beneficiorum ad peccatorum remissionem participes simus. Hac de re apud Pseudo-

Pseudo-Mysticos altum est silentium, dum omnem Salutis suæ caussam non extra se, sed nonnisi in se quærunt.

§. CLXXXIII.

Cum igitur cordis purificationem non virtuti sanguinis Christi adscribunt (§. 181.), nec peccatorum remissionem per solam in Christum fidem quærunt, omnemque salutis caussam extra se rejiciunt (§. 182.); Patet ipsos nec Christi pro peccatis nostris *Satisfactionem*, Justitiæque illius *imputationem* admittere posse, omnemque adeo Justitiam alienam nobis per fidem applicandam rejicere, totamque de Peccatoris Justificatione Doctrinam negare.

Clarissime hac de re mentem suam exprimit CHRISTIANUS HOBURGIUS, Christianos ridens quod diebus solis templa frequentarent, ut ibi concionem aliquam solatii plenam, de dilecto *Jesu pro nobis* audirent; in *Postillis Mysticis* Dom. Reminiscere f. 322. a. Edit. Francof. & Lips. A. 1716. Et in *Arndtio redivivo* C. III. expresse dicit: Adam ausser uns schadet uns nichts: Christus ausser uns hilfft uns nichts. Et alibi: Spitzet die Ohren und prüffet euere Hertzen, sonderlich ihr *Superintendenten* und *Inspectores* auf *Universitäten*: Ihr habt an statt dessen, (des inwendigen Hertzens-Prüffens,) dem fleischlichen adamischen Menschen die Ohren gekrauet, ihnen einen grossen Hauffen zierlicher Worte, und ledigen Geschwätzes der Historien von Christo, und seinem Leyden daher geplappert, daß ein einfaltiger Mensch dardurch verwirret worden. = = Ja die Guthertzigen haben aufs allerbeste nichts mehr, als einen Hauffen Historien, und Wissenschafft davon gebracht. Heißt das nun in das Inwendige hineinführen.

§. CLXXXIV.

Quoniam itaque fidem in Christum, ejus pro

peccatis Satisfactionem, Justitiæque ejus, ad peccatorum remissionem, imputationem pernegant (§. 183.), veram Evangelii Doctrinam, de gratuita per fidem in Christum peccatorum condonatione, prætergrediuntur & per Legis observationem salvari volunt.

Ipsemet ARNOLDUS, magnus alias Theologiæ Mysticæ propugnator atque defensor hoc confitetur, dum in *Hæresiol.* Lib. XII. Cap. III. n. 4. ita scribit: RICHARDUS DE S. VICTORE hat allerhand geschrieben, da er dann mit andern alles auf gesetzliche Art abhandelt, wie man ohne dem bey diesen Leuten wenig oder kein Evangelium von Christo findet. Et Libro XIII. Cap. II. n. 12. ita habet: Es mag auch ein erfahrner Christ wohl erkennen, wie noch viel unlauteres, menschliches und unnützes darinnen stecke. Und gesetzt, daß diese Schrifften den Zweck, nehmlich die völlige Vereinigung mit Gott *urgiret* haben, so zeigen sie doch die wahren Mittel nicht so lauterlich an, und fallen mehr aufs Gesetz und eignes Rennen und Lauffen, als daß sie sollten den einigen Grund und Zweck Christum zeigen.

§. CLXXXV.

Viam hanc purgativam in Mysticorum Theologia sequitur *illuminativa*. Cum scilicet cuivis homini, vel animæ ejus, lux divina congenita sit, & in corde sive conscientia ejus lateat, illuminatio in hoc consistit, quod homo ab omnibus rebus externis mentem abstrahit, sese ad lucem illam intra se convertit, eamque excitare conatur.

Illuminationem hanc divinam optantibus DIONYSIUS CARTHUSIANUS *de fonte lucis* Art. 9. hoc dat consilium: *Abstrahat*, inquit, *ab exterioribus mentem suam, & eam recolli-*

recolligat, ejus dispersiones & evagationes abjiciendo. Sicque juxta divini Dionysii documentum, se convertat ad radium, supernam illustrationem optando, & pro ea orando, seque ad Dei considerationem, aut contemplationem pro viribus elevando. Tum Dominus omnis sapientiæ dux, ipsi manum applicabit & porriget adjutricem, mentem ejus per donum sapientiæ illustrando. Observandum hic nos illuminationis mentis nostræ necessitatem minime negare; siquidem & nos ex S. Litteris statuimus, hominem à Deo fonte omnis lucis abalienatum, meras tenebras esse, ut nec viam ad Deum invenire, nec ea quæ sunt Spiritus Dei absque illuminatione intelligere queat. Non ergo id inter Pseudo-Mysticorum errores referimus, quod illuminationis necessitatem statuunt, sed nonnisi rationem ejus improbamus.

§. CLXXXVI.

Per lucem hanc internam, cuivis homini congenitam, per illuminationem magis ac magis excitandam, hodierni Mystici Christum intelligunt, quem *Lucem, Verbum internum, Spiritum, atque Christum in nobis* appellant. Ratio cur Mystici Lucem hanc internam Christum vocent, hæc esse videtur, quod Religioni Christianæ pretium suum adimere nolunt; illa enim statuit α. Christum esse unicam perfectissimamque Salutis Peccatoris caussam, unde Theologi Mystici, ne hoc plane negare videantur, ex interna illa Luce cuivis homini connata *Christum in nobis* faciunt. β. Christiana porro Religio ex S. Litteris tres in Divinitate Personas esse docet, quarum secunda Dei Filius & in Negotio Gratiæ Christus appellatur. Cum vero ex Mysticorum hypothesi, anima hominis, & Lux ipsius, sit ipsius Essentiæ atque

Lucis divinæ quasi particula quædam, ab ea sejuncta; hinc ab una parte hypothesis de luce illa *Christo in nobis* primariæ Theologiæ Mysticæ hypothesi conformis est; ab altera autem parte Christianæ Religioni aliquid largiri videtur, pluralitatem in Divinitate aliquo modo retinens, & Salutem, sive viam ad unionem cum Deo perveniendi, Christo tribuens.

De hac Luce, sive *Christo in nobis* ita pronuntiat EISLERUS in Libro cui titulus est, Das grosse Geheimniß in allen Menschen, sie seyen Christen, Juden, Türken, oder Heyden, welches ist Christus, oder das Wort Gottes in uns. Sive das durch Türken und Heyden beschämte heutige Christenthum. Ab initio præfationis. Es ist erschienen die heilsame Gnade Gottes allen Menschen, Juden, Christen, Türken und Heyden. Gleichwie Christus das allgemeine wahrhafftige Licht ist, welches NB. alle Menschen erleuchtet, die in diese Welt kommen, und sich von ihm wollen erleuchten lassen: Also ist er der einige, wahre und allgemeine Weg, darauf wir wiederum zu unserer Seligkeit, das ist zu Gott unserm Ursprung, gelangen können. pag. 11. Es ist aber dieser innere Weg, nach Gottes allgemeiner unpartheylichen Liebe und gnädigen Willen, ein allgemeiner Weg. Denn wie Christus, als das ewige Wort des Vaters allen Menschen nahe ist in ihrem Munde und Hertzen, und als ein sehr grosses, hohes, und von der Welt her verborgen gewesenes Geheimniß in allen Menschen tief verschlossen lieget: Also ist auch dieser Weg, als das allgemeine göttliche Gesetz, allen Menschen von Natur schon ins Hertz geschrieben. Aber weil die allerwenigsten Menschen in ihre Hertzen kehren, und diesen Weg in sich suchen; so bleibt er auch den allermeisten unbekannt. Ita Fœmina illa D. PETERSEN Christum vocat, Das inner wesentliche Licht, welches Christus in uns. Append. Apocalypt. pag. 28. & Kampf der Erstgebohrnen. BRENDELIUS Wachs-

Wachsthum im Christenthum. pag. 560. inquit: Er ist das Licht, so in allen Creaturen verschlossen, und stecket in dem inwendigsten. Er ist das Licht der Welt, durch den alle Ding sind. BARCLAJUS Apol. Th. V. & VI. n. 13. p. 83. & n. 15. p. 86. Dis ist der innerliche Christus, von welchem wir so viel reden, und ihn so oft erklären hören, den wir auch alle wege predigen, und jedermann ermahnen, an das Licht zu glauben, ihm zu folgen, Christum in sich zu erkennen, und zu ihm zu kommen, welcher in ihnen ist.

§. CLXXXVII.

Cum tantum Luci huic internæ tribuant Mystici, ut per eam ceu viam ad Dei unionem pervenire possit quivis homo, qui ad eam adtendere, eam excitare, & in semetipsum introvertere vult; liquet, non magnum illis esse S. Scripturæ usum, ut licet eam non plane rejicere velint, eam tamen ad consequendam Salutem parum utilem nec omnino necessariam censeant, dum homo interna luce gaudens absque ea illuminari queat.

Huc tendit HOBURGIUS dicens, Spiegel der Mißbräuche pag. 227. seq. Ists genug darmit die Heil. Schrifft zu hören und lesen, und dadurch zum Erkänntniß Gottes zu kommen? Warum bittet dann Paulus um den Geist der Offenbahrungen? Warum machet ihr einen Unterscheid, und nennet eine Offenbahrung mittelbar, und die andere unmittelbar, und lehret, daß euere Zuhörer nicht der unmittelbaren, sondern der mittelbaren Offenbahrungen jetzo allein fähig sind? Wer hat euch die Macht gegeben, also zu *distinguiren*, und zu halbiren, ja zu mitteln das Amt des Heil. Geistes, mit dem Buchstaben, ja mit eüren fleischlichen *Discursen*? Woher wollet ihr beweisen die mittelbare Offenbahrung? Sehet St. Pauli Wort und Predigten könnten im

geringsten nicht mitteln zur Erkänntniß Gottes, darum mußte der Geist der Offenbahrung darzukommen. u. s. w. EISLERUS l. c. in Præf. pag. 8. Verbum divinum, externum scilicet, parum utile esse hisce indicat verbis. Dieser neue, heilige, innere und lebendige Weg, Christus Jesus, sollte nun von rechtswegen unter denen, die da Christen heissen, vor andern Völkern, die der äusserlichen Erkänntniß von Christo ermangeln am allerbekanntesten, gemeinsten, und ausser allen Streit seyn. Allein das Gegentheit lieget leyder! klar vor Augen dar, daß dieser Weg unter denen, die von Christo aus der Heil. Schrifft und anderen Büchern oder mündlichen Unterrichten äusserlich am meisten wissen, täglich viel davon lehren, predigen, singen und sagen, dennoch nicht allein gantz und gar unbekannt ist, sondern auch in andern, die solchen in sich erkennen und darauf wandeln wollen, aufs äusserste angefochten, verdunkelt, denen Leuten unter allerhand verhaßten Namen verdächtig gemachet wird.

§. CLXXXVIII.

Cum intrinseca illa Lux cognitionis salutaris verum principium sit, mirum non est quod raro ad Litteras S. sive revelatum Dei Verbum, sed fere nonnisi ad propriam experientiam provocant.

Unde BARBANSONIUS dicit: *In Semin. amoris Div. Per solam scientiam ad secretorum, quæ experientia docet, comprehensionem veniri non potest.* Quæ verba, si sano accipiantur sensu, omnino verissima sunt, siquidem experientia hominem, ratione veritatum salutarium, multa doceat, quæ per solam Litterarum S. Lectionem nunquam recte cognovisset; sed propterea necessarius S. Scripturæ usus contemnendus atque rejiciendus non est. PETRUS POIRETUS In Præf. Theol. Cordis n. 2. ita scribit:

Nemo

Nemo certis Syllogismis, sive demonstrationibus aut discursibus ejus convinci, aut etiam ullis conceptibus, sive ideis sibi fictis, in ea confirmari potest. Omnia hic experientia propria aguntur.

§. CLXXXIX.

Quoniam Mystici nec nostram à peccatis purificationem virtuti sanguinis Christi pro nobis fusi (§. 181.), nec peccatorum remissionem satisfactioni ipsius nobis per fidem imputatæ tribuunt (§. 183.); Sacram etiam Scripturam non ceu externum Salutis atque illuminationis medium considerant ((§. 187.); hinc est quod externa etiam passionis atque mortis Christi beneficiorumque inde ad nos redundantium signa atque sigilla, cultum Dei externum cum ejus apparatu, Verbi divini prædicationem, omniaque externa salutis media alto supercilio despiciunt, & cæteris omnibus spretis nonnisi conversionem in nosmetipsos commendant.

Ita enim unus ex novissimis Mysticis scribit; Gottholds Anweisung zum thätigen Christenthum. pag. 515. Zu Beförderung der täglichen Reinigung, soll man alles äussere, unnöthige Ceremonien-Wesen, samt aller unnöthigen Andacht und Mund-Gebät fahren lassen, auch zum wenigsten eine Zeitlang alles äussere Lehren und Bekehren aussetzen, und ins innere einkehren. Supracitatus EISLERUS in Præf. pag. 6. dicit: Also so lange eine Seele noch an äusserlichen Mitteln, Gottesdiensten, Uebungen, Wegen und dergleichen, wenn sie auch an und vor sich selbst noch so gut, ja von Gott selbsten bis auf seine bestimmte Zeit und aus gewissen Absehen angeordnet wären, hanget, und dardurch zu Gott zu kommen vermeint; So lange kan Christus, der einige wahre Weg, durch welchen wir allein zum Vater kommen können, in ihr nicht kund und offen-

bar werden, und also folglich sie nicht von ihren Sünden heylen, erlösen, gerecht, heilig und selig machen. Vide etiam pag. 198.

§. CXC.

Cum lux illa, ceu verum cognitionis salutaris, adeoque veræ etiam Religionis, principium, universaliter omnibus hominibus sit congenita, omniumque hominum cordi indita; sequitur: veram Religionem ac veram ad Dei communionem perveniendi viam omnibus hominibus natura notam esse, hinc sequentia Mysticorum fluunt dogmata; quemvis hominem in Religione sua salvari posse; nec solam Christianam Religionem veram esse; Eum veram habere Religionem, qui Deum, hoc est lucem illam, in se reperiat, licet externe nulli sese Religioni addicat; Gentilem absque externa Christi cognitione salvari posse.

TOBIAS EISLERUS Libro supra cit. pag. 176. dicit: Ein jeder kan in seiner Religion selig werden, wenn er anders das Böse meidet, und das Gute thut. Ist allerdings wahr und recht geredet ꝛc. pag. 181. Weil man insgemein in dem *Præjudicio* stehet: Die sogenannte Christliche Religion sey allein die wahre Religion, und darinn allein die Mittel zur Seligkeit anzutreffen; ausser solcher aber alle andere Religionen falsch und verdamlich; So müssen dann auch alle diejenige, die nicht äusserlich in solcher Religion mitstehen, noch die heilige Schrifft haben, nothwendig unbekehrte, an Hertzen und Sinnen ungeänderte, und unter dem Fluch und Zorn Gottes stehende Menschen, und ihr sonst untadelhafter Wandel, bloß äusserlich Scheinwesen, Heucheley und Greuel vor Gott seyn. Aus welchem zwar allgemeinen und recht canonisirten, und auch im Grund gantz irrigen *Principio* recht unchristliche und ärgerliche Schlüs-

Schlüsse, und allerley böse und schädliche Dinge folgen. pag. 191. Wer durch innerliche Zusammenziehung seiner Sinnen das Wesen aller Wesen nicht allein verehret, sondern es auch in sich erkannt und gefunden hat, der stehet in der einigen wahren Religion, und wenn er sich gleich auch äusserlich zu keiner bekennete: Dann die wahre Religion wird unter allen Religionen gefunden. pag. 123. Warum urtheilet man doch also? und warum sagt man nicht auch so von der Christen Wercken? Nemlich weil sich die Heyden nicht äusserlich zu der sogenannten Christlichen Religion bekennen, und die Christen das Geheimniß Christi, auch in den Heyden (Col. I. 27.) nicht erkennen. pag. 202. Warum spricht man doch immer den armen Heyden so durchgehends, darum weil sie in der Christlichen Religion äusserlich nicht stehen, weder die heilige Schrifft, noch ein buchstäbliches Wissen von Christo haben, die wahre lebendige Erkäntniß Gottes und den Glauben an Christum ab. = = Wenn ein Heyd sich selbsten lernet recht erkennen, und nach solcher Erkäntniß und Ueberzeugung der allgemeinen heylsamen Gnade Gottes einfältiglich in Gehorsam einher gehet, so glaubet er an Christum in der That, und wird durch solchen That-Glauben selig werden.

§. CXCI.

Cum in Theologia Mysticorum, per Lucem omnium Cordibus insitam, ea quæ ad Salutem consequendam scitu necessaria sunt, adeoque vera etiam Dei cognitio natura nota sit, & lux illa ipsius divinæ Essentiæ quasi particulam faciat; Theologi autem Mystici, Mysteria in S. Litteris revelata negare nolint, proptereaque etiam S. S. Trinitatis Mysterium admittant, sed tale quale illud etiam per solam illam insitam Lucem cognosci potest, mirum non est si in hac etiam Doctri-

na hallucinentur, nec tres illas personalitatis sive subsistentiæ modos à seinvicem distinguant, sed ex tribus personis nonnisi tres operandi modos, sive tres in divina Essentia facultates faciant; Et ita quidem ut in hominis anima (cum illa à divina Essentia primitus sejuncta sit) simile quidquam inveniatur.

Ita enim de tota *in nobis* S. S. Trinitate loquitur PSEUDO-DIONYSII commentator CORDERIUS ad Dionys. C. 1. de Theol. Myst. pag. 716. *Habet*, inquit, *animæ nostræ substantia tres quasdam proprietates, quæ tamen natura unum sunt. Prima scilicet proprietas est Essentialis, & imaginum expers nuditas, qua nos Patri, ejusque divinæ naturæ, similes & uniti sumus. Altera proprietas, ratio superior animæ dici potest, quæ est claritatis speculum, in quo nos Dei Filium, æternam veritatem, suscipimus, & in claritate quidem similes ei sumus, in susceptione autem, unum cum eo sumus. Tertiam proprietatem scintillam animæ S. Dionysius appellat, quæ est animæ naturalis quædam introrsus in suam originem propensio, in qua nos Spiritum S. Dei Charitatem, suscipimus: & in propensione quidem Sancto Spiritui similes sumus, in susceptione autem unus cum Deo Spiritus, & unus amor efficiuntur. Tres istæ proprietates, una atque indivisa animæ substantia, sunt vitale fundum, & origo virium supremarum. Hæc autem similitudo istæque proprietates, ex natura in nobis omnibus insunt. Sed peccatores, in proprio ipsorum fundo, ob vitiorum crassitudinem latent. Quamobrem si Regnum Dei intra nos latens sentire atque experiri velimus, foris & intus vita virtuosa, & bene ordinata præ-*

præditi simus oportet, Christumque in vera Charitate modis omnibus spectemus, ita ut gratia, charitas & virtutes, in supremam nostri partem, in qua vivit regnatque Deus, nos evehere atque elevare queant.

§. CXCII.

Postquam homo à vitiorum crassitudine, quibus lux interna involuta erat, purgatus, & lucis illius scintilla iterum absterſis cupiditatum nebulis ac maculis fuerit excitata, hominem tandem ad intimam Dei fulgidissimæ illius Lucis *unionem* pervenire contendunt, ut anima in primum suum fontem redeat.

De Placitis Dippelii.

§. CXCIII.

Omnes reliquos, qui sanctissima Christianæ Religionis dogmata evertere atque hominum profanorum risui exponere conati sunt, ingenii dotibus atque audacia longe superat JOH. CONR. DIPPELIUS, qui sub ficto CHRISTIANI DEMOCRITI nomine varios edidit contra Christianam disciplinam Libros, quorum ii qui ante Annum 1709. fuerunt scripti junctim cum hac inscriptione fuerunt editi *Eröffneter Weg zum Frieden mit Gott und allen Creaturen.* Quem in primis refutavit FRANC. ALB. ÆPINUS in *Compendio matæologiæ fanaticæ recentioris, ex Joh. Conradi Dippelii scriptis collecto, ac ordine systematico dispositio.* Rostochii A. 1721.

§. CXCIV.

In Systemate Theologiæ Polemicæ universæ non

non prætereundum censui Adversarium qui judicii acumine, argumentorum probabilitate, aciem suam disponendi ordine atque dictionis elegantia omnes fere Christianæ Religionis hostes superavit; qui propterea tot habet amatores & asseclas, ut omnes illi ex Librorum ejus Lectione singulari modo delectentur, qui Christi Apostolorumque Disciplinam obiter tantum cognoverunt, scientias Theologicas primis tantum gustarunt labiis, nec unquam intimam Doctrinæ Christianæ naturam atque Essentiam, nec cum Perfectionibus divinis & toto veritatum systemate harmoniam perspexerunt, rerum propterea novitate facillime agitantur, singularemque ex iis Libris delectationem capiunt, in quibus talia continentur placita, quæ corruptæ carnis sapientiæ non ingrata sunt, Ecclesiæque Protestantis Dogmata, male explicata, atque in alium sensum detorta, ludibrio exponuntur, satyricoque scribendi genere exsibilantur.

§. CXCV.

Supra jam in Capite de Socinianis DIPPELII errores refutandi locus fuisset, dum præcipua ipsi cum Socinianis placita communia sunt; cum vero & ipse protestetur se à Socinismo alieniſſimum esse, *welcher* (Socinismus) *Christum IN UNS und das durch denselben in der Wiedergeburt zu ersetzende Heyl, wo nicht gæntzlich an die Seite setzet, doch wenigstens aus der Acht lasset.* Dem. Ev. p. 197. *und den completen Pelagianismum wiederum aufgewærmet, obschon sie* (die Socinianer) *die absurditæt der Satisfaction und Imputation eingesehen und von sich abgethan.* In defensione Dem. Evang. p. 62. Et insuper Caput illud jam satis proli-

prolixum fuerit, Systematis illius expositionem, præcipuæque hypotheseos refutationem hucusque distulimus. Quoniam nimirum & ipsi Fanatici, cujuscunque generis illi sint, cum Pseudo-Mysticis Christi pro peccatis Satisfactionem, Justitiæ illius per veram atque vivam fidem imputationem inficiantur, totamque de peccatoris coram Deo justificatione Doctrinam pervertunt, DIPPELIUS autem inprimis hac in re cum iis consentiat, commode etiam ipsius placita cum Fanaticorum iisdem propositionibus debellari, eorumque falsitas demonstrari potest.

Hypothesis primaria & Errores cum illa connexi.

§. CXCVI.

DIPPELII πρῶτον ψεῦδος sive ERROR PRIMARIUS est: NEGATIO JUSTITIÆ PUNITIVÆ DEO ESSENTIALIS. Hanc nimirum veritatem hominis cujusvis menti ab ipso Deo inscriptam esse contendit, quod Deus, merus erga omnes Creaturas Amor, nihil vel facere vel permittere possit, quod Creaturæ, in quocunque illa versetur statu, minimum damnum & detrimentum afferat: Ideisque nostris, natura nobis inditis, adversum plane esse, contendere velle, Deum quamcunque ex Creaturis suis odio habere.

Hanc DIPPELII *primariam* fuisse *hypothesin*, cui tota illius *Demonstratio Evangelica* superstructa est, apparet tam ex ipsius systematis integra connexione, quam ex præfatione Vindi-

Vindicis ejus, qui post DIPPELII mortem DEMOCRITUM CHRISTIANUM redivivum edidit; ita enim ille habet: „ *Dann es* „*hat Democritus bey jetztgedachter seiner Absicht* „*vor allen Dingen aus dem allgemeinen Zeugniss* „*Gottes, so nicht auf Papier, sondern allen Men-* „*schen ins Herz geschrieben ist, bewiesen und dar-* „*gethan: dass Gott, als das hœchste Gut, der sich* „*selbsten zu seiner eigenen Seligkeit, in unendlichem* „*Ueberfluss genug ist, in Ansehung seiner Creatu-* „*ren nichts als lauter Liebe sey, das ist, dass er* „*eine beständige und unveränderliche Begierde ha-* „*be, denenselben Gutes zu thun, und ihnen die* „*Vollkommenheiten, welche er selbsten zu einer* „*unendlichen Vergnügung in sich fühlet, mitzu-* „*theilen. Dass dahero dieser so unendlich gütige* „*Gott unmœglich mit der Creatur, sie mag auch* „*in einem Stande seyn, in welchem sie will, etwas* „*anfangen kœnne, welches auch nur im allergering-* „*sten zu ihrem Schaden und Nachtheil sollte gerei-* „*chen, oder zum letzten Endzweck hätte, der* „*Creatur wehe zu thun, und in dem daraus ent-* „*stehenden Missvergnügen derselben seine eigene* „*Vergnügung zu suchen. Dass es dahero wider* „*die gesunde Vernunft sey, und gegen das gœttliche* „*Zeugniss in unserem Gewissen streite, wann man* „*Gott einen Zorn und Hass gegen das Werck sei-* „*ner Hœnde, nemlich die Creatur als Creatur, zu-* „*schreibe: Weil ja diese Dinge unmœglich, man* „*mag sich auch wenden und drehen, wie man will,* „*in etwas anders bestehen kœnnen, als in einem* „*Verlangen oder Begierde wehe zu thun, und* „*was unangenehmes zu erweisen, und darinn seine* „*eigentliche Satisfaction oder Befriedigung zu fin-* „*den. Welches doch schnurstracks wider die Ei-*

„*gen-*

„genschaften des hœchsten Gutes anlæuft, welches, „als die Quelle alles Guten die Creatur zu ihrem „eigenen alleræussersten Schaden zwar verlassen, „niemahls aber es selbsten dadurch beleydigen oder „ihm das allergeringste Nachtheil zubringen kœnne.

Liquet ex hypotheſi hac primaria α. quænam cauſſa ſit cur DIPPELIUS ſtatim tantum aſſeclarum numerum nactus ſit? ideo nimirum quia id negavit quod homo peccator quammaxime odit, Juſtitiam ſcilicet Dei punitivam; hoc eſt Attributum illud divinum quod homini Peccatori tantopere ingratum eſt, ut vellet ſecundum hieropſaltem non exiſtere Deum mali vindicem; hoc eſt quod torquet hominis conſcientiam ut varia quærat effugia. Nihil contra Peccatori magis arridet, quam ſi abnegata divina Juſtitia Deus ceu bonus atque indulgentiſſimus aliquis Pater proponitur, qui omnia impunita dimittit, & id ſolum agit ut Liberis ſuis immorigeris benefaciat. Omni propterea tempore ea Religionis fictæ alicujus placita maximum habuerunt adplauſum, quibus Deum Juſtum Judicem peccati oſorem eſſe negatum fuit, ut ſit merus Amor atque Bonitas erga peſſimas etiam Creaturas ſuas. Eandem etiam ob cauſſam DIPPELII *Demonſtratio Evangelica* multis tantopere arridet, idque eo magis, quia Eccleſiæ Proteſtantis tam Doctores, quam hac de re Doctrinam, modo maxime odioſo ſtyloque ſatyrico propoſuit, quod hominibus carnalibus non poteſt non quammaxime placere. β Patet quid in primis in controverſia cum Dippelianis agendum; demonſtranda nimirum ipſis eſt Juſtitia Dei punitiva, ſatisfactionisque pro peccatis inde fluentis *neceſſitas*; hoc ſi non facias laterem lavabis, ſi vel cumulum dictorum Satisfactionis *veritatem* probantium ex Litteris S. aſſeras. Si enim Adverſarius Dogmatis hujus *neceſſitatem* non agnoſcit, vix ac ne vix quidem ipſum eo adduces ut ejus veritatem credat. Optime propterea feciſſent ii qui ex profeſſo DIPPELII refutarunt placita, ſi prius vel ex ſolis rationis principiis Juſtitiam punitivam Deo eſſentialem, & inde fluentem abſolutam Satisfactionis neceſſitatem demonſtraſſent,

sent, adeoque ratiocinia ratiociniis oppositissent ; facilis deinde etiam fuisset veritatis Dogmatis hujus ex S. Scriptura probatio. Agnitio enim necessitatis rei alicujus fidei viam præparat.

§. CXCVII.

Cum neget DIPPELIUS Justitiam punitivam Deo essentialem in peccatore manifestandam (§. 196.), neque alium Perfectionis divinæ quam Bonitatis ejus erga Creaturas rationales, quocunque in statu illæ sint, exercitium admisit ; hypothesi ipsius adversum omnino fuisset, si statuisset, primarium atque ultimum Creationis hujus Universi finem fuisse manifestationem Gloriæ divinæ, hoc est, *omnium divinorum Attributorum à rationalibus creaturis agnitionem eorundemque celebrationem* ; hoc enim si admisisset DEMOCRITUS CHRISTIANUS, Justitiæ quoque divinæ, quæ cum reliquis Dei Attributis etiam ad totius Divinitatis complexum, id est Gloriam, pertinet, manifestationem atque exercitium admittere debuisset ; contendit propterea nullum alium finem Deum in Universi hujus creatione habere potuisse, quam ut creaturis extra se, semet ceu Bonum summum atque immensum communicaret, nihil propterea Deum facere posse, quam quod summæ suæ atque immensæ Bonitatis atque Amoris testimonium est.

Sic se CHRIST. DEM. in defensione *Demonstrationis Evangelicæ* exprimit : „ *Gott, das allerhœchste und von Liebe überfliessende Wesen, „kan in der freyen Schœpffung anderer Geister auf„ser sich, kein ander Intent gehabt haben, als sich „in seiner Seligkeit mitzutheilen und bekannt zu „machen. Aus dieser Mittheilung folget freylich „dessen*

„*dessen Ehre und Hochachtung bey vernünfftigen*
„*Creaturen von sich selbst. Wer aber sagen woll-*
„*te, dass Gott, das sich selbst genugsame und*
„*hœchstselige Wesen, directe durch die Schœpffung*
„*und primario oder per se seine Ehre und Verherr-*
„*lichung intendiret; der leget dem Hœchsten einen*
„*Character bey, den auch selbst die vernünfftige*
„*und tugend-liebende Heyden, vor vitios und*
„*elend erkannt, als bey denen es eine ausgemachte*
„*Maxime war, gloriam nunquam propter se ex-*
„*petendam.*

§. CXCVIII.

Ubi Justitia punitiva locum habet, ibi etiam Judex sit oportet, ubi vero Judex est, ibi etiam Legislator, & ubi Legislator, ibi quoque Lex ejusque sanctio obtinet. Et contra ubi Lex ibi Legislator, & ubi Legislator ibi Judex, ubi vero Judex ibi etiam Justitia distributiva locum habeat oportet; qui ergo unum ex his negat, etiam alterum neget oportet. Quoniam itaque CHR. DEM. Justitiam Dei punitivam negat (§. 196.), etiam Legem cum Legislatore Judicemque summum negare debuit. Statuit propterea: neutiquam præcipuum Dei finem esse, ut à Creaturis rationalibus ceu summus Dominus atque Legislator agnosceretur, neque proprie Deum Legislatorem dici posse, sed Legem ejus nonnisi CONSILIA MEDICA esse.

Demonstr. Evang. pag. 93. dicit: „ *Die Unter-*
„*weisungen und Consilia medica, wie unser verdor-*
„*bener Geist wiederum müsse sein bestes suchen,*
„*nennen wir, nach hergebrachtem Gebrauch Ge-*
„*setze, und den Artzt selbst einen Gesetztgeber,*
„ - - *denn Gott gibt, nicht als ein Herr und*

„*Souverain, der vor sich Gehorsam fordert, son-*
„*dern als das hœchste Gut, das sich dadurch selbst*
„*will mittheilen, Gesetzte oder Rathschlæge.* pag.
„157. *Gott das hœchste Gut hat als Schœpffer und*
„*Beherrscher Himmels und der Erden, niemalen*
„*wegen seiner selbst denen Creaturen Gesetze ge-*
„*stellet, und gleichsam seiner eigenen Ehre dadurch*
„*zu rathen, oder in den Gehorsam aller Creatu-*
„*ren seinen Ruhm zu gründen, - - sondern allein*
„*zu diesem Ende, dass die Creatur entweder vor*
„*dem Fall bewahret, oder nach dem Fall zur Rück-*
„*kehr und Wiedererlangung des verlohrnen Gutes*
„*ermuntert würde.* Eandem ob causſam DIPPELIUS Legem amoris Dei & proximi nonnisi consilium esse dicit. *Consil. Med.* pag. 9. n. 5. pag. 12. n. 12.

§. CXCIX.

Cum Deo nec Justitia punitiva competat (§. 196.), nec adeo finis ipsius sit ut se ceu Dominum summum, Legislatorem atque Judicem exhibeat, nec propterea etiam Legem proprie sic dictam tulerit (§. 198.); consequitur: coram Deo etiam *non dari* posse *Peccatum proprie sic dictum* sive Legis transgressionem, indeque orientem Majestatis divinæ læsionem sive offensionem; ubi vero nullum est peccatum, ibi etiam nec locum habet *Remissio* sive *condonatio peccati* propter læsam sive offensam Dei Majestatem sive transgressionem Legis ipsius; adeoque *nec Pœna* propter divinæ Legis prævarication*em* atque Majestatis offensionem locum habere potest. Unde omnia ea quæ pœnæ aut Iræ divinæ rationem habere videantur nonnisi in creaturarum sensu fundata esse dicit; ut, si Deus ex mero ac summo amore

amore per ingrata remedia sive medicamenta creaturæ bonum ac felicitatem quærat, creaturam punire putetur.

Vide *Demonstrat. Evang.* pag. 50. num. 122. 123. 124. ubi inter alia dicit: „ *Ob auf diesen* „*Grund* (perversi nimirum Judæorum de ira „Dei erga Peccatores conceptus) *nicht alles* „*fürnehmlich beruhe, was in der Schrifft von Ver-* „*gebung der Sünden, vom Sündopfer und derglei-* „*chen zu lesen?* Et pag. 150. *Ob Christus schon,* „*weil das Volck, worunter er gebohren, von Gott* „*und seinem Wesen verkehrte Concepten von Ju-* „*gend auf gefasset, als ob er ein erzœrnter Rœcher* „*und Richter wære, ihnen auf Seiten Gottes Ver-* „*gebung der Sünden verspricht, so folget doch de-* „*ren keines daraus.* Vide etiam pag. 85. 86. „Item pag. 220. *Ich admittire in Gott selbst kei-* „*nen Zorn und Rach-Gerechtigkeit. Dann ich* „*diesen Unterscheid zwischen Liebe und Zorn allein* „*in dem Gefühl der Creatur, und gar nicht in* „*Gott selbst zugestehe: Es bleibet dann nach die-* „*sem Gefühl die Creatur die nicht folgen will, un-* „*ter dem Zorn, weil sie sich einbildet, Gott der als* „*ein liebreicher Medicus durch wiedrige Medica-* „*menten ihr bestes sucht, zœrne mit ihr, und wird* „*durch Christum erlœset von diesem Zorn, oder* „*wiedrigem Gefühl, so bald sie ihn annihmt, und* „*durch ihn das Reich der Sünden in ihr zerstœh-* „*ren lœsset.* Si DIPPELIUS nonnisi id negaret quod *Ira* affectum aliquem in Deo significet, nos consentientes haberet; sed uti ex his quæ allegavimus & reliquis patet, omnem plane pœnæ rationem negat.

§. CC.

Cum Adversarius neget: Justitiam Dei punitivam ejusque exercitium (§. 196.). Legisque per peccatum transgressionem, Majestatisque divinæ offensionem, adeoque etiam peccati pœnam, ejusque remissionis necessitatem (§. 199.); cadit etiam ex hac hypothesi *Satisfactionis* pro peccatis necessitas, alienæque Justitiæ *imputatio*. Unde CHRIST. DEMOCR. totam Ecclesiæ Protestantis de Christi pro nostris peccatis satisfactione, de Justitiæ illius per fidem imputatione, de gratuita peccatorum propter Christi meritum remissione sive Justificatione, Doctrinam pernegat, eamque per integram suam *Demonstrationem Evang.* oppugnat atque perstringit.

„*Ob die Expressionen der Schrifft: Versœhnung,*
„*Erlœsung, Gnadenthron, &c. nicht wider den*
„*Sinn der Schrifft so wohl, als wider die Sachen*
„*selbst, sehr verkehrt auf dergleichen falsch conci-*
„*pirte Satisfaction und deren Imputation gezogen*
„*werden; da nicht Gott, sondern die Welt durch*
„*Christum mit Gott versœhnet werden muss.* Demonstr. Evang. pag. 34. n. 82. adde pag. 50. 51. n. 124. 125. nec non pag. 105. ubi ita:
„*Verdienst und Genugthuung Christi, Stillung des*
„*Zorns Gottes, Erfüllung des Gesetzes an unser*
„*Statt, sind absurde Concepte.* pag. 112. item
„pag. 192. *Wir leugnen allerdings und sagen frey-*
„*müthig, dass es eine erschrœckliche Erfindung*
„*des Teufels sey: dass Christus; indem er das vom*
„*Vater ihm aufgetragene Versœhnungs-Amt über-*
„*genommen, unsere Sünden, vermœge einer soge-*
„*nannten Zurechnung, getragen, und unsere*
„*Schwachheit auf sich genommen, um selbige, ver-*

mœge

„mœge eben einer solchen Zurechnung, wegzuneh-
„men. pag. 211. 212. Wann dieser Christus auf-
„ser uns nur vor einen Heyland wird angesehen,
„der das Gesetz ausser uns, an unser statt, soll er-
„füllen, vor unser Uebertrettung dem erzœrnten
„Vater genug thun, und diesen Gehorsam uns zur
„Seligkeit zurechnen lassen, so gestehet Democritus
„franchement, dass er nicht nur einen solchen Chri-
„stum verwerffe, sondern ihn auch, als einen Ver-
„sucher und Sünden-Diener, detestire, durch den
„nicht nur die ganze Religion ridicul gemacht, son-
„dern auch das Wesen Gottes selbst unter lœsterli-
„chen Ideen vorgestellet wird. pag. 230. Dass
„Gottes Gerechtigkeit und Barmherzigkeit einen
„Mittler nœthig gehabt, sind nicht nur Fragen,
„Nœniæ, theatralische Gauckelpossen, sondern gar,
„wann man sie genau erweget, Gotteslœsterungen.
„Ibid. Wir wollen glauben, dass der hohe Artic-
„kel von der Satisfaction, Versœhnung und impu-
„tirten Gerechtigkeit, eine Schwester oder Tochter
„des fleischlichen oder bestialischen orthodoxen Un-
„verstandes sey. pag. 217. Der stroherne Artickel
„von Christi Verdienst und dessen Zurechnung ist
„ein pures Figment des verdorbenen Fleisches &c.
„Consentit Vindex ejus in Præfatione ad
„Christ. Democr. redivivum; dicens: Hieraus
„aber hat er ferner erwiesen, dass die Lehre der
„Protestanten von der Satisfaction oder Genugthu-
„ung, welche der Heyland, ihrer Meynung nach,
„der Gerechtigkeit Gottes durch sein Leiden und
„Sterben habe leisten müssen, um Gott wieder mit
„dem Menschen zu versœhnen, das ist, ihm den
„Hass und Zorn, so er gegen dieselbe, wegen ih-
„res Abfalls, gefasst, zu benehmen, und ihn dem
„menschlichen Geschlecht wieder günstig zu machen:

„Daſs, ſag ich, die Proteſtantiſche Satisfactions-„Lehre, ſamt der damit verknüpfften Lehre von „der zugerechneten Gerechtigkeit Chriſti, nicht al-„lein grundfalſch und irrig, ſondern auch dem „Weſen Gottes verkleinerlich, und anbey dem Reich „Gottes in uns hœchſt ſchædlich und nachtheilig „ſey, weil dadurch das Reich der Sünden und des „Teufels keineswegs zerſtœret, ſondern vielmehr be-„fœrderet und befeſtiget werde.

§. CCI.

Quoniam ex hypotheſi Dippeliana nulla Satisfactio pro peccatis locum habet, nec adeo Sacrificium Chriſti expiatorium fuit (§. 200.); hinc negandum erat, quod Sacrificia Veteris Teſtamenti ſuam ad Chriſti Sacrificium habuerint relationem, ut in fide in Meſſiam peracta Deo placuerint, adeo rationem typicam geſſerint.

Demonſtr. Evang. pag. 240. 241. „*Ich ſage, daſs „der gantze ceremonialiſche Gottesdienſt unter den „Juden nach der Intention Gottes gar nicht ange-„ordnet geweſen, Chriſtum und die Güter des „neuen Bundes zu præfiguriren, oder fürzubil-„den; - - Daſs aber der ganze Plunder des ce-„remonialiſchen Gottesdienſtes mit allen ſeinen Op-„fern und æuſſerlichen Figuren, nicht nur nichts „Geiſtliches bedeute, nach der erſten Einſetzung, „ſondern noch dabey von Gott aus dringender „Noth vor ein dummes und abgœttiſches Volck mit „Eckel und Verdruſs, ſo zu reden angeordnet wor-„den, - - - hat Spencer zur Genüge dargethan.* „pag. 273. *Paulus hat den Levitiſchen Gottes-„dienſt gegen die Intention Gottes zum Typo des „neuen Bundes gemacht.* Auctor *Chriſt. Dem. re-*

„*divivi*

„*divivi* in Præf. dicit: *Weil nun des Democriti*
„*Gegner sonderlich auf die Opfer des A. T. sich be-*
„*ruffen und vorgaben, daſs Gott selbige hauptsæch-*
„*lich darum eingesetzt und befohlen habe, um das*
„*blutige Opfer Christi damit vorzubilden, wobey*
„*der Opferende allezeit seinen Glauben auf das be-*
„*deutete Gegenbild hætte müſſen richten: so leug-*
„*nete Democritus, daſs die Opfer des A. T. zu*
„*diesem Zweck wæren eingesetzet worden, und for-*
„*derte man sollte solches beweisen. Man hielt*
„*ihm dannenhero den Apostel Paulum in der Epist.*
„*an die Hebr. entgegen, der gleichwol selbsten*
„*aus den Schuld- und Sünd-Opfern ein Vorbild*
„*auf Christum gemacht habe. Er antwortete aber:*
„*Dieses seye von dem Paulo nur geschehen per al-*
„*lusionem & accommodationem, das ist Gleichniſs-*
„*weise und den Juden zu gefallen.*

§. CCII.

CHRIST. DEM. non negat Christum aliquando vixisse, Hierosolymis docuisse, sub Pilato passum & mortuum esse (*in defensione Demonstr. Evang.* pag. 182.), & quidquid fecit in nostrum bonum feciſse (*Demonstr. Evang.* pag. 210. 211.): Quoniam autem inficiatur id ad divinæ Justitiæ satisfaciendum factum esse (§. 200.), alia hujus rei ratio danda fuit. Unde statuit Christum ad nostram à peccatis liberationem in humana sua natura nihil aliud factu opus habuisse, quam ut in ea, per virtutem Spiritus Dei, peccati illecebras pravasque cupiditates vinceret atque necaret, nobisque exemplo suo præiret, spiritusque sui vim communicaret, ut ea induti exemplum ejus sequamur, eodemque modo cor-

ruptionem pravasque cupiditates ſuperemus uti ipſe fecit. Chriſtumque adeo nullo alio *ſenſu* quam *medico* noſtrum Salvatorem dici poſſe.

Nemo unquam Proteſtantium, ſive Auguſtanæ Confeſſioni addictus ſit, ſive Reformatus, negavit (quod ubique falſo DIPPELIUS ipſis imputat) Chriſtum nobis non ſolum *Juſtitiam* ſed & *Sanctitatem* factum eſſe, ut per vim Spiritus ipſius, in nobis viventis, magis ac magis à carnis cupiditatibus purgemur, vitam Dei vivamus, ſine qua nemo cum Deo communionem habere poteſt. Nemo negavit Chriſtum ſolum atque unicum *Medicum* eſſe, qui hominibus ægrotis, lethaliterque vulneratis, remedia dare peſtiferumque eorum ſpiritualem morbum ſanare poſſit: ita ut in æternum nobis pereundum eſſet, niſi ipſe in nobis viveret. Nec quisquam negavit, quod & nos, ſi ſalvi velimus fieri, Chriſti exemplum debeamus ſequi, peccati illecebras vincere, carnis cupiditates ſubigere, quodque omnibus viribus, virtute Spiritus Chriſti indutos, ad eandem quam Chriſtus habuit, perfectionem tendere nos oporteat. Sed omnes qui ſincere Proteſtantium fidem profitentur, cum S. Litteris aſſerunt duplex malum hominem peccato ſibi accerſiviſſe, *reatum* ſcilicet & *maculam*, cui duplici malo, duplice etiam remedio opus ſit, ad prius tollendum poſtulato Legis ſatisfaciendum fuiſſe; ad poſteriori medendum Regeneratione atque Sanctificatione opus eſſe, cujus nonniſi per communionem cum Chriſto participes fieri poſſumus. Dum ergo Proteſtantes unum ſtatuunt, alterum propterea minime excludunt.

§. CCIII.

Ideo circa Liberatoris opus Salutisque negotium hic DIPPELIO ſtat animus: Chriſtum humanam ſuam naturam, ſive carnem & ſanguinem noſtrum, ex lapſa debilitataque hominis maſſa aſſumſiſſe (*aus der geſchwächten Maſſe der gefallenen Menſchen*, Demonſtr. Evang. pag. 22. n. 44.), infirmiorem propterea Chriſtum quam Adamum ante

ante lapsum fuisse (*Es war in Christo noch etwas mehr von Gebrechlichkeit als in Adam selbst zu finden*, pag. 275.) ; Christum non nostra suscepisse peccata, sed potius incitationes ad peccata & ad defectionem à Deo in carne sua infirmata sensisse (*Er ward in diesem Fleische von dem würcklichen Anfall aller Sünden versucht*, pag. 22. n. 46. & pag. 162.) ; ut plane possibile fuerit, ut & Christus non minus ac primus Adamus laberetur & actu à Deo deficeret (pag. 22. n. 46. & pag. 255.); ἐπιθυμίας carnis, sive mali concupiscentias in se nihil peccaminosi esse, cum tales jam Adamus ante lapsum habuerit, adeoque illas nec in Christo peccati rationem habere (pag. 188. 348. 349.); Eum in carne sua actu ab omnis generis peccatis fuisse tentatum, sed nunquam ipsius voluntatem iis consensisse, ut actuale peccatum nullum commiserit (pag. 162. 163.); Uti vero Christus ipse virtute Spiritus divini in ipso habitantis, omnibus actualibus carnis concupiscentiis atque ad actuale peccatum incitationibus restitit, easque superavit, ita *ab una parte* ceu Medicus experientissimus omnibus hominibus consulit, ut exemplum suum sequantur, atque per eundem processum, quo ipse, omnia peccata vincant. *Ab altera parte* promittit : Se omnibus hominibus, si modo accipere velint, de medicamento sive panacæa Spiritus sui communicaturum, ut & ipsi à peccati morbis sanari & ad Dei communionem pervenire possint. Et hoc sensu Christum pro nobis passum & mortuum dici. Quisquis autem per fidem se Christo ceu Medico committit, ut omnia hæc in homine operetur, is magis ac magis justus, id est, sanctus fiet, quod Apostolus

hac phrasi significare vult, quando dicit: *Credenti fidem in justitiam reputari.* Hoc vero si in præsenti vita non perficitur, etiam post hanc vitam, propter immensam Dei erga Creaturas suas bonitatem, adhuc plenariæ purificationis atque sanationis spes supereſt, dum homines per varios ignis judiciorum divinorum gradus pro magnitudine corruptionis, purgari atque sanctificari possunt (Dem. Evang. pag. 27. num. 61. & pag. 53. pag. 114.).

Ne in allegatione verborum Auctoris nimis prolixi simus, ea solum adducemus quæ ad modum quo Christus nos salvat pertinent. Pag. 35. num. 84. „ *Die Erniedrigung war dem* „*Heylande, als Heyland, absolute nœthig, in seiner* „*eigenen angenommenen Menschheit, als Hertzog* „*der Seligkeit, den Durchbruch durch das gantze* „*Reich der Finsterniß zu eröffnen, und zugleich* „*seinen Brüdern den Proceß zu zeigen, in welchem* „*sie allein mit ihm zur Herrlichkeit kœnnen einge-* „*hen, und in welchem er selbst dasjenige in ihnen* „*vollführen will, was er in seiner eigenen Person* „*vollführet hat.* pag. 101. 102. *Gott erscheinet* „*in der Menschheit selbst als das hœchste Gut, und* „*als ein Artzt, alle selig und gesund zu machen,* „*und sein Reich in den Menschen zu etabliren.* „*Dann weil er sie nun wolte in der That von ihren* „*Feinden erretten, und ewig gluckselig machen,* „*so mußte er nothwendig sich und seine Seligkeit* „*selbst ihnen mittheilen, und folglich in ihnen woh-* „*nen, oder sie seiner eigenen Natur theilhaftig ma-* „*chen, ausser welcher keine wesentliche Seligkeit ist.* „*Um aber ihnen den Weg zu diesem Heyl desto le-* „*bendiger und nachdrücklicher fürzubilden, so klei-*

„*det*

„det sich die ewige Weisheit selbst sichtbarlich in ei-
„ne menschliche Person ein, wandelt als ein ande-
„rer Mensch unter denen Menschen, lehret sie den
„lebendigen Weg, aus dem Abfall wieder aufzuste-
„hen, und das Ewige zu suchen, mit Weisheits-
„vollen und gœttlichen Worten, bahnet ihnen auch
„den Weg, und wandelt ihn vor ihnen her, mit
„nachdrucklichem Exempel, und führet endlich
„diese angenommene und zum Erstling oder Hert-
„zog der Seligkeit erwehlte Menschheit durch alles
„Leyden und den schmœchlichsten Tod hindurch
„zur gœttlichen Herrlichkeit. pag. 163. 164.
„Was nun Christus in dem von ihm angenommenen
„eigenen Fleisch vollbracht: solches hat eben dem-
„selben, und keinem andern Fleisch, oder dem hier-
„zu sonderlich auserschenen Supposito des mensch-
„lichen Geschlechts insonderheit, überflüssiges Heyl,
„Glorie, und so zusagen, ein unermeßliches Maß
„der Seligkeit oder Gemeinschafft mit Gott, zuwe-
„ge gebracht, und denen übrigen, die die Seligkeit
„ererben sollen, nicht allein die Urquelle der ewi-
„gen Seligkeit eröffnet, sondern ihnen auch zu-
„gleich Mittel und Wege gezeiget, wie die durch
„den Fall verlohrne Seligkeit und Gemeinschafft mit
„dem hœchsten Gut nothwendig, und wie es die
„Sache selbst unumgœnglich erfordert, wieder ein-
„geführet, und durch Christum, als nunmehr das
„Haupt und der Hertzog derer, die da selig wer-
„den sollen, wieder hergestellet werden müsse. Er
„hat also, indem er vor uns, oder wie die Schrifft
„redet: ὑπὲρ ἡμῶν, nicht ἀντι ἡμῶν für uns, das
„ist zu unserem Besten, und nicht bloß an unser
„statt alles gethan und gelitten, und sein ihm von
„Gott auferlegtes Amt im Fleisch erfüllet, da er
„nemlich das angenommene Fleisch auf den hœch-

„sten

„sten Gipffel der Seligkeit und Glorie gestellet, und „zum Haupt eines geistlichen Leibes erhoben, von „welchem hiernächst allen und jeden, die in eben „diesem Weg der Verleugnung ihrer selbst einen „gantzen Kampf erkämpffen, durch den lebendig„machenden Einfluß des innigst in uns gegenwär„tigen Heylandes alle Seligkeit wahrhaftig mitge„theilet werden soll. pag. 374. Wir werden durch „Christum gerecht und selig, indem er in uns lebet, „und uns seiner Göttlichen Natur theilhafftig „macht. - - Gerechtmachen, heisset dann in dem „Evangelio so viel, als fromm und heilig machen.

§. CCIV.

Optime scivit CHRISTIANUS DEMOCRITUS quod hypotheses suæ cum S. Scripturæ verbis minime consentiant, ut argumenta gravissima ex Libris Sacris desumta, & contra placita ipsius allata, solvi minime possent, si simplex admittatur Scripturæ sensus verborumque significatio, qualem usu communi habent. Hinc ne erroris convinci posset ex clarissimis Scripturæ effatis, hanc sibi finxit S. Scripturam interpretandi Regulam: *Multas propositiones ac notiones, in Litteris S. contentas, veritati consentaneas minime esse, errori atque falsis plebis conceptibus accommodatas, unde & Christus Apostolique Gentilium Judæorumque præjudiciis Doctrinam suam attemperaverint, quo facilius hominum salutem promovere possent.*

Demonstr. Evang. pag. 74. 75. „ *Die Creatur „hat in ihrem blinden Urtheil noch andere Eigen„schafften Gott angedichtet, und glaubet er sey - - „gerecht und eiferig, bloß darum, weil man seinen „Willen nicht thue; und die heiligen Schrifften ac„com-

„commodiren sich auch nach diesem Begriff der „Blinden und Elenden, bilden Gott für als einen „Herren, der um sein selbst willen Gesetzte gege„ben, und Gehorsam erfordere, &c. pag. 49. „Viele Propositiones und Notiones der Schrifft ex„primiren die Sachen, nicht wie sie vor Gott und „einem erleuchteten Verstande in der That sich be„finden, sondern wie sie dem schwachen Begriff „und blœden Verstande des einfœltigen Volcks am „besten kœnnen beygebracht werden, aus welchen „Notionen auf die Sache selbst einen Schluß zu for„mieren, niemals der Weisheit und gesunden Ver„nunfft gemæß ist. pag. 70. 71. Die Heilige „Schrifften sind Zeugnisse von Gott und seinen „Wercken, aufgestellt von Menschen Gottes, oder „solchen die Gemeinschafft mit Gott gehabt; ande„re Menschen zu unterrichten, wie sie sich so wohl „Zeitlich als Ewig vergnügt und glückselig machen „kœnnen. Diesen Zweck zu erhalten, lehren sie „eben nicht speculative Wahrheiten, oder philoso„phische Notiones und Concepten von den Sachen „selbst genommen, sondern appliciren vielfœltig die „schon recipirte menschliche und irrige Concepten „denen Sachen die sie wollen kund machen. pag. „50. Ob dieser Irrthum (nimirum de Justitia „Dei punitiva) gleichwie er von Gott im alten „Bund zum besten des unartigen Volcks ist gedul„tet worden, nicht auch so wohl von Christo selbst „als seinen Jüngern im neuen Bunde zuweilen zu„gelassen und toleriret worden, auch auf solchen „Begriff, viele Expressiones im Gebrauch geblieben, „die der Wahrheit der Sachen zwar nicht gemæß, „aber doch in damahligen Umstœnden bequem wa„ren, die Zuhœrer zum Heyl zu beförderen, gleich„wie sie auch noch heut zu Tage kœnnen nütz-

„lich

„*lich seyn, durch beygebrachte Affecten der Furcht*
„*und Hoffnung, die Schläffrigen aufzumuntern?*
„*Ob auf diesen Grund nicht alles fürnemlich beru-*
„*he, was in der Schrifft von Vergebung der Sün-*
„*den: von Sünd-Opfer und dergleichen zu lesen?*

§. CCV.

Eandem ob causſam contendit: Proprie Chriſtum ſolum fuiſſe infallibilem (*Dem. Ev.* p. 71.); Apoſtolos autem docentes & ſcribentes infallibiles neutiquam dici poſſe, quod ex eo pateat, dum & ipſi inter ſe contenderint: neque Apoſtolis præ aliis Chriſtianis, ratione infallibilitatis, ullam competere prærogativam, imo abſurdum plane eſſe, ſi quis veritatem ex eorum Scriptis haurire, eaque ſingularem fidei ac vitæ ſuæ normam conſtituere velit. Hac ratione CHRIST. DEM. Argumenta eludere velle videtur, contra ipſum ex Apoſtolorum Scriptis allata. At altera parte etiam ſibi majorem conciliare voluit fidem, quod Doctrinam ſuam non ex S. Scriptoribus ſed ex ipſo primo veritatis fonte habuerit.

Dem. Evang. pag. 71. ſeq. „ *Daß die heiligen*
„*Schrifften, wie wir ſie jetzt in der Bibel haben,*
„*allein als canoniſche Bücher ſind angenommen,*
„*und zur Richtſchnur der Concepten ſo wohl, als*
„*des Wandels geſetzt worden, iſt Irrthum und*
„*Menſchen-Betrug, weilen Gott und ſein Geiſt*
„*nicht aufhœren, in dem Menſchen zu wohnen,*
„*und folglich gœttliche Reden und Schrifften durch*
„*ſie zu ſtellen, und es ohne dem an ſich ſelbſt ab-*
„*ſurd iſt, die Wahrheit aus Schrifften, als ihren*
„*erſten Brunnen zu ſchœpffen, da doch die Schrifft-*
„*ten ſelbſt allezeit die weſentliche Wahrheiten in*
„*den*

„dem Schreiben zum Grunde gehabt, und folglich „nicht ein Baum und Wurtzel, sondern ein Frucht „der Wahrheit sind; der Baum aber, oder die „Quelle, nemlich Gott und sein Geist, jetzt eben „so nahe sind, als sie denen Propheten und Apo„steln gewesen, wo wir nur in ihren Fußstapffen „wollten einhergehen, und Gott samt seinen ewigen „Gütern über alles lieben und suchen.

§. CCVI.

Cum Libri sacri, in Bibliis nostris contenti, nec infallibilis, nec adeo unica etiam ac vera rerum ad Salutem scitu factuque necessariarum norma esse possint; aliud veræ Religionis principium statuendum fuit, ex quo ad Salutem scitu necessaria cognosci queant: unde quatuor Revelationis genera DIPPELIUS statuit (Demonstr. Evang. p. 94. 95.); *infimum* genus est illud, quo *bonum* nonnisi ex aliorum Scriptis cognoscimus; *alterum* genus est immediata Spiritus divini collustratio, **Eine Einstrahlung des Geistes Gottes selbst, an unser verständlich Theil und innere Sinnen.** Quæ Revelatio universalis est, nec ullum præterit hominem. *Tertium* genus fit per Ministerium sanctorum ac bonorum Spirituum in mente nostra operantium. *Quartum* genus fit per homines adhuc viventes, qui ad magnum incrementi novæ Creaturæ gradum pervenerunt, **in denen sich Gott schon als das höchste Gut offenbaret.**

§. CCVII.

Ita S. Scripturæ dignitati non solum multum detrahitur, sed absoluta ejus necessitas plane rejicitur, dum reliqua Revelationis genera longe nobiliora

biliora sunt ; propterea statuitur : Historias illas, in Libris S. contentas, de Christi in humana natura apparitione, de ejus passione, morte ac resurrectione &c. sine Salutis detrimento ignorari posse ; Unde & ipsi Patres, tempore Veteris Testamenti viventes, sine cognitione passionis ac mortis Messiæ per universalem in Deum fidem salvi facti.

Demonstr. Evang. pag. 166. „ *Christus wird in „uns, und nicht ausser uns, oder wie ihn bloß die „Historie nach seinen, in dem angenomenen Fleisch „vollbrachten Thaten abbildet, ein Geheimniß des „wieder eröffneten Heyls, und eine Hoffnung dem, „der was er ausser ihm, in seinem Fleisch gethan, „nicht einmahl mehr hat kennen wollen, sondern „ihn einig und allein in dem Werck der neuen „Schœpffung zum Ziel gehabt. - - - Wer diesen „Weg zum Heyl durch Christum in uns - - hat „betretten lernen - - wird noch vielmehr in Chri„sto und seiner Gemeinschafft antreffen, als er er„schnappen wird, wann er erst an 1700 Jahre in „der Historie will zuruck lauffen, und sich damit „trœsten, was zur selben Zeit einmahl mit Christo „zu Jerusalem passiret ist, und diese Zuversicht zur „Freude des Teuffels den seligmachenden Glauben „nennen.* De fide fidelium Vet. Test. vide Dem. Evang. pag. 182.

§. CCVIII.

Quoniam Scriptura S. non infallibile ac unicum rerum ad Salutem credendarum faciendarumque, sive salutaris cognitionis principium statuitur, sed dentur alia melioraque Revelationis genera (§. 206.) ; hinc DIPPELIUS sua non ex

Libris

Libris sacris, sed ex ipso veritatis fonte, sive universali ac immediata divina Revelatione hausit; Id autem præcipue egit, ut, mente sua Luce divina ita collustrata, ex reliquiis veritatum ab Apostolis traditarum, divinas veritates in ordinem redegerit, rationique humanæ clare proposuerit, quod ante ipsum vix quisquam fecerit.

Demonstr. Evang. pag. 69. ita de seipso CHRISTIANUS DEMOCRITUS ait: „*Wir nehmen unser Zeugniß aus dem wesentlichen Schatze der Wahrheit und Glauben, und bekennen dieses nicht*„ *weil wir es gelesen, sondern weil wir es wissen, ob wir schon noch nicht alles nahe besitzen. Wer dieses uns nicht zutrauet, der komme und sehe, was hier zu finden, und zeige alsdann, wo es sonst anzutreffen, oder von welchem Felde diese Blumen gesammlet, und so in ihrer natürlichen Ordnung rangirt gestanden. In defensione Demonstrationis Evangelicæ.* pag. 246. ita sese explicat: *Ich bin mir wohl bewußt, wie weit ich von dem Ziel noch entfernet seye, welches jene heilige Zeugen Jesu Christi in ihrem Leben erreichet; also kan ich in meinen Schriften den Grad der Unfehlbarkeit und der göttlichen Eingebung nicht zeigen; den jene gehabt, und noch in ihren reliquiis darlegen. Wann aber von der Ordnung, Connexion und Deutlichkeit derer aus ihren Schrifften im Licht Gottes zusammen gezogenen, und auch der Vernunfft begreifflich gemachten heylsammen Wahrheiten bloß die Frage wære, so kæmten vielleicht einige seyn, die mir einræumten, daß ich, wo nicht der einige, doch einer der fürnehmsten mit sey, der in dem göttlichen Licht die Grund-Wahr-*

„heiten von denen biß hieher eingeführten Irrthü-
„mern vindiciret, und denen Ungelehrten so wohl
„als Gelehrten, die einen guten Willen haben, über-
„zeuglich vorgebildet.

§. CCIX.

Ex iis quæ nunc ex primaria DIPPELII hypotheſi deduximus ipſius Syſtema facile intelligi poteſt. In adducendis Auctoris verbis paulo prolixiores fuimus, ne ei aliquid affinxiſſe videri poſſemus; tranſimus nunc ad ſyſtematis Fanaticorum Dippeliique refutationem.

A nobis conceſſa.

§. CCX.

Summa omnis Controverſiæ, quæ inter nos atque Fanaticos, Pſeudo-Myſticos, Dippeliumque intercedit, ad duo redigi poteſt rei Capita. *Alterum* verſatur circa *Principium* cognoſcendi veram Religionem; *alterum* vero circa *modum quo per Chriſtum ſalvamur.*

§. CCXI.

Principium Religionem cognoſcendi, quod attinet: Illi præter S. Scripturam aſſumunt *Lucem internam* cuivis homini *congenitam*, quæ etiam ſola, absque Revelatione ſcripta, hominem ſufficienter ad Salutem erudire poſſit. Nos vero fidei noſtræ unicam regulam agnoſcimus *Revelationem divinam* in Veteris ac N. T. *Libris* contentam.

§. CCXII.

Concedimus autem α. cuivis homini innatam quandam Lucem ineſſe, Conſcientiæ nimirum, quæ

quæ lux imaginis divinæ reliquias efficit. β. Asserimus Lucem illam omnes homines erudire ut pie erga Deum ac proximum, sobrie ac caste erga semetipsos vivant in hoc seculo, & ad consequendam veram felicitatem nitantur. γ. Docemus, ad salutariter cognoscendas cœlestes Veritates Lucis divinæ sive Spiritus S. illuminatione opus esse, sine qua nec S. Scriptura recte intelligi potest.

§. CCXIII.

Firmiter vero tenemus α. Lumen illud naturale, non modo peccati atque corruptionis tenebris ita obfuscatum esse ut in plurimis cœcutiat, nec veritatem ubique perspicere possit; sed illud cognoscendæ veræ ad Salutem viæ, postquam lex per carnem infirma facta est, non sufficiens esse; ut divina opus fuerit revelatione, quæ nos de medio salutis, quo peccator à miseria liberari & cum propria salute ad Dei gloriam vivere posset, erudiret. β. Revelationem autem illam certis hominibus à Deo ad id electis datam, in solis Veteris ac N. T. Libris contentam esse credimus, ut adeo Scriptura S. sit unicum nostrum salutaris cognitionis Principium.

§. CCXIV.

Modum vero Salvationis per Christum quod attinet: agnoscimus etiam α. necessitatem Christi IN NOBIS, ut nemo Christi *extra se* particeps esse queat, nisi qui habet Christum *in se*. β. Unde ad Salutem consequendam absolute necessarium est, ut Christus per fidem habitet in cordibus nostris; per cujus communionem homo vitam Dei vivere, & fructus sanctimoniæ ferre po-

teſt, ſine quibus Deum nemo viſurus eſt. γ. Aſſerimus & nos viam purgativam & illuminativam, ſi ad Dei communionem pervenire velimus, omnino neceſſariam eſſe.

§. CCXV.

Sed in ſequentibus contra ab Adverſariis noſtris, cum quibus nunc nobis res eſt, differimus α. Quod præter Chriſtum *in nobis* etiam Chriſto *extra nos* opus eſſe aſſerimus, Quod β. cognitio Chriſti *extra nos* ſive Fides hiſtorica, licet ad Salutem neutiquam ſufficiens, tamen utilis & neceſſaria ſit. γ. Quod Chriſtus nobis nontantum ſit Medicina ſeu medicamentum nos à peccati corruptione purificans, ſed quod etiam loco noſtri poſtulato Legis ſatisfecerit, ut nobis factus ſit nontantum ſanctificatio ſed & juſtificatio per remiſſionem peccatorum. Ut ergo ad tollendam omnem peccati miſeriam atque ſequelas, Chriſto *in nobis* & *extra nos* omnino opus ſit.

Hypotheſeos Fanaticorum, Pſeudo-Myſticorum ac Dippelii refutatio.

§. CCXVI.

Cum inſtituti mei ratio poſtulat, ut in refutatione prima Syſtematis Adverſariorum fundamenta atque principia, ſive hypotheſin eorum primariam deſtruam, eandem etiam in hoc Capite obſervabimus methodum. Quoniam itaque *Fanatici Lumen* quoddam cuivis homini *connatum ſufficiens Religionis peccatoris principium* faciunt, qui Syſte-

Systematis eorum error primarius est (§. 14.), nobis I. demonstrandum venit, Lucem illam veræ Salutis viæ cognoscendæ sufficiens Principium, post lapsum hominis in peccatum, non esse. Et quoniam hac ratione Adversarii non modo de S. Scripturæ pretio ac dignitate multum detrahunt sed ejus necessitatem rejiciunt; hinc II. Necessitas illius adstruenda, illamque unicum Religionis Peccatoris Principium esse ostendendum est. Cum porro ex Fanaticorum & Pseudo-Mysticorum hypothesi sequatur, posthabita S. Scriptura, Fidem Historicam ad Salutem consequendam necessariam non esse; Propterea III. necessarium est, cognitionem Christi extra nos, ejus Personæ, Doctrinæ, Operum, Passionis, Mortis ac Resurrectionis, omnino necessariam esse. Quia CHRISTIANUS DEMOCRITUS statuit, Finem Creationis hujus Universi nonnisi Bonitatis divinæ manifestationem esse, quam Creaturis communicare vult (§. 197.); Opus est ut IV. ante omnia probetur Deum reliquas etiam Perfectiones, sive universam suam Gloriam patefacere voluisse. Et quoniam πρῶτον ipsius ψεῦδος est Justitiæ punitivæ Deo essentialis negatio; inde V. probandum: hanc Dei Perfectionem ipsi Essentialem adeoque absolute necessariam atque indispensabilem esse. Et ut veram peccati naturam, quæ in Legis divinæ transgressione consistit, adeoque etiam peccati pœnam negare possit, asserit Legem divinam proprie nonnisi consilium esse; hinc VI. contrarium etiam contra ipsum stabiliendum est. Et cum ex hypothesibus hisce Satisfactionis necessitatem, alienæque Justitiæ Imputationem oppugnat; hinc denique absoluta

necessitas ostendenda, ut Legis postulato loco Peccatoris satisfiat, si cum Deo conciliari velit.

Propositio I.

§. CCXVII.

Lumen naturale, cuivis homini connatum, post primi hominis lapsum, ad cognoscendam veram salutis viam, & ad æternam felicitatem Deique communionem perveniendum insufficiens est; adeoque Religionis Peccatoris Principium esse nequit.

§. CCXVIII.

Id vero patet tum ex universali experientia, tum ex Fanaticorum sententiæ periculo, tum ex Verbi scripti existentia, ejusque necessitate, tum denique ex clarissimis S. Scripturæ testimoniis.

§. CCXIX.

Propositionem nostram α. probari dicimus ex universali experientia. Si nimirum Lumen illud naturale ad summam felicitatem obtinendam sufficeret, deberet esse perfectum; Perfectum vero id dicimus quod omnia habet requisita, quæ fini, ad quem res aliqua est, obtinendo sufficiunt. Universalis autem Eperientia testatur, omnes illos qui divina Revelatione, quam nunc lit-

teris

teris consignatam possidemus, destituti erant prolapsos esse, *aut* in turpissimam Superstitionem absurdissimaque Idololatriæ genera, ut Gloriam immortalis Dei ad imagines similes hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium transtulerint, adeoque nec veram Dei cognitionem habuerint, nec ipso modo divinas Perfectiones decente coluerint: *Aut*, quod p urimis Philosophorum contigit, in Atheismum; Inde licet Gentiles Lumen illud naturale habuerint, nihilominus Paulus illorum tempora χρόνους τῆς ἀγνοίας appellat. Actor. XVII. 30. Patet Lumen illud cuivis homini connatum, nec vero Deo cognoscendo, nec ipsum recte colendo sufficiens esse. Cum vero Religionis Finis is sit, ut homo Deum recte cognoscat atque colat, & hac ratione ad Dei communionem perveniat, sive ut homo cum propria salute possit vivere ad Dei glorificationem. Finis vero hic, per solam illam connatam Lucem, teste experientia universali, obtineri nequit, adeoque illa imperfecta atque insufficiens est.

§. CCXX.

Neque habent Adversarii cur multa hic eorum hominum exempla excipiant, qui sola illa interna ac naturali luce Deum salutariter cognoverint atque coluerint; uti S. Litteræ Melchisedecki, Abimelechi Regis Geraris, Jobi, atque Jethronis Mosis Soceri mentionem faciant, nec non in N. T. Cornelii. Afferant exempli caussa Epictetum, Chrysippum, Antisthenem, Diogenem, Socratem, Zenonem aliosque plures; nihil tamen ad tuendam rem suam efficiant: Priores enim Revelatione divina non erant destituti,

quam aut per Traditionem à majoribus, aut immediate à Deo acceperant. Posteriores vero, qui Gentilium fuerunt Philosophi, nihil præstiterunt, quantacunque visa sit virtus eorum philosophica, quod naturale conscientiæ dictamen superet; talem vero cuivis homini inesse lucem facile concedimus (§. 212.).

§. CCXXI.

Alterum quod nobis probandum venit hoc est: *Adversariorum de Luce interna, Religionis peccatoris principio, sententiam periculosam esse.* Quodcunque enim placitum, dubiam, vagam, ac incertam, imo nullam Religionem introducit, illud hauddubie periculosum est. Fanaticorum vero hypothesis quamvis hominis imaginationem cerebrique figmentum pro lucis divinæ suggestione agnoscit; Quoniam autem imaginationes illæ non in variis modo hominibus, uti quotidiana constat experi ntia, variæ sunt, sed in eodem etiam homine diversis temporibus differunt, non potest non ejusmodi Religionis principium vagam ac incertam introducere Religionem; Si enim Religionis norma varia est, non potest non ipsa Religio variari, ut alia sit huic homini alia alteri, imo diversis temporibus eidem homini diversa. Et eo magis Fanaticorum Religio dubia eft atque incerta, si nulla habetur certa ac immutabilis Regula, juxta quam varia verbi illius sive lucis internæ suggestiones explorari possunt. Ubi vero Religionis principium dubium est ac incertum, ibi nec sciri potest, quænam sit vera Religio, quæ unica est, siquidem Religiones falsæ nulla Religio sint; Ex hypothesi ergo Fanaticorum, quæ dubiam vagam ac incertam

facit

facit Religionem, introducitur nulla Religio; unde *non poteſt non eſſe quammaxime periculoſa.*

§. CCXXII.

Falſitas hypotheſeos Adverſariorum porro *ex ipſa Verbi ſcripti exiſtentia* patet; ſupponimus nimirum, quod plurimi etiam Fanaticorum concedunt, eos S. Scripturæ divinitatem admittere. Si nimirum ſola illa Lux atque Verbum internum, cuivis homini innatum, ſufficeret, alio Religionis principio atque regula opus minime eſſet, ſed fruſtranea illa foret: dum primum illud principium Lucis connatæ, obtinendæ ſalutari cognitioni ſufficiens, perfectum eſſet; conſequitur Deum aliquid ſupervacaneum atque fruſtraneum feciſſe, dum nobis Revelationem etiam Litteris conſignatam tradidit; valet enim in operibus etiam divinis regula illa: Quod fieri poteſt per pauca fruſtra fit per plura. Cum autem Deus nihil poſſit fruſtra facere, patet ipſum etiam nec Verbum ſcriptum nobis fuiſſe traditurum, ſi Lux illa interna ſola ſuffeciſſet. Ex eo ergo quod Verbum ſcriptum nobis à Deo traditum fuit, liquet: Lucem internam illam ſufficiens cognitionis ſalutaris principium non eſſe.

§. CCXXIII.

Probatur etiam Theſeos noſtræ veritas *ex Revelationis illius divinæ in S. Scriptura contentæ neceſſitate.* Demonſtratum autem à nobis fuit (Cap. III. Sect. XI. XII. XIII.) pro iſto, in quo nunc mortales verſantur rerum ſtatu, ſi homines felices fieri debeant, cognitione medii ſalutis opus eſſe, illam autem non aliter quam per immediatam Revelationem divinam, quæ in S. contine-

tur Litteris nobis pateſcere. Patet inde; Fanaticorum principium minime ſufficere, dum verum Liberationis noſtræ medium per illud non patefiat.

§. CCXXIV.

Ipſa denique S. Scriptura hac in re optimus teſtis eſt. Conſiderant Litteræ S. α. hominem, qualis natura eſt ceu tenebras; *Eratis olim*, inquit Paulus, *tenebræ nunc Lux in Domino facti eſtis*, Eph. V. 8. Et Gentiles ante Evangelii annuntiationem *in tenebris mortis* degiſſe dicuntur. Matth. IV. quod dici minime poſſet, ſi Lux illa interna cuivis homini innata ſufficiens ſalutaris cognitionis principium eſſet. Loquitur *porro* Apoſtolus Paulus *de Sapientia* illa divina, *quam deſtinaverit Deus ante ſæcula ad noſtram Gloriam.* 1. Cor. II. 7. ſeq. & de illa dicit, *principes ſæculi eam non cognoviſſe, nec oculum hominis eam vidiſſe, nec aurem audiviſſe, nec animum cogitaſſe, quæ præparavit Deus ſuis Amatoribus, nobis vero eam Deum per Spiritum ſuum revelaſſe.* Si autem interna illa Lux omnium hominum menti indita, ſufficiens cognitionis ſalutaris principium eſſet, eam ante ejus per Spiritum Dei Revelationem incognitam fuiſſe Apoſtolus neutiquam aſſerere poſſet. γ. Idem Apoſtolus profitetur 2. Cor. III. 5. *nos ex nobismet ipſis boni quidquam ne quidem cogitare poſſe.* Si vero homo natura ex ſemetipſo nihil boni cogitare poteſt, oportet Lumen illud natura ipſi inditum ad ſalutarem cognitionem ſufficiens non eſſe, falſum alias hoc eſſet quod Apoſtolus dicit. Et ſi δ. Chriſtus dicit, *Diſcipulis ſuis datum eſſe, noſſe myſteria Regni cœlorum, reliquis vero datum non eſſe.* Matth. XIII. 11. indicat Myſteria Regni cœlo-

rum,

rum, sive cognitionem salutarem, omnibus hominibus datam non esse, ut adeo multi sint qui hac notitia, adeoque sufficiente ad salutem cognitione, destituantur. Discipuli vero Christi eam ex orali ejus institutione, adeoque per verbum externum perceperant. Nec minus ꝛ. huc tendit quod Christus Petro dicit Matth. XVI. 16. 17. *Caro & sanguis hoc non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Per carnem & sanguinem hoc in loco POIRETUS recte intelligit omnes hominis facultates naturales; cum vero illæ, ejusmodi notitiam, de qua hic sermo est, producere non possint, sequitur nec Lumen illud internum natura homini inditum hoc præstare posse, sed eodem cognitionis medio opus esse, quod Apostoli habuerunt, Revelatione scilicet Patris cœlestis. Habebat nimirum Petrus cum reliquis Apostolis testimonium illud Patris cœlitus demissum, de Filio suo testantis; *Hic est Filius meus dilectus:* cui divino testimonio, verbo externo facto, cum per virtutem Spiritus S. fidem adhibuit Petrus, etiam hic dicere potuit: *Tu es Christus Filius Dei;* quod testimonium deinceps in Monte Transfigurationis ad confirmandos Apostolos repetitum fuit. Quæ ratio est cur Christus dixerit, Patrem in cœlis hanc veritatem revelasse, ut illam, per Lumen internum illud, menti hominis connatum, minime habuerint.

Propositio II.

§. CCXXV.

Sacra Scriptura unicum Religionis

nis Peccatoris Principium est; Adeoque illa non modo Peccatori utilis sed omnino necessaria est.

§. CCXXVI.

Aut Adversarii hi S. Scripturæ divinam originem negant, aut ejus divinitatem asserunt? si prius faciant, iisdem contra ipsos utimur argumentis, quibus veritatem hanc suo loco adversus omnes Antiscripturarios adstruximus. Si vero admittant Libri hujus divinam auctoritatem, omnia etiam ea agnoscent argumenta, quæ ex eo ad tuendam Thesin nostram proferri possunt. Unde cum jam in præcedentibus divinam Scripturæ S. originem demonstravimus, ex ea nunc quoque pro ejus perfectione atque necessitate nobis argumentari licet.

§. CCXXVII.

S. Scripturam unicam fidei nostræ regulam atque principium esse cognoscitur α. ex eo quod illa sola id præstat quod homini peccatori ad salutem scitu necessarium est, quodnam nimirum sit verum Liberationis medium, & qua ratione ejus participes fieri possimus? Illa sola etiam iis gaudet requisitis quæ divina Revelatio habere debet; quod utrumque (Cap. III. Sect. XIV.) à nobis demonstratum est. Neque unquam probare poterunt Adversarii, Lumen illud internum, omnium hominum menti inditum, ea omnia nos docere quæ ad consequendam salutem scitu necessaria sunt, & quibus homo ita confidere potest, ut certus esse queat, se à miseria sua liber-

liberatum iterum ad Dei communionem perventurum esse. Et cum Lumen illud, quod tantopere jactitant, in diversis hominibus adeo diversum sit, ut plane contraria in Deum cognoscendi atque colendi modo suggerat, probare non poterunt, illud universalem fidei nostræ constituere regulam; quidquid enim contradictorium est, illud nec Deum Auctorem habere, nec certum fidei nostræ principium esse potest.

§. CCXXVIII.

Inde β. etiam probatur nostra thesis, quod in ipsa S. Scriptura ad eam solam ablegamur quoties de vera ad salutem via quæstio est. Jubet nimirum optimus Salvator eam *scrutari*, siquidem non sine ratione Judæi existimaverint se vitam æternam in ea reperire, cum illa de Christo testetur, Joh. V. 39. qui solus Via, Veritas ac Vita est. Joh. XIV. 6. vide etiam Esajæ VIII. 20. Et finis Scripturæ S. est productio Fidei in Christum, teste Johanne dicente Joh. XX. 31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Dei Filium: utque credentes vitam per ejus nomen adipiscamini.* Si autem Lumen sive Verbum internum sufficisset, ut Apostolus suum Evangelium litteris mandaret minime opus fuisset. Eandem ob caussam Paulus felicem prædicat Timotheum quod *à puero S. Litteras didicerit, quæ ipsum possint erudire ad salutem per fidem Jesu Christo habendam. Omne enim scriptum divinitus inspiratum, utile est ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad justitiæ disciplinam, ut compositus sit divinus homo, ad omne recte factum bene comparatus.* 2. Tim. III. 15. 16. 17. Quibus verbis Apostolus ostendit quisnam unicus eorum fons sit, quæ ad salutem creditu

ditu necessaria sunt, neque alium quam hunc solum agnoscit atque prædicat. Idem etiam testatur Petrus Apostolus 2. Epist. I. 19. ubi Lumen illud in obscuro hominibus lucens Verbum scriptum esse asserit, dicens: *Habemus firmum propheticum Verbum, in quod recte facitis quod estis intenti, tanquam in lucentem obscuro loco lucernam.*

§. CCXXIX.

Denique 7. sub gravi comminatione à Deo ad solam Legem scriptam ablegamur, neque quidquam ei addendum præcipitur. *In Legem & testimonium inquirant, hoc nisi faciant non videbant auroram. Es. VIII. 20.* Et cum Epulo dives ab Abrahamo peteret ut Lazarum mitteret Fratribus suis in vita adhuc superstitibus prædicatum, non respondit Abrahamus, habent Lucem vel Verbum internum; *Sed habent Mosen & Vates, eos audiant.* Lucæ XVI. 29. Adde his clausulam Librorum N. T. Apoc. XXII. 18.

§. CCXXX.

Cum itaque sola S. Scriptura ea contineat, quæ homini peccatori ad Salutem scitu necessaria sunt (§. 227.), & nos in illa ad eam solam ablegemur in iis rebus ubi de vera ad Salutem via quæstio est (§. 228.); neque illi quidquam addendum, aut aliud Religionis principium agnoscendum sit (§. 229.): Sequitur: Eam unicum Religionis peccatoris principium esse, adeoque lectionem ejus non modo utilem, sed omnino necessariam esse.

Pro-

Propositio III.

§. CCXXXI.

Cognitio Christi extra nos, & Fides de illo historica, ad Salutem necessaria est.

§. CCXXXII.

Ad consequendam nimirum æternam Salutem & cum Deo communionem Fides salvifica absolute necessaria est; ad Fidem vero salvificam requiritur cognitio Christi extra nos & fides historica, hæc vero ex solis Sacris Litteris habetur; E. si cum Deo habere volumus communionem & salvi fieri cupimus, Fides historica cognitioque Christi extra nos omnino necessaria est, quod nunc per partes probandum.

§. CCXXXIII.

Fidem in Christum, si salvi velimus fieri, omnino necessariam esse, sequentia probant Sacræ Scripturæ dicta Marci XVI. 16. *Qui crediderit servabitur - - qui non crediderit, condemnabitur.* Joh. III. 36. *Qui filio fidem habet, vitam consecuturus est sempiternam. Qui vero filio non credit, is vitam non videbit, sed ei imminet ira divina.* Act. XVI. 31. Gal. V. 6. *In Christo Jesu - - non valet nisi fides per charitatem efficax.* Sic. Joh. XX. 31.

§. CCXXXIV.

Cognitionem autem historicam Christi extra nos, sive notitiam illius Personæ, officiorum, passionis ac mortis ad fidem salvificam necessariam esse

esse probatur α. Ex Evangelii prædicatione. *Vadite*, inquit Christus, *doctum omnes Gentes, eosque baptizate in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti, docentes eos exsequi, quæcumque vobis præcepi.* Matth. XXVIII. 19. vel uti Marcus habet Cap. XVI. 15. *Ite in totum orbem, prædicate Evangelium omnibus creaturis.* Unde Apostoli *prædicabant Christum crucifixum.* 1. Cor. I. 13. *Et magnum Pietatis mysterium est, quod Deus apparuerit in carne, per Spiritum commendatus, Angelis conspectus, gentibus prædicatus, in mundo creditus, & receptus in gloriam.* Si autem non necessaria esset Christi extra nos cognitio fidesque historica, inutilis etiam Evangelii, Christum crucifixum annuntiantis, prædicatio fuisset; eaque Christus Discipulos facere jussisset, quæ ad Salutem minime sunt necessaria.

§. CCXXXV.

β. Fidem historicam, sive cognitionem Christi extra nos ad Fidem salvificam necessariam esse Apostolus Paulus expresse hisce testatur verbis Rom. X. 9. *Hæc est, quam de fide publice habemus orationem: quod si & ore Dominum Jesum confessus fueris, & à Deo ex mortuis excitatum animo credideris, servabere. Nam & animo creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad Salutem.* Quibus verbis indicatur 1. *Confessionem oris* ad fidem necessariam esse, quæ vero absque cognitione historica Christi extra nos locum habere nequit. 2. Cum corde credendum sit Jesum Christum ex mortuis suscitatum esse, hoc vero absque cognitione Christi passi, mortui & deinde suscitati fieri nequeat; patet etiam ex hoc, fidem de Christo historicam ad salvificam requiri.

Cogni-

§. CCXXXVI.

Cognitionem vero historicam Christi extra nos nonnisi ex S. Litteris hauriri posse, liquet ex sequentibus Pauli verbis, quando Capite citato versu 16. 17. *Esajas enim dicit: Domine quis credidit orationi nostræ? Ergo fides est ex auditione, auditio autem ex divino Verbo.*

§. CCXXXVII.

Quoniam itaque fides salvifica ad Salutem absolute necessaria est (§. 233.); Ad fidem vero salvificam necessario prærequiritur cognitio historica de Christo mortuo ac suscitato (§. 234. 235.); illaque ex S. hauritur Litteris. Sequitur: *Cognitionem Christi extra nos, & fidem de illo historicam ad Salutem necessariam esse.*

Propositio IV.

§. CCXXXVIII.

Justitia punitiva Deo Essentialis, adeoque absolute necessaria est.

§. CCXXXIX.

Propositio hæc demonstrata à nobis fuit Cap. III. inde à §. 553. usque ad §. 648.

Rationibus contra eos pugnandum, qui Attributum hoc divinum Deo Essentiale inficiantur, dum vel S. Scripturæ de hac re dicta miserandum in modum torquent, eaque quæ clarissime ex S. Litteris probantur negant; vel cum CHRISTIANO DEMOCRITO ea solum errorem ac præjudicium plebis esse dicunt, ut Deus præconceptis vulgi opinionibus sese accommodaverit, reliquaque in Litteris S. contenta huic fundamento superstruxerit.

Sed quid si concederemus DIPPELIO, finem primarium, propter quem Deus Universum hoc condidit, non Justitiæ suæ punitivæ, sed Bonitatis suæ Creaturis communicandæ manifestationem fuisse, nihil tamen contra Doctrinam nostram efficere poterit quisquis placitorum ipsius defensor sit. Negare enim nemo poterit α. malum triste sive malum aliquod physicum semper sequi malum morale; Ut si homo versetur in statu moraliter imperfecto, ipsum semper comitetur malum triste. β. Per ipsam Dei Bonitatem cum Sapientia administratam aliter fieri non posse, quam ut homo sua culpa in statu imperfectionis moralis constitutus, à Dei communione atque vita abalienatus sit, quem statum non potest non malum triste sequi, non obstante ipsa Dei Bonitate cum Sapientia administrata. γ. Quod si homo iis mediis uti nolit, quæ ipsi Deus pro summa sua munificentia præscribit, illi semper in statu moraliter tristi versandum sit. Cum vero malum triste ob malum morale immissum pœna vocetur (Cap. III. §. 567); Bonitas vero Dei cum Sapientia administrata dicatur Justitia (§. 566. Cap. III.), per ipsam adeoque divinam Justitiam pœna sequatur malum morale, patet Adversarios ex propria sua hypothesi concedere debere, Deum actu exercere Justitiam suam, si vel concedatur ejus manifestationem non primarium Creationis Universi finem esse.

Alia autem quæstio est, an malum triste, sive pœna, ita indivulso nexu malum morale sequatur, ut Deus salva sua perfectione, quam justitiam adpellamus, absque compensatione dissensus per Legis violationem orti, malum triste à malo morali sejungere queat, peccatumque impunitum dimittere, quod proprie in hac Propositione nostra IV. quæritur? Id autem fieri non posse Cap. III. Systematis nostri Sectione VI. de divina Justitia & Sectione XI. à nobis demonstratum est.

Pro-

Propositio V.

§. CCXL.

Lex divina non potest esse merum Consilium.

§. CCXLI.

Demonstrationem vide Cap. III. §. 831.

Propositio VI.

§. CCXLII.

Satisfactio pro peccatis est indispensabilis & absolute necessaria.

§. CCLXIII.

Demonstrata est hæc Thesis Cap. III. §. 906. 907.

Ex S. Litteris contra DIPPELIUM ejusque Asseclas pugnare velle, inutile fere esse jam supra indicavimus. Ne tamen probationi nostræ ex ipsis Rationis principiis desumtæ aliquid desit, præcipua adhuc ex S. Litteris proferemus argumenta, quæ, nisi data opera ccecutire aut S. Scripturam ludibrio habere velimus, clarissime probant, Christum loco nostri pœnam subiisse & pro nostris peccatis satisfecisse.

§. CCXLIV.

Illustre hujus rei testimonium extat Jesajæ LIII. 4. 5. *Profecto infirmitates nostras ipse tulit, & dolores nostros portavit; nos autem reputavimus eum, plaga adfectum, percussum à Deo, & adflictum; & ipse vulneratus est, propter prævaricationes nostras, attritus propter scelera nostra, castigatio pacis nostræ super*

per ipso, & in livoribus ejus sanati sumus. Dictum hoc de passionibus Jesu Christi agere apud omnes eos in confesso est, qui Librorum N. T. divinam auctoritatem admittunt. Adplicatum enim Christo ab Apostolis fuit. Matth. VIII. 17. Actor. VIII. 32. 1. Pet. II. 24. Ad quem Esajæ Locum nihil habent Adversarii satisfactionis quod regerant, quam quod cum GROTIO statuunt, de alio proprie sermonem fieri, uti de Jeremia, & ad Christum nonnisi per allusionem aut accommodationem quandam applicari; ut & CHRIST. DEMOCRITUS ea quæ Apostoli de Sacrificiis V. T. ad Christum adplicant, nonnisi per allusionem fieri contendit. At nullo effugium hoc nititur fundamento, sed expresse Auctores sacri, de Christo ibi sermonem esse, commemorant.

§. CCXLV.

Sequitur Johannis Baptistæ de Christo testimonium, Joh. I. 29. *Ecce Agnus Dei qui Mundi peccata tollit.* Quæ verba aliter quam de peccati expiatione atque satisfactione explicari nequeunt. Nec alio sensu Christus Mundi peccata tulisse dici potest. Et phrasis hæc hac significatione sumta in S. Litteris frequens est; dicitur ex. gr. de eo qui blasphemum non indicaverit: *Feret peccatum suum,* quod idem est, imputabitur ipsi peccatum. Levit. V. 1. Et de eo qui Sororis suæ nuditatem retegit: *Ferto peccatum suum.* Lev. XX. 17. Victimæ etiam expiatoriæ *iniquitates offerentium portare dicuntur*, Lev. X. 17. Quia ipsorum sanguis pro anima hominis est, Lev. XVII. 11. Nec refponsionem meretur Socinianorum & HUGONIS GROTII effugium, *tollere peccata* idem esse quod *mundare animam*, cujus nobis Christus in se exem-

exemplum præstiterit. DIPPELIUS vero diceret hæc tantum secundum erroneam vulgi opinionem in S. Litteris dici ; sed hac ratione nullius amplius veritatis certi esse possemus, nam de omnibus eodem modo, quæcunque nobis non placerent dicere possemus, ea nonnisi juxta præconceptas vulgi opiniones à S. Scriptoribus dici.

§. CCXLVI.

Nec aliter quam de satisfactione peccatorumque expiatione explicari possunt Pauli verba 2. Cor. V. 18. 19. 21. *Qui nos sibi reconciliavit per Jesum Christum - - quippe quum Deus esset in Christo, mundum sibi reconcilians, eis non imputans eorum peccata. - - Qui peccati ignarum pro nobis sontem effecit, ut in eo nos fieremus justitia Dei.* Hæc iterum de Christi Doctrina & exemplo explicare velle, quo nos docuerit qua ratione ex peccatorum sordibus emergere possimus, quomodo Sociniani & cum illis DIPPELIUS omnia ejusmodi testimonia torquent, plane absurdum est. Quis enim unquam de Magistro vel Doctore nobis Doctrina vitæque probatæ exemplo prælucente propterea dixerit ; Ipsum pro nobis peccatum vel sacrificium pro peccatis factum esse, peccata nostra ferre, crimina nostra expiare, redemtionis pretium pro nobis solvere &c.

Vide hac de re REINBECKII *tractationem theologicam de Redemtione per lytron*, ubi etiam subterfugia confutat, quæ hic cum Socinianis quærit CHRISTIANUS DEMOCRITUS in libello cui titulus est : *Apostolischer Wegweiser zur wahren Gerechtigkeit.*

§. CCXLVII.

Omni autem exceptione majus est testimonium Johannis 1. Epist. II. 2. dicentis : καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι, & *ipse propitiatio est pro peccatis nostris, non tantum autem pro nostris, sed & pro totius mundi.* Eodem etiam modo Paulus dicit : Christum factum esse ἱλαστήριον *per fidem in ipsius sanguine.* Rom. III. 25.

GROTIUS quidem in Annotat. ad 1. Joh. II. 2. dicti hujus sensum ita pervertit : ἱλασμός *pro* ἱλαστής *more hebræo*, & ἱλάσκειν *facere ut cessent peccare. Sensus enim est : vires præstat, ne peccemus in posterum.* Longe tamen aliter loquitur Vir hic celebris in *defensione fidei catholicæ, de satisfactione Christi*, Cap. VII. pag. 144. seq. ubi ita habet : *Notissimum est, iram alicujus avertere, id dici græce*, ἱλάσκεσθαι, εἰρηνοποιεῖν, καταλλάσσειν, ἀποκαταλλάσσειν, *latine* placare, pacare, conciliare, *aut* reconciliare, *item* propitiare. *Tum actus ipse, tum id, quo proprie actus peragitur, Græcis* ἱλασμος, *Latinis* placamen *dicitur. In Deo Ira, ut supra diximus, adpellatur* ἀνθρωποπαθῶς *puniendi quasi affectus : quam Apostolus ait retegi, sive revelari cœlitus, in omnem impietatem atque injustitiam hominum, ut, qui veritatem in injustitia detineant, hoc est, cognitis Dei mandatis reluctentur. Nemo autem excipitur, cum omnes simus natura filii iræ, hoc est, iræ divinæ obnoxii. Hæc ira supra quosdam manet*, Joh. III. 36. *super quos non manet, ab iis avertitur. Hanc aversionem Christus sua morte* impetrat, *ideoque* placamen *rectissime dicitur. Sic eum bis adpellat Johannes Apostolus, cum dicit :* Si quis peccavit, advocatum habe-

habemus apud Patrem, Jesum Christum illum innocentem; & ipse est ἱλασμος pro peccatis nostris; neque vero pro nostris tantum, sed & pro peccatis totius mundi; 1. Epist. II. 2. *Item:* in eo sita est dilectio, non quod nos Deum dilexerimus, sed quod ipse dilexerit nos, & filium suum miserit, ἱλασμον pro peccatis nostris; Cap. IV. 10. *Cum quo loco conferendus est iste Paulinus:* Commendat Deus suam caritatem, quod, cum peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis est mortuus; Rom. V. 8. *Uterque enim tam Paulus, quam Johannes, eodem Argumento probant, non priores nos dilexisse, sed dilectos à Deo; & quod Paulus dicit* mortuum esse, *hoc Johannes vocat*, placamen *esse factum. Addendus præterea locus ille Pauli:* Justificamur gratis: per redemtionem in Christo Jesu, quem Deus proposuit ἱλαστηριον per fidem in sanguine ipsius; Rom. III. 24. 25. *Factus est ergo Christus* ἱλασμος *sive* ἱλαστήριον *in sanguine suo, quod quid est aliud, quam id ipsum, quod negat Socinus, placatum à Christo Deum? Nam quod* ἱλασμὸν *apud Johannem expiationem interpretatur, expiationis autem voce peccati destructionem intelligit, id facit nulla de caussa, nullo munitus exemplo.* Ἱλασκειν *apud Græcos Scriptores omnes, poëtas, historicos, alios, est placare, soletque construi cum accusativo designante personam, cujus ira avertitur: Nec aliter apud LXX. interpretes & Luc. XVIII.* 13. *usurpatur.* Hucusque HUGO GROTIUS.

§. CCXLVIII.

Omittendus hic non est locus Matth. XX. 28. Marci X. 45. Ubi dicitur venisse Christus δι-

ναι τὴν ψυχὴν αὐτῶ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, ut det animam ſuam, ſive ponat vitam ſuam *loco* multorum. Miſere propterea DIPPELIUS hallucinatur dum pag. 164. *Demonſtrat. Evang.* contendit: extare quidem in Scriptura, quod Chriſtus ὑπερ ἡμῶν, minime vero, quod ἀντι ἡμῶν omnia fecerit & paſſus ſit.

§. CCXLIX.

Hisce, quæ hactenus allegavimus, quæque ſatisfactionem extra omnem dubitationem ponunt, ea adhuc addi debent Scripturæ S. loca, ubi ἀντιλύτρου, λυτρωτεως, ἀπολυτρωτεως mentio fit, uti 1. Tim. II. 6. Eph. I. 7. Col. I. 14. 1. Pet. I. 18. 19. ut & ἀγορασμου 1. Cor. VI. 20. Gal. III. 13. 2. Pet. II. 1. aut denique καταλλαγῆς Rom. V. 8. 9. 10. 2. Cor. V. 18. 19. Eph. II. 16. Col. I. 20.

Objectionum ſolutio.

§. CCL.

Ad tres claſſes referri poſſunt ea argumenta, quibus Adverſarii hi cauſſam ſuam tueri conantur. *Prima claſſis* eas continet *objectiones* quibus Lumen illud cuivis homini connatum ſufficiens Religionis Principium probare volunt. *Altera claſſis* ea reſpicit, quæ pro verbo illo ſubſtantiali ſive Chriſto in nobis afferuntur. Ad *tertiam* autem *claſſem* eæ pertinent difficultates, quæ ad impugnandam ſatisfactionis pro peccatis tam neceſſitatem quam veritatem moventur.

§. CCLI.

Ad probandum Lumen internum ſufficiens Religionis Principium, ad propriam I. cujusvis conſci-

conſcientiam ac experientiam provocant. Ita enim Auctor Libri, cui titulus eſt *Fides & Ratio collatæ*, qui cum PETRI POIRETI præfatione editus eſt. §. 150. *Et revera*, inquit, *ita eſſe, ſemenque iſtud divinum, ex infinita gratuita Dei miſericordia nobis inſeminatum, vel eo ſolo argumento conficitur, quod absque bono in nobis, & luminoſo principio, ne ullam quidem bonam cogitationem habere, multo minus bonum perficere poſſemus à nobismetipſis, hoc eſt, facultatibus noſtris ſibi ſolis, & vacuis luminoſo ſuo objecto relictis.* Et §. 152. *Quibus adſtipulari debet, ſuo modo, ſuaque menſura uniuscujusque experientia, niſi palam profiteri maluerit, ſe omnem ſenſum pietatis, pudoremque exuiſſe, omniumque vitiorum eſſe peſſimum receptaculum.*

§. CCLII.

Reſpondemus *α.* nos naturale Conſcientiæ Lumen non negare, quod homini dictat, quid juſtum vel injuſtum, quid honeſtum vel inhoneſtum ſit? quod de hominis actionibus ſententiam fert, vel abſolvit vel condemnat, vel impellit vel retrahit. Unde facile auctori citato concedimus quæ dicit §. 229. *Nonne*, ait, *vel nequiſſimus læſæ conſcientiæ clamores quam ſæpiſſime effugere nullo modo poteſt? velit, nolit, & accuſatorem & teſtem, & judicem intra ſemet audire cogitur. Nonne tanto divinæ Juſtitiæ fulgore, & propriæ malitiæ ſenſu quandoque percellimur? ut, quo nos vertere neſcii, fateri debeamus: Juſtus es, Domine, & juſta ſunt judicia tua.* *β.* Negamus autem hoc Conſcientiæ dictamen ſive Lumen naturale ſufficiens Religionis principium eſſe, ut vera ſalutis via per illud cognoſci poſſit. Hoc eſt illud quod Adverſariis probandum eſſet, contrarium autem

ſupra demonſtravimus. 7. Quod autem ſtatuitur, absque luminoſo hoc in nobis principio nihil boni cogitare aut perfici poſſe; Reſpondemus adverſarios proprio ſe hic jugulare gladio; dicit nimirum Apoſtolus hominem nonniſi naturæ viribus pollentem in rebus ſpiritualibus, nec boni quidquam cogitare nec perficere poſſe. 2. Cor. III. 5. ſequitur igitur: hominem nec per naturale illud Lumen boni quidquam facere poſſe, ſed omnino ſupernaturalibus viribus ad id opus eſſe, & ſpeciali Spiritus S. illuminatione, præeunte Verbi divini luce.

Vide BUDDEI Inſtitut. Theol. Dogm. Lib. I. Cap. I. §. 15. pag. 11.

§. CCLIII.

OBJICIUNT 2. Omnium ſæculorum hiſtoriam ac præſentem ætatem, illuſtria inſignis pietatis, probatiſſimæque & nonniſi cœleſtis originis exhibere virtutis exempla. In medium proferunt, exempli cauſſa *Melchiſedekum*, *Abimelechum* Geraris Regem, *Jobum* ac *Jethronem* Moſis ſocerum, nec non *Epictetum*, *Chryſippum*, *Antiſthenem*, *Diogenem*, *Socratem*, *Zenonem* aliosque. Vide POIRETUM *Oecon. Div.* Lib. III. Cap. 13. pag. 749. ſeq. hanc vero objectionem jam ſupra (§. 220.) præoccupavimus.

§. CCLIV.

Nec quidquam præſidii pro Lumine ſubſtantiali homini connato inveniunt, in dicto Pauli 1. Cor. II. 9. ubi bona cœleſtia nobis per Spiritum Dei revelata dicuntur. Omnia enim in S. Litteris contenta per Spiritum Dei revelata ſunt; Imo

Imo idem ille Spiritus hoc amplius efficit, ut eos qui Verbo illo, à Prophetis & Apostolis prædicato, Litterisque consignato, utuntur, ac ex eo veram ad Salutem viam addiscere cupiunt, illuminet, faciatque ut cognitio ex illo hausta salutaris fiat. Et eoipso quod hoc Spiritus divini opus est, non naturali illi ac substantiali Lumini adscribendum.

§. CCLV.

Ad secundam classem eæ pertinent *objectiones*, quibus Verbum substantiale, sive Christum in nobis probare volunt. Huc α. referunt dictum Col. I. 26. 27. *Quod mysterium ab omni sæculorum decursu celatum, nunc patefactum est ejus sanctis, quibus voluit Deus declarare, quæ sit hujus glorioſi mysterii opulentia apud exteras gentes: qui CHRISTUS est IN VOBIS gloriæ spes.*

§. CCLVI.

Non negamus Christum modo spirituali in fidelibus operari, dum ipsis præsens est vi & efficacia Spiritus sui, per quem in ipsis vivit & operatur Gal. II. 20. At α. hic ne Verbum quidem de Christo unicuique homini innato mentio fit. β. Sermo est de Mysterio ab omni sæculorum ævo celato nunc vero patefacto; quod dici minime posset, si Christus aliquid substantiale uniuscujusque hominis menti inditum innatumque esset.

§. CCLVII.

Provocant β. ad dictum Petrinum 2. Ep. I. 4. *Propter quem* (scil. Christum) *ille nos eximiis, maximisque promissis donavit, ut per ea fiatis divinæ participes naturæ.*

Loqui-

§. CCLVIII.

Loquitur α. hic Petrus de variis bonis fidelibus donatis, quæ cum donentur ceu extraordinarium aliquod donum, non sunt naturalia & unicuique homini inde à nativitate ingenita, sed ab extra veniunt. β. Et cum homines demum per dona illa divinæ naturæ participes fiunt, & per Spiritus S. inhabitationem, vivificationem ac sanctificationem ad divinam imaginem restaurantur, sequitur; nec homines natura hæc possidere dona, nec divinæ naturæ participes esse; minime alias opus haberent, ut ejus demum participes fierent.

§. CCLIX.

Huc γ. trahunt dictum Rom. X. 8. *Verbum tibi prope est, tibi in ore est, & in animo.* Ubi verbum substantiale Christum in nobis Fanatici quærunt.

§. CCLX.

Sermo autem hic fit de Verbo Evangelii, quod Apostoli annuntiarunt, uti totus contextus id ostendit; de Verbo quod ore confitendum, de Verbo quod fide apprehendendum, de Verbo quod Christum extra nos à mortuis suscitatum respicit. Fanaticorum vero Christus nec in Evangelio annuntiatus est, dum in omnibus hominibus antea jam extitit; nec externa ejus confessione opus est; nec fide apprehenditur, dum natura hominis menti sive cordi inditus est; nec denique esse potest Christus qui à mortuis suscitatus fuit. Apparet nihil plane hic invenire Pseudo-Mysticos, quo causam suam defendere possint.

δ. Urgent

§. CCLXI.

δ. Urgent dictum Jacobi Cap. I. 21. *Comiter accipite implantatum sermonem, qui vestras animas servare potest.* Hic iterum Fanatici Christum verbum substantiale, quod natura nobis insitum sit, quærunt.

§. CCLXII.

Apostolus loquitur de Verbo quod demum comiter accipi debet, quod adeo non Verbum substantiale natura hominum animis insitum, sed verbum externum, fide accipiendum est. Et Verbum à nobis audiendum versu 19. 22. quod verbum externum in mundo prædicatum est, cujus sonus exiit in universam terram Rom. X. Est verbum quod facile oblivioni traditur. versu 24. 25. quod de nullo quam Verbo externo, per Evangelii prædicationem annuntiato intelligi potest. Insitum vero nobis illud est, quoad effectum salutarem, dum non modo altas in cordibus nostris agit radices, sed & fructus in nobis fert justitiæ & sanctitatis. Qui enim Jehovæ lege delectatur, de ea dies noctesque cogitans, est arbori similis ad aquæ rivum satæ, fructum suum suo ferenti tempore. Psal. I. 2, 3. Lex autem illa fidei non natura hominum cordibus insita est, sed vi promissionis novi Fœderis demum à Deo inscribitur. Jer. XXXI. 33. Hebr. VIII. 20.

§. CCLXIII.

Argumentum denique Fanaticorum achilleum est dictum Pauli Gal. IV. 19. *Filioli mei*, inquit, *quos iterum parturio, donec formetur IN VOBIS CHRISTUS.*

Duo

§. CCLXIV.

Duo hic occurrunt verba quæ rei emphaſin faciunt, nempe ὠδίνειν *parturire* & μορφωθῆναι *formari*. Eos vero quos ſe parturire dicit vocat *filiolos* ſuos. Vox ὠδίνειν ſenſu proprio accipi minime poteſt, eo minus quod Apoſtolus dicit ſe eos πάλιν parturire, quidquid autem paritur, nonniſi una vice paritur. Item nonniſi ſenſu ſpirituali Galatas filiolos ſuos Apoſtolus vocare poteſt. Qua autem ſignificatione verbum ὠδίνειν ſumitur, eadem etiam verbum μορφωθῆναι ſumatur oportet. Eodem igitur modo quo Paulus Galatas pariebat, eodem etiam modo Chriſtus in ipſis formari debebat. Modus autem quo Apoſtolus Galatas pariebat in hoc conſiſtit: quod cum Pſeudo-Apoſtoli Jeſum Chriſtum ſub alia plane forma Galatis ob oculos poſuerunt, quam Apoſtolus fecerat, id nunc maxima cum ſollicitudine, imo cum doloribus agit, ut falſam illam Chriſti imaginem atque formam in ipſis mutet & quaſi transformet, ut veram Chriſti formam, vivamque ejus imaginem in eorum cordibus reſtituat, eorumque animis imprimat. Chriſtus ergo in hominum animis concipitur atque formatur, ſi Chriſtum ceu talem Salvatorem qualis revera eſt, pro nobis natum atque in bonum noſtrum traditum vera fide accipimus, ut Doctrinæ ejus per veram fidem & exemplo ejus per ſanctam inculpatamque vitam ſimiles fiamus. Liquet ex hisce; non de ſubſtantialis Chriſti in nobis nativitate hic ſermonem eſſe, uti Fanatici putant; ſed ſpirituali plane modo hoc fit, uti ſpirituali etiam modo Apoſtolus Galatas parturiebat.

Vide

Vide WERNSDORFFII *Betrachtung der Redensart Christi in uns.* §. 20. pag. 41. seqq.

§. CCLXV.

Ad *tertiam* nunc *objectionum* progredimur *classem*, quæ difficultates, circa satisfactionis tam necessitatem, quam veritatem, motas, respicit. Cum DIPPELIUS *in Demonstratione Evangelica* congesserit, quidquid sophismatis contra hanc veritatem afferri potest, eum hic ducem sequemur, & ad argumenta ab ipso allata respondebimus.

§. CCLXVI.

Primo nimirum CHRISTIANUS DEMOCRITUS, quo satisfactionis necessitatem subruere possit, urget: Deum in Universi hujus productione eum solum atque præcipuum habuisse finem, ut nonnisi Bonitatem suam extra se in creaturis exerceret, seque ceu summum Bonum extra se communicaret. Deo autem quammaxime esse indignum si statuatur: primarium ejus in creando Universo finem propriam fuisse gloriam, quæ à rationalibus creaturis agnoscenda atque celebranda sit. Duo enim inde sequi absurda α. Deum gloriæ cupidum esse, quod & homini virtuti studenti vitio vertitur, minus adhuc Deo tribui potest. β. Si Deus eum in finem creaturas extra se produxit, ut ab ipsis magnifiat, sequeretur ipsum ex Creaturarum glorificatione ac veneratione voluptatem quandam percipere, nec adeo in semetipso summe fuisse beatum, si vero non summe beatus fuit antecedenter ad creationem, ad illam necessitatus fuit, si ita loqui fas est.

At

§. CCLXVII.

At α. nesciviſſe vel ſaltem neſcire voluiſſe videtur DIPPELIUS quid Dei GLORIA ſit ; vel quid Doctores Eccleſiæ Proteſtantis cum Philoſophis innuere velint, quando dicunt Deum in omnium rerum extra ſe productione hoc intendiſſe ut manifeſtaret Gloriam ſuam. Per *Gloriam* enim divinam intelligitur complexus omnium ſuorum Attributorum, & per Gloriæ divinæ *manifeſtationem*, Attributorum ejus à creaturis rationalibus agnitio. Docent itaque Proteſtantes, Deum tot Perfectiones & tam excellenti modo patefacere voluiſſe, quantum per Creaturarum Eſſentiam poſſibile fuit ; ſive, quod idem eſt, voluiſſe ut Univerſum hoc ſit Speculum omnium divinorum Attributorum, hoc eſt Gloriæ ejus. β. Liquet ex hisce per Dei Gloriam non intelligi, uti id DIPPELIUS interpretatur, vanæ alicujus Gloriæ captationem, ſed complexum totius Divinitatis, ſive omnium divinorum Attributorum, in Univerſi productione manifeſtandorum, & à Creaturis rationalibus agnoſcendorum. γ. Cum vero etiam divina Bonitas inter divina Attributa referenda ſit, ſequitur illam quoque ad Dei Gloriam pertinere, ut ſi Deus Gloriam ſuam manifeſtare dicitur, etiam Bonitatem ſuam manifeſtare dicatur ; & vice verſa, ſi Bonitatem ſuam manifeſtat, etiam Gloriam ſuam manifeſtat. δ. Quoniam itaque Bonitatis divinæ non minus ac cæterarum Perfectionum manifeſtatio Gloriæ divinæ manifeſtatio ſit, quidquid enim eſt in Deo, eſt ipſe Deus, & Deus nihil facere poteſt niſi reſpectu habito omnium ſuorum Attributorum, alias fieri poſſet ut ſibi contradictoria faceret ; ſequitur ;

quitur; præcipuum finem Creationis hujus Universi Bonitatis divinæ, in creaturas rationales exercendæ, manifestationem non minus fuisse ac reliquarum in Deo Perfectionum. Si quis igitur interroget, an Bonitatis divinæ exercitium, & extra se communicatio, non sit præcipuus Creationis finis? Facile concedo, hac sola restrictione addita, quod Deus semper rationem habeat omnium suorum Attributorum quidquid faciat. Formandus itaque rectus de divina Gloria ejusque manifestatione conceptus, neque falsus Doctrinæ nostræ sensus affingendus est. 4. Gloriæ captationem itaque quod spectat, quam nos Deo tribuere DIPPELIUS asserit, negare non poterit ipse Adversarius, quod, si primarius creationis Universi finis exercitium divinæ Bonitatis sit, Deus velit ut Bonitas illa à rationalibus Creaturis agnoscatur, hoc enim si non fiat nec hunc etiam Deus obtineret finem, dum nescirent Creaturæ Deum summum Bonum sui etiam communicativum esse; si vero agnoscant Creaturæ divinam Bonitatem ipsis exhibitam, fieri non potest quin Deum propterea magni faciant, si ergo Deus vult ut agnoscant Creaturæ rationales Bonitatem Dei, simul vult ut se magni faciant, dum unum involvat alterum, Deum vero magni facere eumque glorificare est unum idemque. Patet itaque ex ipsa Dippeliana hypothesi; quod si præcipuus Creationis finis sit Bonitatis divinæ communicatio, hæc ipsa communicatio involvat ejus agnitionem, agnitio magnificationem, id est glorificationem; qua in re Dippelio lubentes assentimur. Sit ergo denuo, præcipuum Creationis finem fuisse divinæ Bonitatis manifestationem, sive Dei ceu summi Boni communica-

tionem ; hæc Adversario facile largimur, dum id ipsum sit quod & nos statuimus. 5. Alterum quod DIPPELIUS Doctrinæ nostræ tribuit absurdum hoc est, quod ex illa sequatur : Deum voluptatem quandam ex eo percipere, si à Creaturis glorificetur, adeoque nec in se summe Beatum esse, & satis suis bonis divitem, ut adeo necessum omnino fuerit, ut Creaturas extra se ad sui ipsius perfectionem produceret. At id ipsum eodem modo ex Dippeliana hypothesi sequitur; si enim præcipuus Creationis finis Bonitatis divinæ communicatio est , sequitur eadem plane ratione, qua ex nostra Doctrina de Gloriæ Dei manifestatione ac agnitione , Deum delectari sive voluptatem quandam percipere ex Bonitatis suæ communicatione ; si vero voluptatem percipit, consequeretur : ipsum in se non summe fuisse beatum, nisi aliis etiam extra se, semet ceu summum bonum exhiberet, si hoc sit, non potuisset aliter quin Creaturas extra se produceret, ut adeo creatio necessaria fuerit. Si itaque de consequentiis agatur, easdem ex Dippelii hypothesi elicere possumus , quas ipse ex Doctrina nostra elicit.

§. CCLXVIII.

Secunda objectio hæc est, quod Deo valde indignum sit , imo ipsum ceu Tyrannum repræsentet, adeoque non possit non hominis animum ab ipso avertere , mentique horrorem incutere, si non tantum Deo Justitia vindicativa eaque indispensabilis tribuatur ; sed insuper statuatur, eum in finem Deum certas condidisse creaturas, ut eas in æternum miseras faciat ac pœnis gravissimis afficiat, & ita earum miseria delectetur & voluptatem

tatem quandam percipiat; quod non tantum sanæ rationi, sed & ipsi divino in conscientia nostra testimonio, adversum sit.

§. CCLXIX.

Communis hæc omnium fere Adversariorum contra Doctrinam præcipue Reformatorum objectio est. Quæ autem facile difflatur si sequentia observentur. α. Male Reformatis affingi quod doceant eum in Finem Deum certum hominum numerum condidisse, ut in eos justitiam suam vindicativam exerceat, eosque adeo in æternum miseros faciat, nullo ad cætera habito respectu; sed hæc Doctorum Ecclesiæ Reformatæ mens est: Deum in hujus Universi productione rationem habuisse omnium suorum Attributorum & totius Universi. Præsciviisse nimirum Deum in hoc Universo talem futurum esse rerum statum atque ordinem, ut genus humanum non eo perfectionis statu in quo primitus conditum erat permansurum sit, sed per peccatum voluntarium hominem in profundissimum miseriæ barathrum præcipitem sese daturum esse, ex quo ut miseros homines eripiat Liberationis medium prædestinasse, quo quisquis utitur è miseria iterum emergere potest; quisquis autem eo non utitur, sed illud aspernatur, eum etiam in æternum miserum ac à Dei communione excluſum fore, ut adeo homo propter peccatum atque incredulitatem, minime vero excluso omni peccati respectu ac conditione, ad æternam miseriam destinatus fuerit, dum propria sua culpa iis uti noluit mediis, quæ ipsi à Deo, ut in statum moraliter perfectum restitui queat, ordinata fuere. β. Nullam ergo homo causſam habet cur de Deo ceu Tyranno con-

queratur, quod ipsum, porro Gratia ac Bonitate sua indignum, dum ea multis modis abusus est, ad æternum destinavit exitium; id est, ipsum in æternum omni sua Gratia ac Bonitate privare decrevit. Decretum itaque hoc non eo sensu absolutum est, ut conditiones excludantur; sed omnia sibi invicem subordinata sunt, ut Deus totius simul ordinis respectum habuerit. Nihil ergo plane hic Tyrannici aut Deo indigni conspicitur, non magis quam in hoc quod Deus non obstante summa sua Bonitate, ex sapientissimis sine ullo dubio causis, hominis lapsum ac peccatum permisit. Cum itaque juxta Theologorum Reformatorum mentem omnia sibi invicem subordinata sint, media & finis, peccatum ac pœnæ; Bonitati divinæ non magis repugnat, inobedientes ac incredulos æterno destinare exitio, sive in æternum privare Bonitate sua, ac ipsi repugnare potuit peccatum, adeoque omnem etiam miseriam ex eo orientem, permittere. Juxta ipsam vero Adversariorum hypothesin non repugnavit divinæ Bonitati peccatum permittere; unde juxta eandem hypothesin ei etiam repugnare nequit, eam permittere miseriam quæ ex peccato necessario sequitur, eamque propter hominis incredulitatem in æternum permittere. γ. Per Justitiam denique vindicativam nihil aliud intelligitur, quam studium suum cuique tribuendi, sive Bonitas divina Sapientiæ attemperata, sive cum Sapientia administrata (Cap. III. §. 565. 566.). Si itaque Deus nonnullos homines in æternum punire decrevit, nihil aliud decrevit, quam se in æternum Bonitatem suam cum Sapientia administraturum.

Objicit

§. CCLXX.

Objicit porro CHRISTIANUS DEMOCRITUS: in Deo nullum locum habere posse Iram, odium nullum, nullam vindictæ cupidinem, dum turbulenti ejusmodi affectus atque proprietates ex Creaturæ imperfectione ac impotentia oriantur. Vide *Dem. Evang.* pag. 11. 214. 215.

§. CCLXXI.

Lubentissime concedimus, eo quo hominibus sensu, iram vel vindictam aut odium Deo adscribi neutiquam posse; siquidem Deo adfectus minime competant. Sed locutiones ejusmodi nonnisi affectum designant, quatenus Deus hominibus propter malum morale malum triste sive pœnam immittit, qui effectus talis est qualis hominum si vindicta vel ira erga alios concitantur, aut Judicis qui Legis transgressoribus pœnam infligit. Si itaque Deus signis externis significat, peccata summis suis Perfectionibus esse adversa, tristemque in peccatoribus producit effectum, Deus irasci vel odio habere peccatum dicitur. Ratio autem pœnæ illius, qua homines peccatores afficit, sive Justitiæ punitivæ exercitium, consistit in actu Dei privativo sive negativo, dum non continuat Bonitatem suam erga eos qui ea se plane indignos reddiderunt eamque respuerunt; in hac divinæ Bonitatis absentia omne comprehenditur malum. Et culpa non Benignitatis sed neglectus hominum est, quo illa posthabita fuit. Nec ergo positivo Dei actu opus est, ad infligendam pœnam, quo malignos cum voluptate quadam, Tyranni ad instar, excruciet, uti falso Doctrinæ nostræ imputatur. Quæ omnia suo loco (Cap. III. §. 567 - 591.) à nobis demon-

strata fuerunt. Ex hisce liquet nihil plane Deo indigni statui, si hoc quo dicimus sensu Deus peccati vindex atque osor dicitur, ipsique Justitia punitiva tribuitur.

§. CCLXXII.

IV. DIPPELIUS eadem pag. 11. dicit: Deum vi naturæ suæ, sive summæ suæ Bonitatis, post Creaturarum lapsum nihil aliud vel facere vel intendere posse, quam ut Creaturarum *Medicus* existeret, easque ex summa earum miseria salvas, suæque communionis iterum participes faceret.

§. CCLXXIII.

Non negamus, Deum homines salvos facere velle, si modo medio illo salutis uti velint; at contra statuimus; Deum etiam aliter non posse, quin eos qui Bonitate sua abutuntur, eaque se ad pœnitentiam perduci non sinunt, & qui in incredulitate permanent, verumque salutis medium negligunt ac contemnunt, etiam Bonitate sua omni privet, eosque hac ratione puniat, & ita ostendat se veracissimum esse ac justissimum, qui pœnam ac maledictionem Legis transgressoribus ac Dei osoribus intentatam certissime exsecuturus sit, hoc est omnem suam Bonitatem subtracturus; se simul esse sanctissimum, qui cum peccatoribus in æternum nullam habere communicationem possit. Asserimus itaque Deum post hominis lapsum maxime id agere ut Bonitatem suam erga homines peccatores exerceat, eosque salvos faciat, sed respectu habito omnium suorum Attributorum, ne summis suis perfectionibus contrarium quid committat.

V. Ad

§. CCLXXIV.

V. Ad evertendam etiam Satisfactionis neceſſitatem Adverſarius pag. 14. dicit: in omnibus Moſis Libris nullam expreſſam æternæ ſalutis vel miſeriæ reperiri promiſſionem aut comminationem, dum eæ nonniſi ad præſentem in terra Cananæa vitam ſeſe extenderent; Unde *Dippelius* hauddubie ſequi arbitratur; Doctrinam de Satisfactione pro peccatis Iſraëlitis plane fuiſſe incognitam.

§. CCLXXV.

Quæritur itaque, ni fallor, an Doctrina de Animæ immortalitate in Libris Moſis fuerit tradita & à Populo Dei ante Chriſti adventum credita? nam ſi animæ immortalitas docta fuit, Doctrina illa, absque omni controverſia, etiam involvit vel felicem vel infelicem hominis poſt hanc vitam ſtatum. Supponamus autem α. Doctrinam de animæ immortalitate ſive ſtatu vel felici vel infelici poſt hanc vitam haud adeo frequenter, non in Libris ſolum Moſis ſed totius Vet. Teſt. fuiſſe inculcatam, nihil tamen inde ſequeretur; nam ratio hæc fuiſſet, quia Dogma hoc ita notum hominumque animis impreſſum fuit, ut à pauciſſimis in dubium fuerit vocatum, uti adhuc hodie à nonnullis fit, licet veritas hæc in N. T. Libris clariſſime doceatur. Ea nimirum Spiritus S. Scriptorumque S. eſt conſuetudo, ut certas veritates hominum animis natura inſitas, ceu extra omnem dubitationem poſitas fundamenti loco præſupponant, eaque ſolum tradant quæ hominis ex peccati miſeria liberationem reſpiciunt. Ita Deum exiſtere, idque omnibus eſſe notiſſimum, S. Scriptura præſupponit, neque in de-

monstranda hac veritate moratur. β. Animam vero immortalem esse, communem Judæorum Doctrinam fuisse, eamque constanter ceu Religionis fundamentum creditam, inde patet: quia Sadducæi eam negantes, demum vero posterioribus atque corruptissimis temporibus orti, singularem constituerunt sectam, uti ex historia Evangelica patet; id autem factum non esset, ut illi singularis reputarentur Secta, si Dogma hoc non universaliter ante eos fuisset receptum, & eorum adhuc tempore à maxima parte creditum. γ. Sed & inde hoc liquet, quia Judæi variis expiationum generibus per Mosen à Deo institutis Deum placare studebant, quod ipsis tantopere curæ cordique non fuisset, nisi vel pœnam post hanc vitam metuissent, vel remunerationem speraſſent. δ. Sed expresse etiam Doctrina hæc in Mosis Libris non tantum uno in loco docetur. Huc omnino pertinet dictum Gen. V. 24. ubi de Henochi pietate ejusque remuneratione sermo est; nonnisi trecentesimum sexagesimum quintum annum Patriarcha hic vivendo attigerat, quæ ætas respectu cæterorum eo tempore viventium valde brevis erat. Brevitas autem vitæ ipsius & à Deo sublatio ceu singularis Pietatis ejus remuneratio consideratur: *Ambulabat enim cum Deo, & ab eo sublatus non amplius in terra extitit.* Ex quibus clarissime patet, quod si remunerationis promissio ad hanc solum vitam sese extenderet, Enochum potius punitum fuisse, quam remunerationem vitæ ex Dei voluntate institutæ accepisse, cum citius reliquis Patriarchis ex vita sublatus fuit. Patet itaque Mosen hic indicare Henochum è statu mortalis vitæ in immortalitatem fuisse translatum, adeoque dari alteram post hanc vitam. ε.

Eadem

Eadem veritas traditur Exodi III. 6. *Ego sum Deus tui Patris, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Jacobi. Atqui*, inquit Christus Matth. XXII. 31. 32. *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* Unde sequitur: Hos tres Patriarchas Mosis tempore, quoad animam, vixisse. 5. Et notissimam hanc fuisse veritatem apparet ex Num. XXIII. 11. Ubi Bileamus pronuntians à Mose refertur: *Utinam ipse eadem morte moriar, qua probi; sitque meus idem qui eorum exitus!* Quod nec Bileamus optasset, nec Moses scriptum reliquisset, nisi animæ immortalitas constantissime & indubie fuisset credita. Consequitur ex hisce: cum Doctrina de animæ immortalitate non modo constanter atque universaliter fuit ab Israëlitis credita, sed & à Mose tradita, comminationes atque promissiones generales illas, Legi annexas, non ad hanc modo, sed & ad alteram sese Vitam extendisse, idque à Populo Israëlitico fuisse creditum, dum uti supra innuimus animæ immortalitatem non possit non sequi vel felix vel infelix post hanc vitam status.

§. CCLXXVI.

VI. Quæ DIPPELIUS pag. 22. & 256. dicit: Salvatorem pro se opus habuisse, ut humanam naturam suam ex debilitata hominis lapsi massa assumtam per cupiditatum carnalium abnegationem ad Gloriam perduceret; neque humanam ejus naturam propter inhabitantem Divinitatem illabilem fuisse; ut adeo, quod inde sequitur, Christus quidquid fecerit nonnisi pro se præstiterit, neque quidquam pro aliis facere potuerit: hæc inquam nituntur falsa hypothesi, ab Adversario nunquam probata, quod Christus ex corrupta Adami massa genitus ac natus sit, con-

tra Lucæ I. 35. Hebr. VII. 26, ubi à fontibus separatus dicitur.

§. CCLXXVII.

VII. Urget DEMOCRITUS Satisfactionem & Meritum secum invicem consistere non posse, dum is qui satisfaciat nihil mereri possit, sed nonnisi vel pro se vel pro alio solvat quæ debeat; Is vero qui mereatur, alteri qui opera sua indigeat, opus præstet pro mercede promissa, ut adeo meritum & satisfactio seinvicem excludant. pag. 34.

§. CCLXXVIII.

Prodit hic Adversarius, se non distincte intellexisse eam Doctrinam, quam de Satisfactione ex S. Litteris tradimus. *Satisfacere* nimirum idem significat quod *præstare Legis postulatum.* Lex vero duo ab homine peccatore postulat, α. Ut perferatur pœna illa, loco peccatoris, quam Justissimus Legislator Legis transgressoribus comminatus est. β. Ut Lex loco peccatoris perfectissime servetur, dum sub hac conditione homini vita promissa sit, si faciat ea quæ Lex præscribit. Vita igitur æterna vocatur vel consideratur ceu merces, & conditio sub qua illa homini promissa est ceu meritum. Patet itaque eum qui Legi satisfacit, & pœnas peccatori intentatas subire, & conditionem præstare, sub qua homo vitam beatam consequi potest, quod est *mereri;* Unde Satisfactio & Meritum se invicem non tollunt, sed potius unum alterum involvit & in se complectitur. Cæterum omnino Deus neminis ope indiget, sed tamen sapientissimas habuit causas cur homini sui communionem sub certa conditione promiserit, quæ conditio si præstetur, propter similitudinem, vocatur meritum.

Sensus

Sensus responsionis hujus hic est : Eum Dei, in negotio salutis, cum homine fuisse agendi modum, ut ei in statu perfectionis moralis ac integritatis constituto, qualem eum Deus produxit, æternam ac consummatam perfectionem, sempiternam adeoque Salutem, sub perfectæ obedientiæ conditione promiserit; ut adeo perfecta illa obedientia legi præstita meriti formam ac rationem habuerit, rem ita ordinante divina erga Creaturas rationales bonitate. Ut itaque homo, si legi divinæ obediens mansisset, per meritum operum salvus fuisset factus, dum ipse eam præstitisset Conditionem, sub qua eum Deus in bono confirmare & majorem ei addicere felicitatis gradum voluit. In hoc ergo constitisset meriti illius ratio, quod homo Legis postulato perfecte satisfeciisset. Postquam autem Legem transgressus esset homo, adeoque corruptus factus fuisset, ipsemet amplius Legis postulato satisfacere, & perfectam Deo præstare obedientiam non potuit, adeoque nec conditionem illam implere, sub qua ei Deus æternam adjudicare salutem voluit, Deus pro clementissima sua erga genus humanum voluntate, talem ad negotium hoc perficiendum destinavit personam, quæ hominis loco conditionem illam præstaret sub qua ipsi æterna salus promissa erat, quæque itaque Legis postulato satisfaceret. Cum autem persona illa, quæ Jesus Christus benignissimus Mundi Salvator est, conditionem illam sub qua homo salvandus erat, perfecte præstitit, ei *meritum* adscribitur, dum meritum nihil aliud quam conditionis implementum sit sub qua alteri merces addicitur. Quoniam autem Salvator eoipso Legi *satisfecit* quo conditionem illam præstitit sub qua homo æternam salutem consequi debuit, sequitur : Christum Legi *satisfaciendo* æternam salutem suis *meruisse*, adeoque *satisfactionem* ac *meritum* seinvicem minime tollere, sed proprie unum idemque esse. Quando itaque dixi : Sapientissimum Deum *homini sui communionem sub certa conditione promisisse, qua conditio si præstetur propter similitudinem vocetur meritum*, minime sic intelligendum est, ac si homini, adhuc post lapsum ac corruptionem universalem, ejusmodi meritum adscribere velim, sive possibilitatem Legis postulato satisfaciendi propriis viribus. Sed nonnisi de homine integro

tegro, qualis primitus fuit, hic sermo est, qui, rem ita ordinante divina Sapientia, per merita operum salvari potuisset, quod nunc nonnisi per Christi meritum fieri potest.

§. CCLXXIX.

Objicit pag. 37. 302. Propositionem Pauli *Fides imputatur ad justitiam* non æquipollere illi: *Justitia Christi imputatur Fidei vel fidelibus.*

§. CCLXXX.

Falli Adversarium, patet ex duobus Apostoli dictis, ex quibus liquet *Fidem imputari ad justitiam* nihil aliud significare posse quam *Justitiam Christi fidelibus imputari.* Prior Locus extat Rom. III. 24. 25. *Quem proposuit Deus placamentum, per Fidem in ejus sanguine collocandam, ad demonstrationem Justitiæ Dei, qui pro gratia sua præteritis peccatis veniam det. Ut hoc tempore suam justitiam demonstret, ut sit ipse & justus, & qui Jesu fidem habentes justificet.* Apparet ex his 1. Jesum Christum esse Placamentum, quod tantundem valet ac Justitia, dum nonnisi per eam placamentum esse queat. 2. Nos Justitiæ hujus sive placamenti per fidem in sanguine ejus collocatam fieri participes. 3. Per fidem in Christi sanguine collocatam nos peccatorum veniam habere. 4. Deum hoc modo simul sese justum exhibere, qui secundum Legem suam agit, & simul peccata condonare posse. Quod idem est ac si diceretur: Nos propter expiationem sive justitiam & sanguinem Christi, per fidem nobis imputatum, remissionem peccatorum accipere, ut caussa meritoria sit Christi Justitia, medium quo ejus simus participes fides in eum. Alter locus extat Rom. IV. 6. 8. *Quemadmodum David quoque hominis beatitatem in eo statuit, si ei Deus Justiti-*

Justitiam imputet sine operibus &c. Justitia vero illa, quam Apostolus ubique urget, est Christi Justitia, eam autem Justitiam nobis imputari ex Hieropsalte citat. Ut adeo duæ phrases: *Fides imputatur ad Justitiam & Justitia Christi imputatur fidelibus* sint unum idemque.

§. CCLXXXI.

IX. *Dicit* Adversarius: multas in S. Litteris reperiri Propositiones atque notiones, quæ res ita exprimant, non uti revera sese habent, & cum Dei Essentia ac ipsa rei natura conveniant; sed juxta perversos simplicis Plebis conceptus; quibus notionibus atque conceptibus falsis, Christus etiam cum suis Apostolis sese accommodaverit; huicce etiam fundamento omnia ea superstructa esse, quæ in S. Scriptura de peccatorum remissione, sacrificio expiatorio, alienæque Justitiæ imputatione dicta sunt.

§. CCLXXXII.

Respondemus ∝. hanc omnino facillimam disputandi methodum esse, si *primo* hypothesin quandam Sapientiæ carnali gratissimam assumimus, & *deinde* ad eam tuendam non modo ea quæ in S. Litteris docentur ita torquemus, ut opinioni nostræ consentire videantur; non hypothesin nostram vel Doctrinam ex Litteris sacris deducentes, sed potius Sacram Scripturam ex hypothesi nostra explicantes: Sed insuper, quando placitum semel receptum tantum à Scripturæ verbis discedit, ut ne quoad externam quidem speciem in ea, ad defendendum errorem, præsidium inveniri possit, omnia ea quæ errori contraria in Verbo divino dicuntur, ita clare proposita

posita ut nulla specie in partes nostras trahi atque torqueri queant, eo prætextu rejicimus, quod falsa sint ac erronea, in gratiam tantum simplicis vulgi in Bibliis contenta, quibus alii adhuc errores à Christo Apostolisque superstructi sint. Quæ DIPPELII disputandi methodus est, cui fundamento totum illud *veræ demonstrationis Evangelicæ* systema inædificavit; certe si hoc *demonstrationis* nomen meretur, quidquid erronei unquam in Terra fuit hac ratione demonstrari potest. β. Videndum nunc, quid ex *vera* hac *demonstratione Evangelica*, quali DIPPELIUS utitur, sequatur. Si nempe hoc *demonstrationis* & quidem *veræ* ac *Evangelicæ* principium est, S. Scripturam, absit blasphemia, mendacia tradere, ut erroneis hominum opinionibus sese accommodaret, nihil profecto certi atque indubii ex Litteris S. cognosci potest, sed de unaquaque re, quotiescunque illa inculcata ac repetita sit, dici potest, eam solum ob caussam hoc vel illud doceri, ut Deus erroneis hominum opinionibus sese attemperaret, & errore semel recepto, alias etiam statuendas fuisse hypotheses erroneas, quæ ex præcedentibus fluunt; adeoque tandem S. Litteræ nonnisi systema errorum essent, ut certe nihil amplius ex iis probari posset. Sed talia necessario debuerunt esse principia ac fundamenta *veræ Demonstrationis Evangelicæ* qualis CHRISTIANI DEMOCRITI est. γ. Et tandem Christiano Democrito & ejus generis hominibus jam sententiam pronuntiavit Apostolus Paulus Rom. III. 4. 7. 8. *Quin sit Deus verax, & omnis homo mendax. - - - Verum si Dei veritas mea falsitate amplificatur ad ejus gloriam, cur ego tandem ut nocens damnor? Quin potius faciamus mala, ut eveniant bona. Sic enim male*

de

de nobis dicitur, & sic ajunt quidam dicere nos, qui merito damnandi sunt. Dicamus ergo cum *Hieropsalte* Psalmo CXIX. 160. *Tua dicta sunt veritas, suntque tuæ omnes justæ sententiæ sempiternæ.* Et cum Christo Joh. XVII. *Sanctifica eos in veritate tua, verbum tuum est veritas.*

§. CCLXXXIII.

X. OBJICIT: Omnia ea, quæ Christus fecerit, *in nostrum* quidem *bonum* feciſſe & *pro nobis* nunquam autem in S. Litteris extare, quod *loco nostri*, ἀντὶ ἡμῶν omnia fecerit & passus sit. pag. 106. 164.

§. CCLXXXIV.

Supra autem ad Propositionem VI. contrarium demonstravimus; repetiisse hic sufficiet Christum venisse δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ANTI πολλῶν. Matth. XX. 28. Marci X. 45. & Redemtionem per ipsum factam vocari ἀντιλυτρον. 1. Tim. II. 6.

§. CCLXXXV.

XI. Ad negandam divinam Justitiam adeoque etiam Satisfactionis necessitatem hoc etiam DIPPELIUS utitur argumento: Quod uti Deus propter summam suam Beatitatem ac Perfectionem offendi nequeat, bene autem homo, propter imperfectionem suam; ita etiam nec Justitiam inter Deum atque Creaturam, sed nonnisi inter duas Creaturas, locum habere posse; propterea in eo Judicii processu quem ipse Salvator describit, Christus non ceu Deus, sed qua homo homines judicaturus sit. pag. 116.

§. CCLXXXVI.

Respondemus: Omnino Deum in summa sua Beati-

Beatitudine ac felicitate minime turbari, licet Creaturæ ipsum odio habeant ac mandata ejus contemnant, uti subinde ne Rex quidem terrenus, propter commissum læsæ Majestatis crimen, affectibus turbatur aut quidquam de felicitate sua amittit. Hoc vero non obstat quo minus Deus reipsa ostendat peccati se osorem & peccatori neutiquam similem esse; seque iis qui ejus contemtores sunt Bonitatem suam nequaquam conferre posse, & perinde non esse utrum creatura Legi divinæ obediat an vero eam transgrediatur. Falso propterea Adversarius perhibet: nullum Deo adscribi posse Judicium vel Justitiæ in creaturas exercitium. Aliter Hieropsaltes, Deum *in medio divorum Judicem esse* perhibens Psalm. LXXXII. 1. Et orans: *Ne in jus mecum qui Servus tuus sum venito: nam coram te nemo mortalium absolvetur.* Psal. CXLIII. 2. Imo *Jehova dicitur, Magister; Legislator ac Judex noster.* Et eoipso quo *Filio omne tradidit Judicium.* Joh. V. Ostendit summum se Judicem esse. Paulus loquitur de *severo Dei Judicio.* Rom. II. 2.

§. CCLXXXVII.

XII. Ex meliorum porro argumentorum defectu DIPPELIUS etiam *objectionem* illam à satisfactionis hostibus toties jam repetitam adfert; quod si nimirum peccatorum remissio propter meritum fiat, eam ex mera Dei gratia fieri dici minime posse. Dum meritum & gratia seinvicem excludant. pag. 180.

§. CCLXXXVIII.

Gratia vero divina in hoc consistit, quod nobis ex singulari sua munificentia atque erga genus

nus humanum Bonitate, Liberationis medium ordinavit, ut quisquis illud vera fide amplectatur salvus fieri possit ; quod hauddubie gratia maxima est quam nobis Deus exhibere potuisset. Quod Apostolus hisce exprimit verbis : *Justificandi ex Dei Gratia per Liberationem quæ fit per Christum Jesum.* Rom. III. 23. Liberatio ergo per Christum Jesum facta & gratia nobis per illam exhibita seinvicem non excludunt. Sed dicet CHRIST. DEMOCRITUS juxta methodum *veræ Demonstrationis Evangelicæ* hæc nonnisi secundum erroneam vulgi opinionem dici.

§. CCLXXXIX.

XIII. OBJICIT DEMOCRITUS : Quod si pro lapsa Creatura Redemtionis pretium sive Lytrum solvendum fuerit, necessum fuisse ut Christus Diabolo satisfaceret, quod quam absurdum sit dici vix possit. Aut dicendum esse Deum misisse Filium suum ut propriæ suæ Justitiæ, hoc est, sibi ipsi satisfaceret, adeoque seipsum reconciliaret. pag. 216.

§. CCXC.

RESP. Ut Diabolo satisfiat necessum minime fuit, dum nunquam ipsum peccator offenderat. Et licet homo per Peccatum Satanæ servum sese exhibuerit, nihilominus tamen Deus supremus ejus Dominus manet, neque nullum in peccatorem Dominii jus amittit, ut adeo non teneatur eum ex alius potestate redimere. Plane autem nihil in se absurdi continet quod Deus propriæ suæ Justitiæ adeoque & Legi suæ, mittendo Filium suum, satisfecerit. Suo enim loco demonstravimus, & sæpius jam à nobis repetitum

fuit, Deum omnia quæcunque facit, non facere nisi respectu habito omnium suorum Attributorum, ut perfecta inter illius Perfectiones sit harmonia, perfectum, si ita loqui fas est, æquilibrium; unde unum etiam Attributum nihil facit quod alteri contrarium esse possit; summus illius erga Creaturas Amor atque Bonitas, maximaque illius Misericordia postulat ut miseri peccatores iterum ex miseria sua liberati in statum perfectionis restituantur; minime tamen Attributa hæc exigunt, ut quidquam fiat quod alteri divinæ Perfectioni contrarium est. Cæterum tres sunt Divinitatis Personæ, quæ summo seinvicem prosequuntur amore, unde una Persona aliquid exigere potest, quod altera sponte præstandum suscipit, ex quo ipso maximus totius Divinitatis erga Creaturas Amor elucet. Ad sophisma autem hoc, quod absurdum sit ut Deus sibimetipsi satisfaciat, jam in Capite de Socinianis respondimus.

§. CCXCI.

XIV. DICIT: Secundum Apostolum Paulum in Christo nihil valere, quam *novam Creaturam.* pag. 222.

§. CCXCII.

Respondemus: Apostolum Novam Creaturam non Christi Satisfactioni, sed Circumcisioni opponere. Alibi nimirum explicat quid per novam Creaturam intelligendum sit, dicens: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides per Charitatem efficax.* Gal. V. 6. Fides ergo est, quæ in Christo valet, quæ autem, si vera est, ita comparata sit oportet, ut actuosam sese exhibeat. Quo fit ut nova oriatur Creatura. XV. OB-

§. CCXCIII.

XV. OBJICIT porro DIPPELIUS Litteras S. dicere : *Ita dilexit Deus mundum :* nunquam vero ; *Ita iratus fuit ut miserit Filium suum ad ferendam iram suam.* pag. 228. *Respondemus*, Omnino etiam hoc in Litteris S. dici, licet non iisdem verbis. Dum enim S. Scriptura dicit : Eos perituros qui in Filium non credunt, iisque divinam imminere iram, eoipso significatur quem in finem Deus Filium suum miserit, ad avertendam nimirum iram divinam ab iis, qui salvandi erant; quod idem est ac si diceretur : Deus qui mundum tantopere dilexit misit filium suum ut peccati pœnam, iræ divinæ effectum, à salvandis averteret, ipseque eam illorum loco subiret. Adde Rom. I. 16. 17. 18.

§. CCXCIV.

XVI. OBJICIT DEMOCRITUS pag. 232. Quod si fides salvifica Christum respiciat nonnisi quatenus meruerit, adeoque Sacerdos sit, eoipso sequi munus ipsius propheticum ac regium, sive Doctrinam ac Dominium ejus ad Salutem necessarium non esse.

§. CCXCV.

Per integram suam *veram Demonstrationem Evangelicam* DIPPELIUS prodit, aut se mala fide nobiscum agere, aut Doctrinam nostram de hominis per fidem in Christum justificatione non intelligere. Constans enim Ecclesiæ Protestantis Dogma fuit : Christum non tantum SOLUM sed etiam TOTUM ad Salutem vera fide amplectendum esse. TOTUM inquam, hoc est secundum omnia sua tria munera ; quatenus Prophe-

ta est, amplectendo Doctrinam ipsius ut inde veram ad Salutem viam cognoscamus; quatenus Sacerdos est, dum ad Sacrificium ipsius refugimus, ut per illud cum Deo reconciliemur; quatenus Rex est, dum ipsum Dominum nostrum agnoscimus, mandatis ejus paremus ad sanctificationem nostram. TOTUM inquam tam in statu exinanitionis quam exaltationis, in omnibus vestigia ejus sequendo, crucem ejus portando, & virtute ipsius veterem hominem crucifigendo, vide *Quæst.* 45. *Catech. Palatinæ.*

§. CCXCVI.

XVII. ALIA OBJECTIO est: Ipsos etiam Sapientiores ex gentilibus risisse Sacrificulorum suorum fraudem, quod hominibus persuaderent, Deos iratos per holocausta sua expiari posse, uti ex notis illis Catonis distichis pateat: *Cum sis ipse nocens, moritur cur Victima pro te? Stultitia est, morte alterius sperare Salutem. Veræ Demonstration. Evang.* pag. 236.

§. CCXCVII.

Respondeo & nos Ethnicorum Sacrificia ridere, dum sanguine Taurorum Oviumque Deus placari minime possit; Imo Judæorum etiam Sacrificia ridemus, quæ non respectu habito ad verum Christi Sacrificium facta fuere. Omnem vero hominis loco alterius substitutionem non habent cur rideant; suo nimirum loco ostendimus, Justitiam Dei simpliciter hoc requirere, ut Legi divinæ satisfiat, Misericordiam autem ejus permittere, ut satisfactio æquipollens substituatur. Si autem riserunt gentiles expiationem per Sacrificium Christi Crucifixi, est quod Apostolus dicit:

Ipsum

Ipsum Judæis scandalum, Græcis vero stultitiam esse, qualis etiam DEMOCRITO est. Sed quale denique argumentum hoc est, Gentiles rident Christianorum mysteria, ergo illa falsa sint oportet? talis argumentandi modus nonnisi secundum eam methodum procedere vel locum habere potest, juxta quam *vera Demonstratio Evangelica* scripta est.

§. CCXCVIII.

XVIII. OBJICIT porro pag. 240. 241. Totum Cærimonialem illum Cultum, à Judæis observatum, juxta divinam intentionem minime eum in finem fuisse ordinatum ac institutum, ut Christum novique Fœderis bona præfiguraret, quamvis ille ab Apostolo Paulo per accommodationem quandam, ut Judæos ab observatione illius avocaret, ad Novi Testamenti bona relatus fuerit; Imo omnem illum cærimonialem apparatum non modo nihil spirituale significare, sed Deum summa necessitate fuisse adactum, ut eum instituteret, ne Populus Judaicus iterum ad Ægyptiorum Idololatricum Cultum reverteretur.

§. CCXCIX.

De Lege Cærimoniali Paulus ad Coloss. II. 17. dicit: Eam esse *futurorum umbram*, *Corpus autem esse Jesum Christum* Hebr. IX. 8. asserit, *Veteris Testamenti Cærimonias ejusmodi fuisse, ut præsens in tempus aliam rem significarent*, Et Cap. X. 1. Legem Cærimonialem *Umbram* vocat *bonorum futurorum*. Si ergo umbra extitit non talis demum per Apostoli accommodationem fiebat. Sed cum Christus & Apostoli erroribus etiam usi sint, & sese falsis Judæorum opinionibus accommodave-

rint, quo eos in partes suas traherent, quod fundamentum *veræ Demonstrationis Evangelicæ Dippelianæ* est, nullum ex S. Litteris contra *Demonstrationem* hanc afferri potest argumentum, dum omnia ibi nonnisi juxta falsam hominum opinionem dicantur. Mirandum propterea non est, DEMOCRITUM nec rationem Legis cærimonialis typicam agnoscere, dum opinionibus S. Scriptores, ex ejus hypothesi, acti fuerint.

§. CCC.

XVIII. Addit OBJECTIONIBUS præcedentibus: Contradictionem in adjecto esse, dum dicatur *realis imputatio*, siquidem *imputare* & *putare* rebus ipsis opponantur.

§. CCCI.

Vocem *putare* in Litteris S. etiam *Realitatem* significare patet ex duobus Apostoli dictis, ubi dicit se *putare*, licet certissime de re aliqua persuasus fuerit. Ita 1. Cor. VII. 40. *Puto etiam me Spiritum Dei habere.* Et 2. Cor. V. 14. *Putamus quod si unus pro nobis omnibus mortuus sit, nos omnes esse mortuos. Imputatio* vero *realis* est, quando plenaria prædis solutio debitori ita imputatur, ut ipse plane liber evadat.

§. CCCII.

XIX. *Aliud Argumentum* DEMOCRITUS à silentio Scriptorum Ecclesiasticorum primorum sæculorum desumit. Dicit nimirum in universa prima Ecclesia, tribusque integris primis sæculis Doctrinam de Imputatione alienæ justitiæ, peccatorumque expiationem plane fuisse incognitam. Imo ARNOBIUM adversus gentes maxime urgere

gere argumentum hoc, ad confutandum absurdum Idolorum Cultum, quod sibi imaginentur Deos irasci & Sacrificiis placari posse. Neque denique in Eusebio quidquam de peccatorum per Sacrificium Christi expiatione reperiri contendit. pag. 245. 246.

§. CCCIII.

Contrarium hic NEUMEISTERUS Hamburg. DIPPELIO ostendit in tractatu cui titulus est: *Festgegründeter Beweiß, aus der Heil. Schrifft, daß Christus Jesus für uns und unsere Sünden genug gethan*, &c. Paucis tantummodo probabimus Dogma hoc iis temporibus minime fuisse incognitum. CLEMENS nimirum ad Corinthios scribens dicit Epist. I. §. VII. Ατενίσωμεν εἰς το αἷμα τȣ χριςȣ, καὶ ἰδωμεν, ὡς ἐςι τιμιον τω Θεω αἷμα αὐτȣ, ὁτι δια τὴν ἡμετεραν σωτηριαν ἐκχυθεν ϖαντὶ τω κοσμω μετανοιας χαριν ὑπηνεγκεν. *Intenti sinus in Christi sanguinem, & videamus quam pretiosus ille sit in oculis Dei, quippe qui propter Salutem nostram effusus, & universo mundo gratiam respiscentiæ obtulit.* §. XII. dicit: Προδηλον ϖοιȣντες, ὁτι δια τȣ αἱματος τȣ Κυριȣ λυτρωσις ἐσαι ϖασι τοῖς ϖιςευȣσιν καὶ ἐλπιζȣσιν ἐπὶ τον Θεον. *Manifestum facientes quod per sanguinem Domini redemtio facta sit omnibus credentibus, & fidem suam in Deum collocantibus.* §. XXI. Τὸν κυριον Ιησȣν Χριςον, ὁυ τὸ αἷμα ὑπερ ἡμων ἐδοθη, ἐντραπωμεν. *Revereamur Dominum Jesum Christum, cujus sanguis pro nobis datus est.* §. XXXII. Καὶ ἡμεις ὲν διὰ τȣ θεληματος αὐτȣ ἐν Χριςω Ιησȣ κληθεντες, ȣ̓ δι ἑαυτων δικαιȣμεθα, ȣ̓δὲ διὰ τῆς ἡμετερας σοφιας, ἡ συνεσεως, ἡ ἐυσεβειας, ἡ ἐργων, ὡν κατειργασαμεθα ἐν ὁσιοτητι καρδιας. Ἀλλὰ διὰ τῆς ϖιςεως, δι ἡς ϖαντας τȣς ἀϖ' αἰωνος ὁ ϖαντοκρατωρ Θεὸς ἐδικαιωσεν. *Nos vero*

ro per voluntatem ejus in Christo Jesu vocati, non per nosmet ipsos justificamur, neque per sapientiam nostram, neque intellectum, aut pietatem aut opera, quæ operati sumus in cordis sanctitate, sed per fidem, per quam Deus omnes à mundi initio justificavit. §. XLIX. Τὸ αἷμα αὐτε ἐδωκεν ὑπερ ἡμων ὁ Χριστος ὁ κυριος ἡμων, ἐν θεληματι Θεε, καὶ τὴν σαρκα ὑπερ τῆς σαρκος ἡμων, καὶ τὴν ψυχην ὑπερ τῶν ψυχων ἡμων. Christus Dominus noster, tradidit sanguinem suum pro nobis, juxta voluntatem Dei & carnem suam pro carne nostra, & animam suam pro animabus nostris.

§. CCCIV.

IGNATIUS §. I. dicit: Ἀληθως ἐπὶ Ποντιε Πιλατε καὶ Ἡρωδε τετραρχου καθηλομενος ὑπερ ἡμων ἐν σαρκι. *Vere sub Pontio Pilato & Herode tetrarcha pro nobis in carne clavibus transfixus est.* §. II. Ταυτα γὰρ παντα ἐπαθεν δι ἡμας, ἱνα σωθωμεν. *Omnia hæc propter nos passus est ut salvemur.* §. VII. de iis conqueritur qui à S. Cœna abstinerent, dum non confiterentur S. Eucharistiam esse carnem Domini nostri Jesu Christi, quæ *pro peccatis nostris passa sit.* Τὴν ὑπερ ἁμαρτιων ἡμων παθουσαν. §. V. de Prophetis dicit & ipsos *in Christum credentes salvatos fuisse.* §. VIII. dicit Jesum Christum esse crucem & mortem & resurrectionem suam, seque per fidem in eum justificari velle. §. VI. Ἐκεινον ζητω τὸν ὑπερ ἡμων ἀποθανοντα, ἐκεινον θελω τὸν δι ἡμας ἀνασταντα.

§. CCCV.

POLYCARPUS asserit Christum passum esse mortem pro peccatis nostris. §. I. Ὃς ὑπεμεινεν ὑπερ τῶν ἁμαρτιων ἡμων ἑως θανατε καταντησαι. Et §. VIII. Ἀδιαλειπτως ἐν προσκαρτερωμεν τῇ ἐλπιδι ἡμων,

μων, καὶ τῳ ἀρραβωνι τῆς δικαιοσυνης ἡμων, ὁς ἐστι Χριστος Ιησους, ὁς ἀνηνεγκεν ἡμων τὰς ἁμαρτιας τῳ ἰδιῳ σωματι ἐπὶ τὸ ξυλον, ὁς ἁμαρτιαν οὐκ ἐποιησεν, οὐδὲ εὑρεθη δολος ἐν τῳ στοματι αὐτου. Ἀλλα δι ἡμας, ἱνα ζησωμεν ἐν αὐτῳ, παντα ὑπεμεινε. *Firmiter adhæreamus ſpei noſtræ & arrhaboni juſtificationis noſtræ, qui eſt Chriſtus Jeſus, qui peccata noſtra in proprio ſuo corpore in crucem ſuſtulit, & peccatum non fecit, neque ulla fraus in ore ipſius reperta eſt, ſed omnia propter nos perpeſſus eſt ut viveremus in eo.*

§. CCCVI.

IRENÆUS *Adv. Hæres.* Cap. 13. *Etenim*, inquit, *Abraham ſecundum fidem ſuam ſecutus præceptum Verbi Dei, prono animo unigenitum & dilectum Filium ſuum conceſſit Sacrificium Deo: Ut & Deus beneplacitum habeat, pro univerſo ſemine ejus dilectum & unigenitum Filium ſuum præſtare Sacrificium in noſtram redemtionem.* Et Lib. V. Cap. 14. *Nunc autem*, ait, *per eam, quæ eſt ad ſe communicationem, reconciliavit Dominus hominem Deo Patri, reconcilians nos ſibi per Corpus carnis ſuæ, & ſanguine ſuo redimens nos, quemadmodum Apoſtolus Epheſiis ait: In quo habuimus redemtionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum: & rurſus eisdem: Vos*, (inquit) *qui eratis aliquando longe, facti eſtis juxta in ſanguine Chriſti. Et iterum: Inimicitias in carne ſua. Legem præceptorum Decretis evacuans. Et in omni autem Epiſtola manifeſte teſtatur Apoſtolus, quoniam per carnem Domini noſtri, & ſanguinem ejus nos ſalvati ſumus.*

§. CCCVII.

JUSTINUS MARTYR in *Dialog. cum Tryph.* Ed. Sylburg. pag. 177. Μηκετι, inquit, αἱμασι τραγων καὶ προβατων – – ἀλλα πιστει διὰ τῳ αἱματος

τε Χριςε καὶ τε θανατε αὐτε, ὁς διὰ τετο ἀπεθανεν. Omni vero exceptione majora atque clariora ſunt ipſius verba quæ extant in Epiſt. ad Diognet. pag. 386. Αὐτος, ait, τὸν ἰδιον υἱον ἀπεδοτο λυτρον ὑπερ ἡμων, τὸν ἅγιον ὑπερ ἀνόμων, τὸν ἀκακον ὑπερ τῶν κακων, τὸν δικαιον ὑπερ τῶν ἀδικων, τὸν ἀφθαρτον ὑπερ τῶν φθαρτων, τὸν ἀθανατον ὑπερ τῶν θνητων. Τι γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτιας ἡμων ἠδυνηθη καλυψαι ἢ ἐκεινε δικαιοσυνη; ἐν τινι δικαιωθηναι δυνατον τὺς ἀνόμυς ἡμας καὶ ἀσεβεις, ἢ ἐν μονω τω υἱω τε Θεε; ὠ τῆς γλυκειας ἀνταλλαγῆς, ὠ τῆς ἀνεξιχνιαςε δημιυργιας, ὠ τῶν ἀπροσδοκητων ἐυεργεσιων· ἱνα ἀνομια μὲν πολλων ἐν δικαιω ἑνι κρυβη, δικαιοσυνη δε ἑνος πολλὰς ἀνόμυς δικαιωσῃ. *Deus proprium ſuum Filium pro nobis lytrum tradidit, ſanctum pro legis transgreſſoribus, mali expertem pro malis, juſtum pro injuſtis, ab omni corruptione remotum pro corruptis, immortalem pro mortalibus. Quid enim, niſi juſtitia ipſius peccata noſtra tegere potuiſſet. Et in quo nos injuſti & impii juſtificari poteramus quam in ſolo Filio Dei. O felicem commutationem! O imperſcrutabile artificium! O Beneficia omnem ſpem excedentia! Ut injuſtitia multorum in uno Juſto abſconderetur; Unius vero Juſtitia multos juſtificaret injuſtos.*

§. CCCVIII.

CYPRIANUS *Tractat. contra Demetrian.* Edit. Froben. pag. 150. 151. *In iſto*, inquit, *adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam aditus: & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges Deum, qui unus & verus eſt, confeſſionem & fidem ejus agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutaris de divina pietate conceditur, & ad immor-*

immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc Gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri. Christum etiam Mediatorem non modo hominum sed Dei etiam adpellat, Tractat. *de Idolorum Vanitate.* pag. 177. *Hic*, ait, *Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem.* Et Lib. II. Adv. Judæos Cap. IX. pag. 277. *Homo & Deus Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos & Patrem posset.*

§. CCCIX.

Cur ad ARNOBIUM provocet DEMOCRITUS causſam nullam habet, qui Gentilibus exprobrat, quod ideo Deos in Imperium Romanum iratos esse putarent, quia tantus Christianorum numerus in eo moraretur; & ita Deorum iram describerent, qualis hominum affectibus deditorum est. Unde Lib. I. *Adv. Gentes.* Edit. Elmenhorst. pag. 11. dicit: *Quod si verum est istud, & est exploratum, & cognitum, effervescere Deos Ira, & hujusmodi motus perturbatione jactari, immortales & perpetui non sunt, nec in divinitatis alicujus existimatione ponendi.* Distinguendum autem, quod jam monuimus, inter Iram & Iram, hoc est inter affectum & effectum. Ipsum iram Dei Perfectionibus ejus dignam non negasse, inde patet, quod LACTANTIUS Discipulus ejus integrum *de ira Dei* Librum scripsit, qui ita incipit: *Animadverti sæpe, Donate, plurimos existimare (quod etiam nonnulli Philosophorum putaverunt) non irasci Deum, quoniam vel benefica sit tantummodo natura divina, nec cuiquam nocere, præstantissimæ atque optimæ*

optimæ congruat poteſtati. Quæ DIPPELII primaria hypotheſis eſt. Cap. VI. LACTANTIUS dicit: *Conſequens eſſe, ut iraſcatur Deus, quoniam gratia commovetur. Hæc tuenda nobis & aſſerenda ſententia eſt. In ea enim ſumma omnis ratio, & cardo Religionis pietatisque verſatur.* Et Lib. IV. *de vera Sapientia* Cap. XVII. Chriſtum portare peccata noſtra, & pro nobis dolere. Ipſum vulneratum eſſe propter facinora noſtra, & infirmatum propter peccata noſtra. Deum tradidiſſe illum pro peccatis noſtris. Et recte etiam ARNOBIUS ſacrificia Gentilium ridet quibus vim tribuebant expiatoriam; & nos credimus, Deum minime cæde pecorum delectari, diffundique lætitia. Videatur ARNOBIUS Lib. VII. pag. 213. 215. ſeq.

§. CCCX.

Nec denique cauſſa ulla adeſt cur ad EUSEBII, hac de Doctrina, provocet ſilentium, quod nullibi hac de re agat Scriptor hic. At magnopere fallitur DEMOCRITUS dum per integrum *Caput X. Libri I. Demonſtr. Evangelicæ* Dogma hoc proſequutus ſit. Et Lib. III. Edit. Colon. pag. 98. dicit: Ὁ Χριστος ἐκλος πασης ὑπαρχων πλημμελειας τὰς ὑπερ ἀνθρωπων ἁμαρτιας εἰς ἑαυτον ἀναδεξεσθαι &c. Lib. X. pag. 462. 467. Ἐδει τὸν ἀμνον τε Θεε τὸν ὑπο τε μεγαλε Ἀρχιερεως ἀναληφθεντα ὑπερ τῶν λοιπων συγγενων ἀμνων, καὶ ὑπερ πασης τῆς ἀνθρωπινης ἀγελης, θυσιαν τω Θεω προσαχθηναι – – γεγονε γαρ ὑπερ ἡμων καταρα, ὁ ἀμνος τε Θεε, ὁ αἱρων τὴν ἁμαρτιαν τε κοσμε. Ὃν καὶ μὴ γνοντα ἁμαρτιαν ὁ Θεος ὑπερ ἡμων ἁμαρτιαν ἐποιησεν, ἀντιψυχον ὑπερ παντων ἡμων προθεμενος αὐτον, ἱνα ἡμεις γενωμεθα δικαιοσυνη Θεε ἐν αὐτω.

XXI. DIP-

§. CCCXI.

XXI. DIPPELIUS OBJICIT : Deum nonnisi hoc intendere ut peccatum *deleat*, minime vero ut illud tegat. Non frustra in Evangelio resipiscentiam ante omnia prædicari, & deinceps peccatorum etiam remissionem. pag. 248. 249.

§. CCCXII.

Fallitur DEMOCRITUS dum dicit : Deum solum delere peccata, minime vero illa obtegere, quod contra Psalm. XXXII. 1. Ubi Beatus prædicatur, cui remissum est delictum & cujus *obtectum* est peccatum. Idem proprie etiam vox *Copher* Jobi XXXIII. 23. significat. Delet etiam Deus peccata propter imputatam nobis alienam Justitiam, quod patet ex Esajæ XLIII. 25. XLIV. 22. Resipiscendum autem esse antequam peccatorum obtinemus remissionem, ex Publicani exemplo patet, Lucæ XVIII. 13.

§. CCCXIII.

XXII. OBJICIT : *Justificare* in Evangelio nequaquam sensu forensi sumi posse, ut significet aliquem *absolvere*, dum quisquis sontem absolvat, eum Jehova detestetur Prov. XVII. 15.

§. CCCXIV.

Deus vero impium non qua impium, vel respectu habito impietatis ejus absolvit, sed respicit perfectam Christi Justitiam peccatori imputatam vera fide ab eo apprehensam. Unde Apostolus Paulus dicit : *At non operanti, sed in eum credenti, qui sontem justificat, ejus fides Justitiæ ducitur : quemadmodum David quoque hominis beatitatem in eo statuit, si ei Deus Justitiam tribuat sine operibus.* Rom. IV. 5. 6.

XXIII.

§. CCCXV.

XXIII. Dicit porro DEMOCRITUS: 2. Cor. V. extare ἑαυτῳ τὸν κοσμον καλλαστσομενος (dicere debuisset καλλαξαντος) neutiquam vero ἑαυτον τω κοσμω καλλαστσομενος. Unde igitur patere Adversarius putavit, Deum non fuisse iratum, adeoque à parte sui reconciliatione opus minime fuisse, sed eam nonnisi à parte hominis factam, ut adeo Christus non Mediator hominum apud Deum, sed Dei solum apud homines fuerit.

§. CCCXVI.

Constat α. hominem à Deo nunquam fuisse offensum, ut Deus eum ceu ab ipso læsum sibi reconciliare opus habuerit. β. contra vero non una vice in S. Litteris docetur: Deum hominibus pacem offerre, quod supponit Deum, modo perfectionibus suis digno, peccatori iratum fuisse, minime alias opus esset, ut pax inter Deum hominesque restitueretur, & Deus eam homini offerret. γ. Phrasin vero hanc, *Deus mundum sibi reconciliavit*, tantundem valere, ac si diceretur, *Deum mundo reconciliatum esse*, tam ex iis patet, quæ modo observavimus, quam ex eo quod statim sequitur: *Eis non imputans ipsorum peccata.* Quibus verbis clarissime indicatur quod Deus mundo fuerit reconciliatus, cujus reconciliationis signum atque effectus hic est, quod propter Christi Justitiam hominibus peccata non imputat. δ. Christum autem utriusque & Dei & hominum Mediatorem esse Apostolus testatur. 1. Tim. II. 5.

§. CCCXVII.

XXIV. OBJICIT DEMOCRITUS. Cum Chri-

Christus Legem *extra nos* potuerit implere, cur id non etiam *in nobis* facere potuerit? pag. 304.

§. CCCXVIII.

Respondemus: Ad hominem cum Deo reconciliandum minime sufficere, ut Lex nonnisi *in eo* impleatur; Cum enim homo natura peccator sit, adeoque Legis transgressor ac Justitiæ divinæ offensor, non sufficit ut à tempore aliquo Legem Dei implere incipiat; per integram enim vitam suam à primo ejus momento ad eam servandam obligatus est, quod cum non fecerit sed perpetuus Legis transgressor fuerit, necessarium etiam est, ut & hac in parte Legi satisfiat; quod ab homine ipso fieri neutiquam potest, dum licet præsenti tempore Lex in ipso impleretur id tamen non pro præterito sed pro præsenti tantum tempore fieri posset, unde id quod pro præterito tempore debet, nonnisi extra ipsum ab alio impleri potest. Fit hoc, dum Legis Justitia in nobis impletur per veram in Christum fidem; Etiam Lex *in nobis* impletur, dum vi Spiritus Christi ac sanguinis ipsius Justitiæ Christi participes facti sanctificationem nostram perficimus in timore Domini, ut integer noster Spiritus cum anima & corpore inculpatus servetur usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; Quo fit ut non modo à pœna sed à Dominio etiam peccati liberi facti magis ac magis justi fiamus. Ita necessum est ut Lex *in nobis* & *extra nos* per Christum impleatur.

§. CCCXIX.

XXV. DEMOCRITUS pag. 311. ulterius contra Doctrinam de Justitia Dei punitiva & inde

de fluente Satisfactionis necessitate urget : Quod si Doctrina de Ira divina vero ac proprio sensu intelligi debeat, eodem plane Jure Deo adscribi posse etiam transmigrationem ab uno loco in alterum, oculos atque aures proprie sic dictos, certam à terra distantiam ut eo descendere opus habeat, vel nuntium mittere ut scire possit quid ibi eveniat. Cujusmodi phrases si explicandæ sint, ita dictos orthodoxos satis promtos esse ut respondeant, talia juxta erroneam vulgi opinionem dici.

§. CCCXX.

Magnopere autem fallitur Adversarius, dum perhibet, docere orthodoxos phrases ejusmodi secundum erroneam hominum opinionem adhiberi ; sed potius hoc dicunt : eas esse metaphoricas, quales loquendi modos linguæ inprimis orientales amant, ut phrases à rebus quæ in Mundo physico fiunt transferant ad res quæ in mundo spirituali eveniunt ; & eandem ob caussam etiam metaphoras à rebus quæ in hoc mundo fiunt, ad exprimendas actiones Dei Spirituales adhibeant ; quæ autem loquutiones, uti alias etiam omnes metaphoræ, modo Essentiæ illius rei cui adplicantur, adeoque divinis etiam Perfectionibus, conveniente intelligendæ sint. Confitentur propterea omnes illi, quos Orthodoxos DIPPELIUS nominare solet, *Iram* etiam, quæ Deo adscribitur, phrasin metaphoricam esse, Deum decente modo intelligendam. Democritus nihil plane phrases ejusmodi significare arbitratur, sed nonnisi res fictitias atque mendacia esse putat. Orthodoxi contra docent, hæc blaspheme de S. Litteris dici, quod erronei quidquam, & quidem maxi-

maximi momenti, in illis tradatur; sed omnes ejusmodi metaphoricas phrases veritatem quandam ac realitatem in Deo exprimere statuunt, sed talem qualis Perfectionibus ejus conformis est. Judicet quivis nullius partibus studens lector an Orthodoxorum an vero DIPPELII potius sententia melius cum S. Scripturæ dignitate conveniat?

§. CCCXXI.

XXVI. OBJICIT CHRIST. DEMOCR. Christum Patri suo dicere: *Sacrificium & fertum tibi non placet, victimas & piacula non postulas.* Psalm. XL. 8.

§. CCCXXII.

Inde vero concludere minime licet, Christi etiam Sacrificium expiatorium Deo esse ingratum; sed hic nonnisi de Sacrificiis Veteris Testamenti sermo est, quæ per se Deo minime placebant, nisi in relatione ad verum Sacrificium expiatorium fierent. Inde Apostolus ex eodem hoc dicto in Epistola ad Hebræos probat: Sacrificium Christi totius Levitici cultus centrum fuisse. Cap. X. 5. seqq.

§. CCCXXIII.

XXVII. OBJICIT; Quod si Christus pro nobis sive loco nostri mortuus sit, sequi ipsum etiam loco nostri vivere ac ad Deum accedere.

§. CCCXXIV.

Non negamus Christum omnia quæcunque fecit & adhucdum facit, etiam in statu exaltationis pro nobis & loco nostri facere. Pro nobis resurrexit ut vitæ suæ etiam nos participes

facere possit, pro nobis in Cœlum adscendit, ut ibi nobis habitaculum parare & apud Patrem intercedere queat, *Pater, quos tu mihi dedisti, volo, ut, ubi ego ero, ii quoque sint mecum, ut meam gloriam videant quam tu mihi dedisti.*

§. CCCXXV.

XXVIII. OBJICIT denique DIPPELIUS: Nihil plane Christum in diebus carnis suæ de Patre irato dixisse, multo minus docuisse quod eum in finem in mundum venerit, ut loco nostri Satisfactionem præstet, & iram divinam ab hominibus avertat.

§. CCCXXVI.

Contrarium patet ex Joh. III. 14. 15. 16. 36.

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

C A-

* * * \

§. V.

In moralibus præceptis enim singularem sanctitatis Speciem præ se ferebat, ut etiam divitias abjiciendas esse traderet.

Hypothesis Primaria
sive
Πρῶτον ψεῦδος

§. VI.

PRIMARIUS ERROR, quo reliqui omnes tendebant, hic fuit: *Quod homini post peccatum commissum perfecta superstit facultas Legem divinam suis viribus servandi; adeoque hominem auxilio divino ad sancte vivendum non indigere.*

Fons Hæreseos.

§. VII.

Non nova tunc temporis fuit Doctrina illa, sed in Gentilium Theologia Stoicorumque Schola universaliter fuit recepta; quam ORIGENIS etiam fuisse constat, dum statuit animabus inditam fuisse liberi Arbitrii facultatem, qua aut ad bonum aut ad malum uti possent: cum vero PELAGII tempore magna ORIGENIS fuit autoritas, & PLATONIS philosophia ubique fere recipiebatur, mirum non est, si Doctrina hæc apud homines facile fidem invenit.

Stoici nimirum eousque naturales vires extollebant, ut virtutem Dei donum esse negarent; ita CICERO ad communem sententiam provocans dicit: *Virtutem neminem unquam*

quam acceptam Deo retuliſſe, & addit nonnullis interjectis, *Num quis, quod bonus vir eſſet, gratias Diis egit umquam? At, quod dives, quod incolumis. De Nat. Deor.* Lib. III. Cap. 36. Ita etiam SENECA ait Epiſt. XLI. *Stultum eſſe, bonam mentem à Deo optare, cum unusquisque eam à ſe impetrare poſſit.* Et HORATIUS Lib. I. Epiſt. 18.

Sed ſatis eſt orare Jovem, qui donat & auffert,
Det vitam, det opes; æquum mi animum ipſe parabo.

Non minus ARISTOTELES etiam, cum integra Peripateticorum Schola, ad parandam Virtutem ſolam naturam ſibi ſufficere putabat; quo induci facile poterant omnes Ethnici dum Virtutem nonniſi in externis atque civilibus quibusdam actionibus quærebant. Plurima etiam JUDÆORUM pars, dum omnem juſtitiam quæ Deo placeret, nonniſi in externa legis obſervantia conſiſtere arbitrarentur, vires etiam ad eam præſtandam ſibi tribuebant, plenariamque, ad edendum opus vere bonum, infirmitatem, intimamque hominis corruptionem negabant. Inter Chriſtianos ex primis ORIGENES fuit, qui Liberi, uti vocant, Arbitrii vires ultra quam par erat protulit. Unde HIERONYMUS Lib. III. *Dialog. adverſus Pelag.* Tom. IV. Opp. Part. II. Edit. *Martianæi* pag. 546. Eum *Pelagianorum amaſium adpellat. In Epiſt. ad Cteſiphontem* illum *erroris Pelagiani participem*, & Pelagii Doctrinam *Origenis ramuſculum vocat.* Sic enim pag. 477. inquit: *Vis adhuc & alium noſſe tui erroris participem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Solis vero naturæ viribus, omni divino auxilio deſtitutis hominem bona operari poſſe, ORIGENIS ſententiam fuiſſe, collectis ex ſcriptis ejus pluribus locis, oſtenderunt NO-

RISIUS *in Histor. Pelag.* & HUETIUS in ORIGENIANIS. Hunc sequutus est THEODORUS *Mopsuestenus*; Qui Christum merum hominem esse docuit, eum vero meritis operum, liberique arbitrii viribus ad tantam perveniisse gratiam, ut unigenitus Dei Filius dici meruerit; Illum autem non veniisse ad peccatum originis tollendum, dum nullum tale detur; sed eum solum in finem ut aliis suo prodesset exemplo. Ita vero de Theodoro hoc judicat BUDDEUS *Theol. Dogmat.* Lib. III. Cap. II. ad §. XXXV. pag. 619. *Theodorus autem*, inquit, *non tantum inter præcursores, sed & magistros Pelagii referri meretur; siquidem hocce dogma suum, quo peccatum originale negavit, Rufino tradidit, à quo cum Pelagio, Cœlestius, discipulus quidem Pelagii, sed qui magistrum studio hæresin propagandi fere superavit, illud accepisse perhibetur.* Addit nonnullis interjectis, *Et certe cum magnus hicce* (Rufinus) *fuerit Origenis admirator, eo facilius in istam descendere sententiam potuit, quam Pelagio atque Cœlestio instillasse creditur. Quin immo cum Origenis libros περὶ ἀρχων in linguam latinam transtulerit, primus hoc ipso Pelagianismi in Ecclesia occidentali jecisse fundamenta, non sine ratione existimatur.*

Caussa Erroris.

§. VIII.

Si in CAUSSAM hujus Erroris inquirimus, *in genere* deprehendimus, illam esse homini connatam quasi opinionem de propria perfectione, quapropter de magnitudine corruptionis difficulter

ter convinci potest peccator; unde hic error talis est, qui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ex hominum animis eradicari vix ac ne vix quidem potuit.

§. IX.

In specie vero est difficultas conciliandi Libertatem Voluntatis, præcipue si in indifferentia illam consistere statuatur, cum Gratiæ divinæ efficacia.

§. X.

Hac enim difficultate PELAGIUM, ut errorem disseminaret, fuisse adactum, perhibent qui historiam Pelagianismi tradiderunt, ita nempe ut dum Vitæ sanctimoniam omnibus tantopere inculcaret, nonnulli dicerent, id se libenter facturos si vires ad id efficiendum ipsis superessent: ad quod PELAGIUS regerebat, omnino hominem quemvis absque divino auxilio propriis viribus vitam suam secundum legis divinæ præscriptum ducere posse.

Errores cum Hypothesi Primaria connexi.

§. XI.

Proximum autem fuit, ut, Basi hæreseos semel posita statueretur in homine integras adhuc esse liberi Arbitrii vires, independentemque in operationibus à Gratia divina Voluntatem, ad principium boni operis, ad progressum & ad consummationem & quoad velle bonum & perficere, distinguebat nimirum PELAGIUS in actionibus inter *posse*, *velle* & *esse*; *prius* Deum in

natura posuisse asserebat, *cætera* vero *duo*, quæ nostra esse voluerit, ita esse firma & fortia & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, meram ergo Deo operis *possibilitatem* adscribebat.

§. XII.

Tota propterea Oeconomia salutaris in regno Gratiæ fuit invertenda, quia omnia beneficia soli divinæ Gratiæ adscribenda ex hominis viribus derivantur.

§. XIII.

Et cum independenti hominis Voluntati nihil magis repugnare videatur, quam futuritionis certitudo, omniaque bona ex diverso liberi Arbitrii usu sint derivanda, hinc Decretum divinum ceu fundamentum omnium Gratiæ beneficiorum considerari minime potest, sed potius caussa specialis illius Decreti partis, quæ Prædestinatio appellatur, est prævisio bonorum operum & perseverantia in illis, ex recto liberi Arbitrii usu proveniens.

Quam Sententiam hisce AUGUSTINUS explicat verbis Lib. I. *de Prædest. Sanct.* Cap. XVIII. pag. 1255. *Præsciebat ergo ait Pelagianus qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ Voluntatis Arbitrium, & ideo eos ante Mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo antequam esset prædestinans Filios, quos futuros sanctos immaculatosque prævidit seu præscivit. Utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.*

Si

§. XIV.

Si autem integræ sint naturæ vires, necessario neganda fuit peccati & labis Originalis efficacia, unde PELAGIUS nec imputationem (bene imitationem), nec inhærentiam peccati primi admisit.

§. XV.

Alius ex præcedente oritur Error, de morte pœna peccati; sublata enim caussa pœnæ, peccato scil., etiam tollendus fuit effectus scil. pœna. Hinc PELAGIO, ut sententiam suam tueri possit, etiam cavendum fuit, ne mors pœna peccati diceretur, quæ ut peccatum in omnes homines transit, ideo mortem non ut peccati sequelam considerat, sed ut sequelam naturæ, statuitque Adamum fuisse natura & conditione mortalem etiam ante lapsum, neque ex culpa nos sed ex conditione naturæ mori, mortemque non ex peccato derivari.

§. XVI.

Ex negatione labis Originalis adhuc alius fluit error, de usu scil. Pædobaptismi; cum enim secundum PELAGIUM infantes absque contagio peccati nascantur, hinc ipsi etiam statuendum fuit, illos baptizari non in remissionem peccatorum (cum nullum habeant peccatum), sed tantum in regnum cœlorum, quod nonnisi regenitis pateat; Pædobaptismi necessitatem enim plane negare non est ausus *Pelagius*, quia tot argumenta habebat, etiam primæ antiquitatis.

§. XVII.

Cum autem statuit parvulos non in remissionem quidem peccatorum, sed propterea bapti-

zari, ut regeneratione adoptati, admittantur ad Regnum Dei, de bono in melius translati: hinc nata alia controversia, de statu nimirum infantum mortuorum sine Baptismo, quibus PELAGIUS regnum Dei negabat, sed tamen extra illud beatam quandam vitam & locum Salutis promisit: Sententiam illius hac de re exponit AUGUSTINUS *de Hæres.* Cap. LXXXVIII. pag. 32.

§. XVIII.

Et quoniam integræ sunt liberi Arbitrii vires, & Gratia Dei non est necessaria (§. 10.); Hinc est quod sicuti prædestinationem ita & justificationem ex propriis derivet Virtutibus, statuens nos non ex Gratia Dei propter meritum Christi absque nostro merito, sed ex propriis operibus & virtutibus naturalibus justificari, meritoque bonæ Voluntatis; contingere remissionem peccatorum non ex fide, sed ex conatibus nostris, hinc impium illud dictum: *A Deo habemus quod homines sumus, à nobis ipsis quod justi.*

§. XIX.

Cum Salutem non derivat ex fide in Christum, qui unus est heri, hodie, & in æternum, & per consequens unica ad Salutem via, sed ex Lege & Operibus; hinc natus est ille error, quo pro triplici Gratiæ Oeconomia ille triplicem salutis viam statuit, scil. per legem naturæ sub promissione, per legem Mosis sub Vet. Test. & per legem Christi sub Nov. Test.

§. XX.

Sed errandi nondum est finis, cum enim vires Liberi Arbitrii incorruptæ sint, & homo nascatur

scatur sicuti initio à Deo creatus est, hinc fluit: Dari perfectionem justorum in hac vita vel actualem ut non peccent, vel possibilem ut sine peccato esse possint. Quam Pelagianorum sententiam AUGUSTINUS exponit *de Hæres.* Cap. LXXXVIII. pag. 32.

§. XXI.

Cum homo absque divinæ Gratiæ auxilio possit facere bona opera, Gentilium fuisse opera vere bona & Deo accepta statuendum fuit, edita licet per solas naturæ vires, sine Gratiæ adjutorio.

§. XXII.

Et cum conversio infidelium & perseverantia sint opera solarum virium naturalium, hinc pro eorum conversione non opus esse precibus perhibuit.

Hypotheseos Pelagii refutatio.

Propositio I.

§. XXIII.

Datur corruptio hominis nativa, adeoque Peccatum etiam originale.

§. XXIV.

Veritatem hanc jam ex ipsis Rationis Principiis demonstravimus (Cap. III. §. 851 - 857.); Ne autem probationi aliquid desit, ad eam stabilien-

biliendam ex S. etiam Litteris indubia nunc proferemus argumenta.

Notandum hic, Pelagianos Originale Peccatum AUGUSTINI commentum dicere, ut ante illum doctum nunquam fuerit; uti patet ex ipso AUGUSTINO, qui Lib. II. *de nuptiis & concupiscentia* Cap. XII. dicit; Respondens ad objectionem illam *Confitearis ergo, necesse est, originale, quod finxeras, interisse peccatum?* ait: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* VOSSIUS plane mirandum putat, vel olim fuisse, vel hodie inveniri, qui hanc Doctrinam Augustini commentum esse putent, & id aliis persuasum velint. Colligit deinde multa testimonia Græcorum Patrum quibus hæc probare vult, *Ignatii*, *Dionysii Areopagitæ*, *Justini Martyris*, auctoris quæstionum & responsionum ad orthodoxos, *Tatiani*, *Irenæi*, *Origenis*, *Methodii*, *Macarii* utriusque Hierosolymitani & Ægyptii, *Athanasii*, *Cyrilli Hierosolymitani*, *Basilii* aliorumque. *Hist. Pelag.* Lib. II. Part. I. Thes. 6. Aliter vero sentit PETAVIUS *Theol. Dogm.* Lib. XIV. Cap. II, §. 1. putans: Græcos originalis criminis raram nec disertam mentionem scriptis suis attigisse. Rei hujus caussam CHEMNITIUS in *locis Theologicis* de peccato Orig. hanc esse putat: Cum Patres tantum Manichæos refutandos sibi proponerent, nec tum mota essent Pelagiana certamina, cæpisse minus diligenter tradere veram doctrinam de peccato originali. Addidit deinde: *Et suo quidem loco recte*

ed. 1653, I, 222a

recte senserunt, & loquuti sunt de peccato originis. Ad populum vero hanc doctrinam, ceu mysterium celarunt. Videbatur enim securitatem & socordiam in hominibus alere. Sed illis incommodis loquutionibus, & intempestivis, nec veris encomiis bonitatis naturæ, non parum obscurata est hæc doctrina, & sparsa sunt sensim semina Pelagianismi. Et fuisset lux veræ sententiæ tandem omnino exstincta, nisi, exorto certamine Pelagiano, Deus excitasset sanos & fideles Doctores qui diligentiori inquisitione veritatem hujus loci, in ipsis Scripturæ fontibus investigassent, & sepositis dictis patrum incommodioribus, ad verum typum Doctrinæ, sicut Paulus vocat, revocassent. WHITBYUS autem Anglus in *Tractatu de imputatione divina peccati Adami, posteris ejus universis in reatum.* Cap. VI. & VIII. probare conatur, omnia ea quæ VOSSIUS ex Patribus adducit testimonia, rem minime probare. Clarissima autem hujus rei documenta apud IRENÆUM extant; Ea collegit MASSUETUS *in Dissert. præviis in Irenæum* Diss. III. Art. X. Dicit nimirum IRENÆUS Lib. III. Cap. XX. *Christum nobis salutem præstare, ut, quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.* Lib. IV. Cap. V. *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis Plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno Martyrii exaltatur à terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos.* Lib. V. Cap. XVI. *Dissolvens* (Christus) *eam, quæ ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, eam, quæ in ligno facta erat, inobedientiam,*

am, per eam quæ in ligno fuerat, obedientiam, sanans; Quem, addit hisce, *in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.* Hæc adeo clara sunt ut ipse WHITBYUS Lib. cit. Cap. VIII. confiteri cogatur IRENÆUM hisce docere: *Nos ob Adami peccatum imaginem Dei immortalis, ad quam initio creati fuimus, perdidisse, plagaque serpentis morti obnoxios factos, per Christi ad mortem obedientiam, ad incorruptelam, vitamque nulla morte finiendam, restitutos esse.*

§. XXV.

Ut *Originale peccatum* ex S. probemus Litteris, demonstrandum ex iis α. dari corruptionem naturalem quandam omnium hominum. β. Eam ab Adami peccato provenire, quod ad totum genus humanum fœderis Adami socium pertinet. γ. Nativam hanc corruptelam per naturalem generationem ad universos homines propagari. δ. Corruptionem illam peccatum vere tale esse. ε. Propter hæreditarium illud peccatum maledictioni divinæ obnoxios atque iræ filios esse omnes homines.

§. XXVI.

Primum hoc est: *Dari naturalem corruptionem omnium hominum.* Patet id ex dictis Gen. VI. 5. & VIII. 21. ubi dicitur: *Omne figmentum cogitationum cordis esse tantum malum omni die & à pueritia.* Per cordis figmentum exprimuntur omnes hominis cogitationes atque volitiones sive desideria, quæ in Litteris S. ubique per Cor significantur. Non vero una tantum vel altera cogitatio mala dicitur, sed *omnis*, & quidem sine ulla exceptione,

est

est enim *tantum* mala, & non in adolescentia solum sed *omni die*, sive toto vitæ hominis tempore; unde admodum corrupta sit oportet hominis mens, quod omnibus vitæ diebus, à primo ejus initio nil nisi malum ex ea prodeat. Alius locus universalem corruptionem probans extat, Jobi XIV. 4. *Quis dabit purum ex impuro? nullus* est. De universo genere humano Jobum hic loqui ex versu primo patet, ubi dicit: *Homo muliere natus plenus est miseriæ.* Cujus rei caussa nunc versu 4. indicatur, dum omnes homines impuri, hoc est, sub peccato nati sunt, unde etiam peccati sequelas sentiunt, varii generis nimirum calamitates, quibus omnes homines jam in hac vita obnoxii sunt.

§. XXVII.

Alterum à nobis probandum hoc est: *Corruptionem universalem illam ab Adami peccato provenire, quod ad universum genus humanum, Fœderis Adami socium pertinet.* Peccatum illud originale *denotat tum* defectum sive absentiam imaginis divinæ & justitiæ originalis Psalm. XIV. 2, 3. quatenus *homines* natura *alienati sunt à vita, quæ ex Deo est.* Eph. IV. 18. & *in peccatis mortui*, Eph. II. 1. *tum* etiam significat intimam naturæ hominis corruptionem & pravi cujusvis desiderium, hoc est, peccatum, utrumque vero ab Adami peccato atque corruptione provenire patet. 1. Ex eo quod Adamus prolem genuit *secundum imaginem ac similitudinem suam.* Cum vero Adamus peccato fuit obnoxius, adeoque originali justitia privatus, non potuit non etiam prolem, quæ secundum similitudinem ejus fuit, generare, imagine divina sive originali justitia privatam. 2. Nos ve-

ro

ro peccati Adami adeoque etiam pœnæ ejus participes esse Apostolus Paulus testatur Rom. V. 12. dicens: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, ἐφ ᾧ in quo omnes peccarunt.* Lapsus Adami omnes homines participes esse indicatur, quando α. dicitur, per unum hominem & peccatum & pœnam peccati in mundum intrasse β. quod dicitur *in eo*, id est Adamo, omnes peccasse. Idem etiam patet ex versu 15. ubi Apostolus ait: *Unius delicto multos mortuos esse.* Et *unius delicto mortem regnasse* & quidem *per unum.* Versu 17. *per inobedientiam unius hominis peccatores multos constitutos esse.* Versu 19.

§. XXVIII.

Tertium est: *Nativam hanc corruptionem per naturalem generationem ad universos homines propagari.* Id patet ex supracitato Jobi dicto Cap. XIV. 4. Ex Psalmo LI. 7. *Ecce*, inquit David, *in iniquitate natus sum, & in peccato concepit* sive calefecit *me mater mea.* Indicat hic David quisnam primus omnium peccatorum fons sit? Est nimirum corruptio illa communis omnium hominum, quæ in ipso conceptionis momento, in matris utero à parentibus transfunditur atque propagatur. Universalem vero esse hunc corruptelæ propagationis modum, inde liquet quod omnes homines eadem plane ratione, qua David, generentur ac nascantur. Huc etiam dictum Christi pertinet Joh. III. 6. *Quidquid ex carne natum est caro est.* Dum nimirum in S. Litteris caro spiritui opponitur, significat naturam humanam non in se & abstracte consideratam, sed quatenus corrupta est. Juxta Rom. VIII. 5. 6. 8. quisquis igitur

igitur ex carne, sive modo naturali generatur etiam caro est, id est, naturam plane corruptam habet. Cum vero omnes homines hac ratione gignantur, sequitur, omnes etiam natura corruptos & peccato originali infectos esse. Liquet quoque eadem veritas ex universali regenerationis necessitate; si enim non omnes homines, etiam natura, corrupti essent, nec regeneratio universaliter omnibus hominibus, si in Regnum cœleste intrare velint necessaria esset. Christus autem eodem Capite versu 7. dicit: *Hoc tibi etiam atque etiam confirmo, inquit, qui denuo natus non fuerit, eum non posse divinum Regnum videre.* Adde versum 5.

§. XXIX.

Quartum est: *Corruptionem illam peccatum vere tale esse.* Probatur hoc ex modo allegato Davidis dicto Psalmo LI. 7. ubi iniquitatem in qua formatus sit, Psalmista expresse *peccatum* vocat. Unde refelluntur ii, qui quidem corruptionem quandem naturalem universo generi humano communem admittunt, sed eam peccatum proprie sic dictum, quod pœnam mereatur, esse inficiantur.

§. XXX.

Ultimum hoc est: *Propter hæreditarium illud peccatum, maledictioni divinæ obnoxios atque filios iræ esse omnes homines.* Quod patet ex dicto Christi Joh. III. 3. 5. Ubi excludendi dicuntur à Regno cœlorum qui non sunt regenerati ex aqua & spiritu. Et expresse dicit Apostolus Rom. V. 12. per peccatum, quod per unum hominem in mundum intravit, etiam mortem, id est peccati pœnam intrasse, quæ ad omnes homines transierit.

rit. Ad Eph. II. 3. inquit, *eramus natura filii iræ ſicut & cæteri.* In Antecedentibus Apoſtolus miſerum hominum ſtatum deſcripſerat; quod nimirum mortui ſint in peccatis, in quibus & Epheſii ante converſionem ſuam juxta communem hujus mundi morem ambulaverint. Nunc ad miſeriæ hujus fontem penetrat, dicens: *Eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri.* Iræ filius is dicitur qui maledictioni atque pœnæ obnoxius eſt; unde CASTELLIO vertit: *Fuimus natura digni ſupplicio. Natura*, eum hominis ſtatum ſignificat, in quali homo per naturalem generationem verſatur, neque aliter etiam in communi loquendi uſu ſumitur. Et hunc verum illius ſenſum eſſe inde quoque patet, quod φυσις *gratiæ* opponitur, ut illa corruptum hominis ſtatum atque pœnam exprimat ſub qua homo in primo exiſtentiæ momento jacet. Nihil hic ii, qui à nobis in hac Doctrina diſſentiunt, intentatum relinquunt, ut dictum hoc in alium ſenſum torqueant. GROTIUS Lib. II. *de Jure belli & pacis.* C. XII. §. 26. vocem *naturæ* per *conſuetudinem* vel *receptum morem* explicat. Et in Annotat. ad hunc Pauli locum dicit το φυσει idem eſſe quod *revera.* Idem ſtatuit EPISCOPIUS *Inſtit. Theol.* Lib. II. Sect. V. Cap. II. & LIMBORCHIUS *Theol. Chriſt.* Lib. III. Cap. IV. §. 17. ubi dicit: *Unde evincitur, phraſin* natura *hic non ſignificare, à nativitate, ſed* vere, *ſeu* revera, *perinde ut* Gal. IV. 8. Serviebant iis qui natura non ſunt Dii: *Hoc eſt, qui revera non ſunt Dii.* CLERICUS autem, licet reipſa ab hisce non diſſentiat, agnoſcit, hanc non veram vocis hujus ſignificationem eſſe poſſe; unde ipſe *Arte critica* Part. II. Sect. I. Cap. VII. *naturam* hic ſignificare indolem gentis perhibet. At Apoſtolus hic

hic non de certa quadam gente, sed de omnium hominum natura loquitur.

Vide BUDDEI *Institut. Theol. Mor.* Parte I. Cap. I. ad §. 13. & *Instit. Theol. Dogm.* Lib. III. Cap. II. §. 13.

§. XXXI.

Cum igitur detur corruptio naturalis omnium hominum (§. 25.); Eaque ab Adami peccato proveniat, quod ad totum genus humanum pertinebat (§. 26.); Nativa porro hæc corruptio per generationem naturalem ad omnes homines propagetur (§. 27.); Illaque peccatum vere tale sit (§. 28.); Et propter peccatum denique illud omnes homines maledictioni divinæ obnoxii & iræ filii sint (§. 29.); sequitur *dari peccatum originale sive hæreditarium.*

Propositio II.

§. XXXII.

Peccati originalis gravitas maxime in hoc sese ostendit, quod vires liberi Arbitrii in spiritualibus ad ullum opus vere bonum edendum plane deficiunt.

§. XXXIII.

Quando de *Libero Arbitrio* ejusque viribus sermo est, quæ ad bonum homini post lapsum supersesse negantur, ante omnia observandum, homini Libertatem in actionibus moralibus atque

civilibus neutiquam denegari, Libertate enim ad agendum ipsum destitutum non esse quemvis experientia docet, ejus enim tam intime conscii sumus ac scimus nos voluntate gaudere. Bene ergo ad communem illam experientiam provocat KINGIUS de *Origine mali* Cap. V. Sect. I. Subject. V. §. 2. *Adesse*, inquit., *nobis principium hujusmodi scilicet liberum, tam certo experimur; ut vix consultis mentibus nostris de eo dubitare possimus; atque hinc esse quod omnes omnium gentium, naturæ ductum sequuti, & mentis propriæ sensibus attenti, libertatem sibi saltem in quibusdam actionibus adseruere; nec quis, nisi argutiis philosophicis adactus, & quasi circumventus, aut se liberum, aut se sibi posse placere, unum aut alterum è multis eligendo, negavit.* Vide de eodem hoc argumento JAQUELOTUM in *examine Theologiæ Bælii* Part. II. Cap. VI. Aliud huic argumentum addit BUDDEUS *Instit. Theol. Dogmat.* Lib. III. Cap. II. ad §. 27. *Omne*, inquit, *porro dubium eximit, quod subinde agamus, quæ inclinationi atque propensioni nostræ repugnant. Nimirum cum ratio dictat, noxium nobis fore, si inclinationis nostræ ductum sequeremur, tum, nisi adfectus vehementia obstet, voluntas corporis motus ad ea fugienda vel evitanda, ad quæ cæteroquin adpetitus fertur, determinat. Et ejusmodi, nisi Voluntatis libertas concedatur, incommoda plurima, imo absurda admittenda erunt. Quorsum enim, si omni homines in moralibus & civilibus destituuntur libertate, conduntur leges? Cur bonis præmia, malis vero pœnæ decernuntur? Quem in finem exhortationes fiunt, aut consultationes instituuntur? Idque tam manifestum est, ut, quemadmodum AUGUSTINUS alicubi loquitur, in montibus pastores hoc decantent, in theatris poëtæ, in docti*

docti in circulis, magistri in scholis, & in orbe terrarum totum ipsum genus humanum.

§. XXXIV.

Ad rem ipsam autem ut nunc accedamus, ante omnia exponenda vocabulorum significatio, quid nimirum Theologi per *Arbitrium*, & deinde, quid per *Liberum Arbitrium* intelligant? Per vocem *Arbitrii* Auctores latini denotant potentiam ac voluntatem eligendi. Per *Libertatem* vero intelligimus Facultatem animæ nostræ ex pluribus contingentibus sponte eligendi id, quod optimum judicat. Si ergo duas has notiones simul sumamus, *Liberum Arbitrium* eam denotat animæ rationalis facultatem, qua, si omnia ad agendum adsint requisita, potest agere vel non agere, hoc vel illud agere. Si ergo homini in statu corruptionis Liberi Arbitrii vires supereſſe negamus, hoc volumus: Eam animæ ipsius deesse facultatem, qua in spiritualibus nonnisi ad bonum sese determinare illudque agere potest.

Notandum hic α. non negari homini voluntatem, sed ejus facultatem nonnisi ad bonum sese determinandi; unde si nonnulli veteres Ecclesiæ Doctores homini etiam irregenito Liberum Arbitrium tribuerunt, ipsi non hanc voluntatis facultatem, sed nonnisi ipsam hominis intellexerunt voluntatem, nulla ad objectum ejus ad quod sese determinat vel determinare potest, & ad potentiam ipsius quodlibet agendi, respectu habito. β. Per Libertatem non intelligi eum facultatis hujus modum, quo externæ coactioni aut absolutæ necessitati opponitur, sed quatenus nonnisi ad bonum sese determinat, vel determinare debet.

§. XXXV.

Origo mali hujus, quod hominis Libertas in spiritualibus non amplius nonnisi ad bonum

sese determinare possit, provenit tum ab hominis intellectu, tum ab ipsa voluntate. Voluntas nimirum sequi debet intellectum. Si igitur intellectus ita occœcatus sit, ut malum sub specie boni repræsentet, vel vere bonum non agnoscat, non potest non voluntas etiam à veritatis via deflectere. Unde si probandum est, in corruptionis statu homini Liberi Arbitrii vires in spiritualibus ad opus aliquod vere bonum edendum deesse; demonstrandum α. hominis intellectui facultatem distinctæ repræsentationis boni spiritualis post peccatum deesse. β. Ipsam etiam Voluntatem nonnisi boni eligendi & agendi vires deficere.

§. XXXVI.

Jam ex Rationis principiis demonstravimus, hominis per peccatum corrupti intellectum Deum sibi debita cum claritate & distinctione (adeoque nec summum Bonum) repræsentare & cognoscere non posse (Cap. III. §. 869.); & per consequens nec illum appetere (loc. cit. §. 870.); propterea impossibile esse, ut homo peccator, qua constitutus in statu moraliter imperfecto, absque miraculo actionem vere bonam, hoc est, Attributis divinis & propriæ saluti conformem atque perfectam edere possit (§. 871. loc. cit.). Nunc superest ut idem ex S. Litteris etiam probemus.

§. XXXVII.

Intellectum quod attinet, S. Scriptura docet, eum respectu rerum spiritualium meram ignorantiam, merasque tenebras esse. Ita enim Paulus 1. Cor. II. 14. eum describit: *Animalis autem homo non capit, quæ sunt divini Spiritus, quippe quæ sunt*

sint ei stultitia : itaque non potest ea cognoscere, ut quæ sint spiritualiter examinanda. Eph. IV. 18. Homines dicuntur *mente obtenebrati atque à vita Dei alienati.* Imo *meræ tenebræ* Cap. V. 8.

§. XXXVIII.

Voluntatem vero hominis, qualis nunc natura est, nec boni quidquam velle nec perficere posse, patet *tum* ex iis Scripturæ testimoniis, in quibus homini omnis aptitudo abjudicatur ; *tum* ex iis, in quibus omnia bona nonnisi Christo & efficaciæ Spiritus ejus adscribuntur.

§. XXXIX.

Prius inde apparet, quod Paulus dicit : *Siquidem carnis adfectio inimicitiæ sunt adversus Deum, quippe quæ legi Dei non pareat :* NEC ENIM POTEST. Rom. VIII. 7. Et idem Apostolus aperte confitetur : *Nos non per nos ipsos esse idoneos, qui aliquid, ut per nos ipsos vel cogitemus : Sed quod idonei simus à Deo esse.* 2. Cor. III 5. Imo homines dicuntur *mortui* τοις παραπτωμασι και ταις ἁμαρτιαις. Eph. II. 1. Uti itaque homini mortuo liberum non est quidquam agere, sese erigere vel ambulare, ita nec homini spiritualiter mortuo liberum esse potest, boni quidquam efficere, sed omnis ipsi in spiritualibus actuositas plane deest. Ratio est quia *alienatus est à vita Dei.* Eph. IV. 18. & *peccati servus factus.* Joh. VIII. 34. Rom. VI. 16.

§. XL.

Omnia contra divinæ Gratiæ & vitæ Christi adscribuntur. *Deus enim est is, qui pro sua benevolentia in nobis efficit & velle & perficere.* Phil. II. 13. Et Christus expresse discipulis suis testatur :

Sine me non poteſtis facere quidquam. Joh. XV. 5. Soli etiam Deo adſcribitur, quod homini non modo novum Cor largiatur, ſed quod & ipſemet legem ſuam hominum cordibus inſcribat. Dicit nimirum Ezech. XI. 19. *Et in veſtra pectora novum Spiritum immittam, detractoque de eorum corporibus lapideo corde, cor eis carneum dabo, ut ex inſtitutis meis ſe gerant, & ſententias meas conſervent ac obeant.* Adde Cap. XXXVI. 26. & Jer. XXXI. 33. Pſalm LI. 12. *Et Filius eſt qui nos liberat, ut vere liberi ſimus* à dominio ſcilicet peccati, ſub quo natura *venundati ſumus.* Joh. VIII. 36. Rom. VII. 14. Liquet ex omnibus dictis hisce, hominem omnibus ad bonum efficiendum deſtitutum eſſe viribus, ſub ſervitute peccati conſtitutum ut ipſemet ſe liberum facere nequeat.

§. XLI.

Omnia denique Gratiæ beneficia, quibus homo à peccati miſeria liberatur & ad Dei communionem pervenit, nonniſi Deo adſcribuntur. Primum eorum eſt VOCATIO, quæ Deo adſcribitur, *qui non vult ut quisquam pereat, ſed ut omnes ad ſanitatem redeant.* 2. Petr. III. 9. Ipſe eſt *qui mortuis vitam dat, & quæ non ſunt, perinde ac ſi eſſent vocat.* Rom. IV. 17. vocatur propterea *cæleſtis vocatio.* Phil. III. 14. Heb. III. 1. *Quos prædeſtinavit eos etiam vocavit.* Rom. VIII. 30. *Ipſe nos ſalvavit, & ad ſanctum ſtatum vocavit, non ob facta noſtra, ſed ob ſuum decretum & beneficium, quod nobis in Chriſto Jeſu ante ſæcula donatum eſt.* 2. Tim. I. 9. Et cum hominis vocatio non in externa ſolum per divinum Verbum invitatione, ſed in intellectus etiam illuminatione ac Voluntatis immutatione ac flexione conſiſtat, ambo hæc Gratiæ

tiæ beneficia Deo ita adscribuntur, ut ea non ab hominis potentia provenire indicetur. Quoad *prius* dicitur: *Nam Deus, qui lucem ex tenebris lucere jussit, is est, qui nostris illuxit animis.* 2. Cor. IV. 6. Is ergo qui mentem illuminare & salutarem cœlestis sapientiæ cognitionem nobis largiri potest, is est, qui ex tenebris lucem producere potest. Orat propterea Apostolus *ut Deus Domini nostri Jesu Christi & gloriæ pater, hominibus Spiritum sapientiæ & patefactionis auctorem donet, quo eum cognoscant, illustratis mentis oculis, ut sciant quid sperandum sit vocatis ab eo.* Eph. I. 17. 18. Si vero homini satis superst virium ad applicandam sibi salutem, quid opus est ut Deum pro Spiritu suo imploremus. *Posterius* vero voluntatis flexionem quod attinet, expressis verbis Christus dicit, id à peccatoris viribus minime pendere. *Nemo*, inquit, *potest ad me venire, nisi Pater, qui me misit, eum trahat.* Joh. VI. 44. Si autem homini peccatori ad bonum quodlibet efficiendum vires adhuc superfint, qui fit ut ipsemet absque cœlestis Patris auxilio ad Christum venire nequeat?

§. XLII.

Ut homo è misero suo statu elabatur post vocationem FIDE opus est, quod Adversarii negare non poterunt, nisi clarissimis Scripturæ dictis manifeste contradicere velint. Si vero in homine Liberi Arbitrii vires superstites sint, ut omnia efficere possit spiritualia bona in Verbo Dei præscripta, hauddubie etiam singulari destitutus auxilio divino credere potest. At contra Fidem Dei opus esse sacræ testantur Litteræ. *Hoc divinum opus est, inquit Jesus, ut in eum credatis, quem ille misit.* Joh. VI. 29. *Credimus*, inquit Paulus, *se-*

cundum operationem potentis virtutis ejus. Eph. I. 19. Opus autem hoc omnibus Divinitatis personis tribuitur. Patri Joh. VI. 65. coll. cum 11. 12. Filio Eph. VI. 23. Et in primis Spiritui S. qui *Spiritus fidei* adpellatur. 2. Cor. IV. 13. Liquet ex hisce hominem suis viribus nec fidem producere posse, *quæ Dei donum est.* Eph. II. 8.

§. XLIII.

Ad hominis restitutionem porro REGENERATIONE opus est, quam homo peccator haud dubie ipsemet in se efficere poterit, si viribus ad bonum quodlibet opus faciendum natura non destitutus sit. Sed & hic contrarium S. Scriptura docet regenerationis opus soli Deo tribuens. *Fideles* enim *ex Deo geniti* dicuntur. Joh. I. 13. *Gratias agimus Deo*, ait Paulus, *Patrique Domini nostri Jesu Christi, qui nos pro sua singulari Misericordia regenuit in vividam spem.* 1. Pet. I. 3. Et teste Christo, *qui ex Spiritu natus non fuerit, regnum Dei intrare non potest. Quidquid vero ex Spiritu natum est, Spiritus est.* Joh. III. 6.

§. XLIV.

Homini ad divinam imaginem restaurando regenerationis initium non sufficit, sed spiritualis vita illa, quæ in regeneratione initium habuit, magis ac magis crescere debet, atque homo à peccatis inquinamentis magis magisque purgandus est, si cum Deo communionem habere velit, quod fit per SANCTIFICATIONEM; ea vero consistit *tum* in continua cum Carne lucta, *tum* in continuo ac sincero bonorum Operum studio. Juxta Pelagianorum vero hypothesin viribus naturalibus peccator Bonum quodvis spirituale perficere

ficere potest, unde non solum regenerationis, sed & ejus progressus sive sanctificationis Auctor esse debet. At & hic hisce Adversariis nostris sacræ contrariantur Litteræ. Christus enim pro Ecclesia sua orat, *ut eam Pater in veritate sua sanctificet.* Joh. XVII. 17. Et ipsemet Salvator se pro nobis tradidit, ut nos sanctificet. Eph. V. 25. 26. *Qui seipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, & sibi peculiarem populum purgaret, rectè factorum cupidum.* Tit. II. 14. Et opus Spiritus S. vocatur *sanctificatio Spiritus.* 2. Thess. II. 13. 1. Pet. I. 2. Et Paulus Corinthiis scribit: *Sanctificati estis per Spiritum Dei nostri.* 1. Cor. VI. 11. Unde Spiritus *Sanctus* adpellatur. Patet nec Sanctificationem hominis opus esse.

§. XLV.

Ut denique homo semel divinæ gratiæ particeps factus sit, & ut Salutis negotium in ipso inchoatum fuerit, non sufficit; sed oportet illud ad consumationem perducatur & homo in statu gratiæ persistat. Quod juxta Pelagianorum Doctrinam iterum hominis opus est. Sed & hic ipsis Dei Verbum adversatur, hominis in statu gratiæ CONSERVATIONEM soli Deo adscribens. Est enim negotium hoc Patris & Filii. Patris, dum *divina Potentia per fidem custodimur ad salutem,* 1. Pet. I. 3. Filii Joh. X. 20. Cap. VI. 39.

§. XLVI.

Cum itaque impossibile sit, ut homo peccator, sine interveniente miraculo, actionem vere bonam ac perfectam edere possit (§. 35.); Et hominis intellectus cognoscendis rebus spiritualibus natura plane ineptus sit (§. 36.); Voluntasque

tasque ad Opus vere bonum perficiendum impotens facta (§. 38.); In Litteris porro Sacris omnia in spiritualibus soli divinæ tribuantur Gratiæ (§. 39.); Omniaque æternam salutem consequendi media, totusque salutem adplicandi modus, tam quoad *Vocationem* (§. 40.), quam quoad *Fidem* (§. 41.); Et *Regenerationem* (§. 42.): & *Sanctificationem* (§. 43.), nec non in statu Gratiæ *Conservationem* (§. 44.), exclusis hominis peccatoris viribus soli Deo omnia hæc operanti adscribitur: Sequitur *Peccati Originalis gravitatem tantam esse, ut Vires Liberi Arbitrii in spiritualibus ad ullum opus vere bonum edendum plane deficiant.*

Objectionum præcipuarum Solutio.

§. XLVII.

OBJECTIONES, quæ ab Adversariis hisce moventur duplicis generis sunt, adeoque ad duas referri possunt classes. *Prior classis* eas comprehendit, quæ contra originale peccatum afferuntur; *posterior* illas complectitur difficultates, quæ ad stabiliendam virium Liberi Arbitrii integritatem pertinent.

§. XLVIII.

Quidquid autem sophismatis est, quod contra peccatum originale moveri potest, reperitur in tractatu DAN. WHITBY Doctoris Angli, quem Londini Anno 1711. edidit. *De imputatione* nimirum *divina peccati Adami posteris ejus universis in reatum*; Quam sibi impugnandam proposuit. Vera ejus sententia hæc est, quod quidem

dem homo natura adfectibus deditus sit, ut vix ac ne vix quidem à peccato sibi cavere, & divinam legem per omnem vitam servare possit; negat propterea: Originale peccatum intimam mentis corporisque corruptionem involvere; Unde Cap. I. p. 8. dicit: *Sensu metonymico omnes Adami posteros sub peccato nasci, id est, sub ea rerum Oeconomia, quæ nos passionum impetui, & adfectuum motibus ita subjicit, ut vix, ac ne vix possibile sit, nos innocentes, legique divinæ morigeros, per integram vitam perseverare.*

§. XLIX.

Primum autem quod contra nostram Doctrinam affert *Argumentum* Cap. IV. pag. 52. hisce proponit verbis: *Si quidquid vim generandi habet, sibi simile generat, ut adeo immundus ab immundo, corruptus à corrupto, caro à carne generetur, sequetur inde, quod viceversa à mundo mundum, à sancto sanctum, à spirituali spirituale producatur semen; adeoque sanctorum liberi, immo ipsius Adami, postquam pœnitentiam egit, nullo vitio naturali erunt obnoxii.*

§. L.

Respondemus argumentationem hanc falsa niti hypothesi, de perfectione nimirum hominum regenitorum in hac vita, ut nulla amplius corruptionis labes in ipsis superfit. Concedimus enim, quod si Adamus integer maniffet, non potuiffet etiam quin liberos generaffet omni corruptione originali atque peccati maledictione carentes; & si etiam ipsius Liberi, quod factum foret, non peccaffent, illorum etiam Liberi absque peccati corruptela fuiffent nati. Postquam autem tota Generis humani massa per Adamum corrupta & male-

maledictio propterea ad universum genus humanum pertransiit, non possunt non à peccatoribus etiam peccatores progenerari. Licet vero post lapsum, per maximam Dei Misericordiam homines regenerentur & paulatim ad divinam imaginem renoventur, nunquam tamen omnis in hac vita corruptio plane tollitur, ut peccati reliquiæ non amplius superstint; unde non possunt non etiam à parentibus corruptis liberi peccati originalis labe commaculati procreari.

§. LI.

OBJICIT II. Fieri quidem posse, ut is, qui à Parentibus genitus est carnalibus, postquam ad Rationis usum pervenerit, carnis subjiciatur affectibus, nullam tamen inde deduci posse consequentiam, quod ipsa infantum natura ita corrupta sit; sive quod omnis peccati semen in infante jam latuerit. Cum itaque Servator dicat: *Quod ex carne natum est, caro est:* nihil aliud significare; quam quod natum est ex carne, adpetitus & concupiscentias carnales, cum adoleverit, producet. Certum etenim esse, ait, infantes ab ipso utero materno adpetitus carnales non edere, adversus spiritum non concupiscere.

§. LII.

Infantum autem naturam à primo conceptionis eorum momento corruptam esse, eosque sub peccati maledictione jacere, non inde tantum probavimus, quod omnes homines adulti, universali experientia teste, corruptionis hujus fructus ferant. Sed clarissima ad Propositionem I. ex S. Litteris attulimus testimonia, quod ipsa jam Infantum natura à primo existentiæ eorum momen-

momento corrupta sit, & quod peccatum per unum hominem ad universum genus humanum, adeoque ad ipsos infantes, pertransierit. Unde Viri Docti argumentatio contra nos non valet, quando dicit: Inde non sequi infantum naturam jam corruptam fuisse dum adulti adfectibus sese mancipantes peccant. Si autem Christi verba Joh. III. eam habere deberent significationem, quam Vir Doctus ipsis affingit, Christus dicere debuisset, quidquid ex carne natum est, certo etiam suo tempore caro futurum est; sed in præsenti loquitur, *quidquid ex carne natum est, caro est*, non *fiet*. Et omnibus insuper, absque ulla exceptione, ex carne natis pronuntiat, quod in regnum cœleste intraturi non sint, nisi regenerati fuerint; regeneratione vero infantes opus non haberent, si nulla ipsis inesset corruptio. Male denique WHITBYUS argumentatur: Certum est infantes nullos corruptionis suæ externos edere fructus, ergo nulla peccaminosa ipsis inest corruptio, vel corruptionis semen. Idem est ac si diceretur de semine in terram projecto, quod postquam Arbor vel frutex fit, fructus venenatos & noxios profert: certum est semen hoc nullos venenatos edere fructus, ergo fructus noxii stamen in ipso non latet. Ita licet Infantes eo demum tempore postquam ad Rationis usum pervenerunt noxios peccati extra se protrudunt fructus, minime tamen inde concludi potest: stamen, sive semen illorum fructuum, non in primo jam existentiæ illorum momento in ipsis latuisse & jam tunc peccati veneno nondum fuisse infectos.

§. LIII.

OBJICIT III. Tritum illud eorum argumen-

mentum qui peccatum originale impugnant. Dicit nimirum Cap. IV. pag. 58. seq. Absurdum plane esse, si dicamus, *Deum animam humanam puram, ex manibus suis prodeuntem, ita corpori infundere, ut primo unionis momento omnes ejus facultates depraventur, ut nec bonum facere, nec malum vitare queat.*

§. LIV.

Ad hanc objectionem alibi jam à nobis *responsum fuit:* Quod scilicet dici non possit, animam vel puram vel impuram à Deo fuisse creatam, siquidem jam in primo existentiæ suæ momento cum corpore unita sit, neque vel unico momento extra corpus extiterit; ut adeo statim ad Adami semen pertineat; & cum corpore unita unicam constituit personam, & ad integram illam generis humani massam pertinet, quæ corrupta sub peccati maledictione jacet.

§. LV.

ADDIT hisce IV. *Nullam esse legem quæ nos ita nasci prohibeat; ubi autem nulla lex est, nullam quoque ejus esse transgressionem, adeoque & peccatum nullum.*

§. LVI.

Hauddubie *lex* est, quæ jubet ut Creatura rationalis porro talis existat, qualis primitus à Creatore producta fuit. Et lex hæc adeo universalis est, ut ad omnes, sine ulla exceptione, Creaturas rationales pertineat. Cum nimirum Deus eum in finem hominem creaverit, ut Deum ceu summum Bonum atque Ens absolute perfectissimum agnoscat atque colat, etiam vult ut in hoc statu cum omnibus suis posteris persistat. Ideo pri-

primum hominem etiam sic creavit ut & ipse cum omnibus posteris suis in hoc statu permanere potuisset. Si vero humanum genus in hoc statu non sit, citra Dei culpam id fit, unde cum homines non tales existunt, quales Deus eos voluit existere, illos merito ceu legis transgressores respicit ac damnat.

§. LVII.

Addit V. *Quod nascendo in nos derivatur, non potest esse nostrum peccatum; cum penes nos non sit, nasci vel non nasci, sed plane involuntarium.* Cap. IV. pag. 64. 65.

§. LVIII.

Vis argumenti huc redit: Ut actio aliqua peccatum dici possit, illa libera ac voluntaria sit oportet, quidquid enim aut coacte, aut nobis insciis absque ullo nostro consensu ac voluntate accidit, peccatum censeri nobisque imputari nequit. Atqui Voluntatis consensus hic excluſus est, quod corrupti nascimur. E. Nec corruptio illa peccatum haberi, vel nobis ceu peccatum imputari potest.

§. LIX.

Respondemus α. omnino hic consensui locum esse. Totum enim humanum genus ceu unica aliqua Persona moralis considerandum est, quæ persona in Adamo Capite suo, non naturali tantum, sed & fœderali, cum Deo fœdus pepigit, omnibus iis propterea consensum præbuit, quæ Adamus ceu persona publica pro se omnibusque suis posteris adstipulatus est & fecit. Ubi autem consensus est, ibi etiam voluntas ac libertas locum

cum habet, ubi hæc ibi etiam legis transgreſſio peccatum eſt. β. Si homo corruptus naſcitur & à primo exiſtentiæ ſuæ momento talis eſt, ſponte etiam peccat, dum vero ſpontaneus legis transgreſſor eſt, etiam corruptioni illi conſentit, adeoque illa ſuum quoque peccatum eſt.

§. LX.

Ut alia prætermittamus OBJICIT VI. contra peccati Adamici imputationem diſputans; *Nec idem numero, nec idem ſpecie peccatum cum Adamo nos commiſiſſe.* Cap. II. pag. 36.

§. LXI.

Reſpondeo diſtinguendum hic eſſe inter ipſum *actum phyſicum* quem Adamus peccando commiſit, & inter *actionis moralitatem* ac *conſenſum.* Quatenus nonniſi actus externus reſpicitur, omnino dicendum eſt: Adami poſteros manus ſuas ad fructum vetitum non extendiſſe; quo ſenſu actus ille transgreſſionis & lapſus Adami cum poſterorum peccato *phyſice unus* eſſe nequit. Actionis vero moralitas ac conſenſus ſi conſideretur, ſtatuendum omnino eſt, idem cum Adamo etiam ipſius poſteros & numero & ſpecie committere peccatum, dum illi conſenſum præbere cenſendi ſunt; Ubi vero conſenſus eſt, ibi idem etiam committitur peccatum. Cum itaque Adamus cum omnibus ſuis poſteris unicam moralem conſtituant Perſonam, ejusdemque fœderis ſocii atque ejusdem legis transgreſſores ſint, morali etiam æſtimatione idem numero ac ſpecie peccatum, ſive Legis transgreſſionem commiſiſſe putandi ſunt; unde nihil hæc argumentatio valet contra juſtam peccati Adami univerſo humano

generi,

generi, sive integræ personæ morali, consensum suum præbenti, imputationem. Ita ergo nos potius argumentari possumus. Peccatum posterorum cum peccato Adami propter consensum, moralemque æstimationem, nontantum specie sed & numero unum idemque est. E. Jure Adami peccatum etiam posteris ejus imputatur.

§. LXII.

OBJICIT VII. *Peccatum Adami non posse esse nostrum, ea tantummodo ratione, quod imputetur, nisi dicere velis, Deum imputando nos facere peccatores, quos tales non invenerit.*

§. LXIII.

Et hæc objectio ex præcedente solvi potest responsione; dum enim tota illa Moralis Persona Adamus cum universo humano genere, sive integrum illud corpus ac massa æstimatione morali ac consensu idem commiserit peccatum, tam numero quam specie, sequitur toti etiam massæ peccatum illud imputandum esse; adeoque Deus peccatum hoc imputans totam illam personam moralem jam invenit peccatorem, neque demum eam talem facit. Et cum corruptio per Adami peccatum ingressa, per naturalem generationem non potuerit non totam pervadere massam, Deus universum genus humanum ceu unicum aliquod corpus considerans, omniaque unico actu sibi repræsentans, aliter non potuit quin etiam totum humanum genus ceu corruptum sibi repræsentet, adeoque homines jam corruptos inveniens, peccatum tam quoad primam ejus originem quam progressum imputet.

§. LXIV.

PERGIT VIII. *Adamum non magis fuisse radicem generis humani in primo peccato, quam in aliis omnibus, quæ antequam nasceretur ei Filius, perpetravit: omnia itaque redire ad voluntatem Numinis; hac autem ratione tandem consequi, Deum esse Auctorem peccati, quod absonum sit.*

§. LXV.

Respondemus: Primum peccatum singularem habuisse rationem, dum illud vel omissum vel patratum de universi generis humani sorte debuit decidere; si illud fuisset omissum, Adamus cum omnibus suis posteris integer & à peccato liber mansisset; cum vero patratum illud fuit, tota etiam persona moralis humani generis peccavit, corrupta inde & maledictioni obnoxia fuit. Primum enim peccatum illud fons & lerna omnium malorum est, quæ in humanum genus redundarunt. Imo omnia peccata, quæ Adamus post hoc primum commisit, ab eo ortum suum trahunt, & proprie non ceu peccata ab hoc separata, sed ceu primi hujus peccati continuatio consideranda sunt; unde proprie loquendo Adamus in primo hoc peccato omnium reliquorum fonte generis humani radix est, per illud enim penitus tota humana natura corrupta fuit, ut ad omnes homines inde derivata sit. Primum ergo peccatum ceu radix amara ac venenata considerandum est, quæ omnia reliqua peccata ac fructus inde natos in se complectitur. Ut adeo sufficiat in eo solo Adamum generis humani radicem esse. Insuper post commissum hoc primum peccatum judicialis Dei intercedebat actus, quo sententiam in Adamum,

damum, Evam omnesque eorum posteros pronuntiabat, unde iterum patet, solum peccatum primum singularem ad universum genus humanum relationem habuisse. Fallitur vero Adversarius dum putat; hoc modo omnia tandem ad solam Numinis voluntatem redire, ut Deus tandem, quod absit! peccati Auctor habendus sit. Si simplicem peccati permissionem à parte Dei Adversarius per Numinis voluntatem intelligat, concedimus Deum, si voluisset peccatum impedire, potuisse quo minus eveniret, nisi sapientissimæ ipsi fuissent caussæ cur illud permitteret; sed propterea Deus nullo modo peccati Auctor dicendus est. Si vero Vir Eruditus per voluntatem Numinis actum quemdam Dei intelligat, quo Deus efficit, ut omnes homines peccatores evadant, id ex sententia nostra sequi pernegamus; Siquidem sententiæ à Deo prolatæ fundamentum in ipsa Adami posterorumque ejus natura quærendum sit; Deus enim vi legis ab se latæ, post commissum peccatum, aliter non potuit, quin universam illam Personam moralem humani generis ceu corruptam ac maledictioni obnoxiam consideraret, nec ulla adfuit ratio quare Adamo non sobolem ei similem juxta naturalis generationis legem semel constitutam daret; unde primi peccati propagatio in ipsa rerum natura, minime vero in Dei voluntate, ceu peccati caussa, quærenda est.

§. LXVI.

OBJICIT IX. *Immo, infantes pœnis æternis subjicere, ob peccatum Adami, & severius cum iis agere, quam cum ipso Diabolo, aut cum Adamo, qui peccatum ipsemet commisit.*

§. LXVII.

Respondemus: Infantes natura corruptos, adeoque etiam maledictioni obnoxios, radicem omnium peccatorum, itaque omnium etiam malorum inde fluentium in se continere, ut reatus & pœna cum peccato illo non possint non nexu naturali ac necessario esse conjuncta. Et *deinde* fidelium infantes æterna affici pœna minime statuimus, dum in parentum suorum fide censeantur. *Quoad* infidelium liberos eos quidem à Dei communione separatum iri credimus, adeoque ceu iræ ac maledictionis filios eoipso, quo à beatifica Dei communione excluduntur, damnatum iri; Sed varii dantur sensus pœnæ illius ac damnationis gradus, ut infantium pœna ejusque sensus minimus futurus sit, proptereaque à diaboli vel hominum adultorum in peccatis sponte perseverantium multum differat; ut adeo & hic Deus justus inveniatur in viis suis.

§. LXVIII.

Omissis aliis parvi momenti difficultatibus, ad eam nunc progredimur *Objectionum classem*, quæ ad stabiliendam virium Liberi Arbitrii integritatem moventur. *Prima* earum hæc est: Quod si omnia à divinæ Gratiæ efficacia pendeant, ut homo ex se nihil boni efficere possit, homini omnem demi libertatem, ut actiones ipsius non amplius morales sint, sed stipitis & trunci adinstar cum ipso agatur, ut nolens volens ad agendum rapiatur, nec divinæ Gratiæ resistere queat.

§. LXIX.

At non perpendunt hi, quod Deus qui homini Voluntatem, adeoque etiam Libertatem dedit,

dit, in homine etiam actiones liberas producere possit. Adversariorum error inprimis in hoc consistit, quod summum Libertatis gradum in Indifferentia non vero in Spontaneitate consistere putant, cum tamen non indifferentia sed Spontaneitas coactioni in altero extremo opposita sit. Si vero vera libertas in Spontaneitate consistit, concipi facile potest, quomodo illa cum divinæ Gratiæ efficacia optime consistere queat? Homo nimirum spontanee agit, quando tanta intellectui ejus repræsentantur motiva, quæ nullum relinquunt dubium, potius hoc quam aliud agendum & hoc illi longe præferendum esse; quando porro omnia ea remota sunt obstacula, quæ Voluntatem hactenus impediverunt, quo minus agere ac vere bonum præ apparenter tali eligere potuit; quando denique Voluntati vires tribuuntur ut id quod eligit, efficere queat. Efficacia ergo divinæ Gratiæ in hisce tribus sese exhibet α. quod hominis mentem illuminat, tantaque ipsi ad eligendum vere bonum ostendit motiva, ut homo non possit non agnoscere misere se hactenus à recta ad veram felicitatem via aberrasse, ut si in hoc statu persistat sibi pereundum sit. Sed nihil plane hoc veræ libertati officit, non magis ac si aliquis mathematica demonstratione de veritate aliqua convincitur; aut si prægnantes menti meæ obversantur caussæ, vel rationes, cur munus aliquod ultro mihi oblatum capessam; Aut si inveni veritatem aliquam antea mihi incognitam. *Porro* divinæ Gratiæ efficacia in hoc sese ostendit, quod omnia ea removet obstacula, quæ voluntatem impediunt, quo minus intellectus lumen sequi possit; Affectibus nimirum ac cupiditatibus carnalibus nostra volun-

tas impedita est, ut licet præluceret intellectus, sequi tamen non posset; juxta illud: *Video meliora proboque, sed deteriora sequor.* Si autem benigna Numinis Gratia obstacula illa removet, & mentis nostræ corruptionem tollit, id libertati obesse minime potest, non magis ac si viam aliquam ingredi cuperem, mihi aliquis omnia ea removeret obstacula, quæ ab hoc itinere hactenus me impediverunt, & si inertiam meam ac loci alicujus amorem mihi aufferret in quo hactenus commoratus sum, ut me in posterum ejus fastidium capiat, ut diutius ibi morari me tædeat. *Tertio* denique in hoc etiam divina Gratia efficax est, quod Voluntati nostræ vires addit, ut propositum exsequi, atque bonum quod vult efficere possit; sed nec hoc libertati nostræ nocere potest, non magis quam si homo varii generis morbis debilitatus, manibus pedibusque plane infirmus factus, ut porro incedere nequeat & nihilominus in locum aliquem contendere magnopere cuperet, vires per medicamenta, aut immediate à Deo per miraculum reciperet, quo ipsius libertati nihil plane derogaretur, non magis ac claudo illi quotidie ad fani hierosolymitani portam sedenti, cum à Petro sanatus fuit. Hac ratione Gratia divina efficaciſſimam sese exhibet, neutiquam tamen nostræ libertati officit, sive mentem nostram illustret, sive nostræ voluntati obstacula removeat, sive ei vires addat. Sequitur: Falso nobis Adversarios objicere, quod efficax Dei Gratia omnem hominis libertatem excludat, & quod ex nostra Doctrina sequatur, Deum cum homine ceu cum trunco ac stipite agere. Ita clare me hic contrarium demonstrasse arbitror, ut nulla amplius exceptio, nulla accusatio locum habere possit.

OBJI-

§. LXX.

OBJICIUNT II. Sublato libero Arbitrio frustraneas esse ad bonum suasiones, aut ad malum avertendum propositas minas vel pœnas.

§. LXXI.

Respondemus : Frustra id esse quod absque ullo fine fit; at nemo hactenus demonstravit suasionum ac comminationum finem non alium quam hunc posse esse, ut propriis viribus homo peccator divinam legem observet. Finis enim monitorum esse potest α. ut homini ostendatur quid officii ejus sit, & ad quam legem præstandam, quibusque motivis obligatus sit. β. Ut Peccator impotentiæ suæ convincatur, atque ita ad divinam Gratiam quærendam permoveatur, ejusque necessitatem agnoscat. γ. Ut homo sciat quid per Gratiam divinam efficere possit. Ut *denique* etiam rationes noscat, cur eum desiderare oporteat, ut hoc vel illud per divinæ Gratiæ auxilium efficere possit; Deus enim cum homine ceu cum creatura rationali agere vult. Sive enim hominis intellectum illuminet, sive voluntatis obstacula removeat, ejusque inertiam tollat, sive homini vires addat, ita tamen in omnibus agit, ut homo semper rationes perspiciat, cur hoc vel illud per Dei Gratiam fieri debeat; quo hortationes suasionesque tendunt. Liquet itaque omnino alios adesse fines, cur Deus suasionibus minisque utatur, quam quod homo propriis Viribus agere possit. Ubi vero adsunt fines, dici non potest aliquid frustraneum esse.

§. LXXII.

OBJICIUNT III. Quod si ea sit hominis

irregeniti impotentia, ut in spiritualibus nihil valeat, Deum ad obedientiam eum obligare non posse, dum ad impossibilia nemo teneatur.

§. LXXIII.

Optime ad hanc objectionem respondet Catechesis Palatina Quæst. IX. Propria enim hominis culpa legis observatio impossibilis facta est, satis enim virium a Deo acceperat. Neque per hominis culpam ac voluntariam virium perditionem, Deus jus suum, perfectam ab homine obedientiam postulandi, amittere potest. Nec præceptum per peccatum desinere potuit esse præceptum, nec transgressione mutari potest, siquidem lex naturalis sit immutabilis; sed per peccatum vim accipit hominem coarguendi, damnandi, impotentiam, propriæque justitiæ impossibilitatem ostendendi.

§. LXXIV.

OBJICIUNT IV. Homines excusationem sive apologiam habere, si ita impotentes sint, ut ex se bonum facere nequeant, cum tamen Apostolus dicat eos esse ἀναπολογήτους.

§. LXXV.

Apostolus non docet eos quos *inexcusabiles* dicit, ex se bona quæ debent præstandi potentiam habere, sed eo quod malitia eorum inemendabilis sit, maturos esse ad judicium, dum jam diù divina longanimitate abusi sint: excusare enim se non possunt, quod Deus intestatum se eis reliquerit, quod divinam legem nesciverint, quod Deus non munificum se sibi præstiterit, quod se non ceu summum Bonum ab ipsis quærendum,

dum, cognoscendum præbuerit. Qua autem ratione excusari ii poterunt qui omnibus hisce abutuntur, & se peccati servos manere velle omni modo ostendunt.

§. LXXVI.

OBJICIUNT V. Etiam non renatos Deo grata facere posse: veluti Obstetrices Ægyptiacæ, Nebucadnezar, Cyrus, Cornelius Centurio.

§. LXXVII.

Respondemus. α. Obstetrices Ægyptiacas illas Deum Israëlis timuisse, adeoque Populi Dei proselytas fuisse. Et Cornelium jam divinam accepisse gratiam ex omnibus circumstantiis patet. Nebucadnezarem, Cyrum, aliosque qui regno Dei inserviverunt, quod spectat, illi quidem certo respectu opera bona fecerunt, hoc est, talia per quæ Deus bonum aliquem finem consequutus est; fuerunt bona respectu honestatis civilis, externique decori, non vero omnium requisitorum quæ opus spirituale ac vere bonum habere debet, ut fiat ex viva fide, juxta exactissimam voluntatis divinæ regulam, & ad Dei glorificationem. De ejusmodi hominum irregenitorum operibus CHRYSOSTOMUS ait, quod sint καλα μεν, ἀλλα νεκρα.


§. LXXVIII.

Addunt tandem VI. OBJECTIONIBUS hisce, alias enim dum nullius momenti sint præterimus, *Deum Israëlitis proponere eligendam vitam & mortem*, Deut. XXX. 15. *Et Josuam Judæis optionem dare, velintne Jehovam colere an alios Deos*

Deos? Cui autem optio datur, is libertatem Arbitrii habeat oportet.

§. LXXIX.

Reſpondemus α. Quod ſi Deus Judæis optionem dat, non vult ſignificare, quod bonum absque ſua Gratia velle & perficere poſſint: divina potius Gratia inſtructi ac illuminati id facere poterant. β. Ipſis proprie nec Deus nec Joſua optionem dat, dum hic loquendi modus nonniſi figura rhetorica ſit, ſed officium illis inculcat, ut vitam quærant, nec præter Jehovam alios Deos colant.



* * * \

§. IV.

Nec ARMINII fatis functi discipuli otiosi fuere, sed Synodum nationalem metuentes, impense, ut eam eluderent, allaborabant. Ideo Generosis Holl. Ordd. libellum exhibuerunt supplicem, REMONSTRANTIÆ nomine, in quo præter mutuam tolerationem petebant, ut quinque Articulos, ad quot capita omnes referebant controversias, libere docere possent; cum Reformati CONTRA- REMONSTRANTIAM opposuerunt.

§. V.

Quum autem Navis Ecclesiæ ac Reipublicæ his contentionum fluctibus periclitari inciperet, Anno 1618 & 1619, Auctoribus JACOBO I. Britanniæ Rege & Gen. Holl. Ordd. contra Remonstrantes Synodus Dordraci fuit habita; Sessionibus CLIV. absoluta, in qua illorum errores condemnati fuere.

§. VI.

Facile autem deprehenderunt Concilii ejus Patres, *Liberum Arbitrium* solam Helenam illam esse, quam obtinere contenderent Remonstrantes, & suspicionem habebant, quinque illos Articulos apud multos prætextum tantum esse, ipsumque Socinianismi virus sub hac specie latere.

§. VII.

Declinarunt enim magis magisque ad Socinianos Arminiani; unde communiter illi qui sunt *Arminiani puri* distinguuntur ab illis qui *Socinianizantes* sunt.

§. VIII.

PRIORES manent intra quinque famosos illos

illos Articulos, de GRATIA nimirum DECERNENTE, REDIMENTE, VOCANTE tum COMMUNI tum EFFICACI & PERSEVERANTE.

§. IX.

POSTERIORES vero sunt tales, quales eos formavit EPISCOPIUS, qui totum fere cœtum in partes suas traxit, ei venenum suum communicavit, nominique Remonstrantium impegit; qui *Apologiæ* illius commune Remonstrantium nomen præfigi passi sunt; quod scriptum Socinianis erroribus scatet.

Caussa Errorum.

§. X.

Ex dictis (§. 2. 3.) patet, quænam horum errorum præcipua fuerit caussa; eadem nempe quæ Pelagianismum olim excitaverat, impossibile enim ARMINIO videbatur, ut Decretum Dei immutabile cum hominis Libertate, in indifferentia posita, consistere posset.

§. XI.

Accedebat insuper communis ille, quo hominum animi imbuti sunt, error de liberi Arbitrii ad bonum viribus per peccatum non plane extinctis.

Hypo-

Hypothesis Primaria & Errores connexi.

§. XII.

Omnium, quos Remonstrantes fovent, errorum πρῶτον ψεῦδος hoc esse videtur: *Quod homini tribuunt Vires naturales obediendi Evangelio, ut si non cum Pelagianis saltem cum Semipelagianis faciant.* Hoc est, *si non integras vires statuunt, quales in statu integritatis fuerunt, tamen contendunt, illas licet ægras, ad gratiam oblatam tamen recipiendam sufficientes esse.*

Confitentur id Confessionis August. Doctores, licet cæteroquin Synodum Dordracenam, contra Remonstrantes habitam, non probent. Unde BUDDEUS *Instit. Theol. Dogm.* Lib. III. Cap. II. ad §. XXXV. pag. 628. ait: *De Arminianis etiam satis notum est, ad illam merito eos referri classem, qui naturæ viribus plus quam decet tribuunt.* Ulterius hujus rei veritatem, quod nimirum recte hypothesis hæc Remonstrantibus tribuatur, videbimus infra (§. 23. 24.) ubi ipsorum de peccato originali Doctrinam exponemus.

§. XIII.

Huc enim redeunt, & ex hoc principio fluunt omnes quinque illi Articuli, de prædestinatione conditionata à recto liberi Arbitrii usu suspensa, de impetratione salutis per proprias vires recipiendæ, de Gratiæ vocantis & convertentis efficacia ab usu virium liberi Arbitrii pendente, de perseverantia in statu gratiæ, & quæ alia.

De

De liberi Arbitrii viribus primi Remonstrantes cautius & moderatius loquebantur, neque se quidquam divinæ gratiæ derogare videri volebant, sed omnia in solidum se ei tribuere asserebant; Unde tertius & quartus ex celebratis illis quinque Articulis ita sonant:

Articulus III. *Hominem vero salutarem fidem à seipso non habere; nec vi liberi Arbitrii sui, quandoquidem in statu defectionis & peccati nihil boni, quando quidem vere bonum est, quale quid est fides salutaris, ex se possit cogitare; vel facere; sed necessarium esse, eum à Deo in Christo per Spiritum ejus sanctum regigni & renovari mente, affectibus, sive voluntate & omnibus facultatibus; ut aliquid boni possit intelligere, cogitare, velle & perficere: secundum illud Christi* Joh. XV. 5. sine me potestis nihil facere.

Articulus IV. ita habet: *Hanc Dei Gratiam esse initium, progressum ac perfectionem omnis boni, atque id eo quidem usque, ut ipse homo regenitus absque hac præcedanea, seu adventitia, excitante, consequente & cooperante gratia, neque boni quid cogitare, velle, aut facere possit; neque etiam ulli malæ tentationi resistere. Adeo quidem, ut omnia bona opera, quæ excogitare possumus, Dei gratiæ in Christo tribuenda sint. Quod vero modum operationis illius Gratiæ attinet, illa non est irresistibilis: de multis enim dicitur, eos Spiritui sancto restitisse,* Act. VII. *& alibi multis locis.*

Hisce verbis primi Remonstrantium suam de viribus hominis naturalibus exposuerunt sententiam; cum vero ulterius urgerentur & clarius loqui tenerentur, ita se explicabant, ut assererent: in omnibus & singulis hominibus communem quandam gratiam esse in lumine naturæ consistentem; donisque post hominis lapsum relictis, quibus possint semetipsos ad gratiam majorem disponere, & elicere actus conversionis ante-

cedaneos, quales sint dolor offensi Numinis, humilitas, desiderium gratiæ, preces, propositum vitæ in melius commutandæ; qua ratione fiat ut ad hominis conversionem nihil amplius desideretur, quam vocatio congrua, & moralis quædam ac lenis suasio, hortationibus & promissionibus salutaribus, atque hujusmodi, Gratia quæ excitet ad ipsum actum fidei & conversionis, eliciendum ab ipso homine, pro viribus ab omnibus acceptis: Quo demum sensu Gratia conversionis fiat efficax, quando voluntas semet ad eam amplexandam determinat. Vide SPANHEMII *Elenchum Controv.* pag. 298.

§. XIV.

Cum nimirum non tantum divinæ Voluntatis efficaciam cum Libertate hominis consistere non posse existiment (§. 10.), & omnia à recto virium liberi Arbitrii usu dependeant; hinc necessario Voluntas divina aliquo modo à voluntate Creaturæ erat suspendenda, inferendumque erat *Decretum* eo sensu *conditionatum*, ut ab actibus & conditionibus mutabilibus creaturarum suspensum sit.

Observandum hic Reformatos conditiones à divino Decreto minime excludere (Cap. III. §. 1206. in Scholio), sed Deum finem & media sibi subordinasse docent, ut Deus finem non decreverit nisi respectu habito conditionum etiam eo ducentium, nihil enim decernere potuit nisi ratione habita totius Universi, adeoque totius rerum ordinis & omnium conditionum, ut ex ipso Dei instituto in hoc mundo semper unum pendeat ab altero; neque adeo æternam salutem sine respectu fidei in Christum & veræ sanctimoniæ cuiquam conferre decrevit. Sed ea Reformatorum inter Remonstrantiumque Doctrinam differentia est, quod *priores* uti finem ita etiam conditiones salutis à Deo pendentes faciunt, ut ipse simul de fine & mediis ad finem ducentibus largiendis statuerit; *posteriores* autem conditiones à Dei Decreto independentes

dentes faciunt, ut Deus in decernendo à re extra se & à se independente dependerit; quod nos divinæ independentiæ adeoque ejus perfectioni contrarium esse certissime scimus, propterea que sententiam hanc inter erroneas referimus.

§. XV.

Hinc est quod rationem, quare Deus ex hominibus indefinite præscitis quosdam speciatim præ aliis elegerit, atque ad salutem æternam prædestinaverit, alios vero ad pœnam æternam destinaverit, inde repetunt, quod Deus præviderit illorum fidem, sive illos gratia sufficiente, quam omnibus in genere hominibus destinaverat, recte usuros, ac in fide & obedientia evangelica ad finem perseveraturos; hos vero gratiam illam, qua pro facultate sua recte uti potuissent, neglecturos.

ARMINIUS in declaratione sententiæ suæ ita loquitur: *Hoc Decretum præscientiæ Dei innititur, qua ab æterno scivit, quinam juxta ejuscemodi administrationem mediorum ad conversionem & fidem idoneorum, ex præveniente ipsius gratia credituri erant - - quive vero etiam non erant credituri & perseveraturi.*

Articulus I. ex quinque illis ita habet: *Deum æterno immutabili Decreto, in Jesu Christo Filio suo, ante jactum mundi fundamentum, statuisse, ex lapso, peccatis obnoxio humano genere illos in Christo, propter Christum, & per Christum servare, qui Spiritus Sancti gratia in eundem ejus Filium credunt, & in ea fidei obedientia, per eandem gratiam in finem perseverant; contra vero, eos, qui non convertuntur & infideles, in pecca-*

to & iræ subjectos relinquere & condemnare, tanquam à Christo alienos : secundum illud Evangelii. Joh. III. 36.

Notandum hic, juxta ea quæ ad §. præced. diximus, etiam Reformatos non negare, Deum in æterno suo Decreto uti totius rerum ordinis, ita fidei etiam, ad consequendam salutem ordinatæ, respectum habuisse; sed & ipsa fidei largitio in totum à Dei Decreto pendet, neque solum à recto donorum naturalium usu derivanda est, nisi ipse ille rectus naturalium donorum usus ceu divinæ gratiæ effectus consideretur, unde & hic ex divino Decreto pendet. Arminiani vero rectum illum donorum naturalium ac gratiæ prævenientis usum non derivant ex divino Decreto : sed potius hoc ab illo, adeoque à caussa extra Deum pendens faciunt.

§. XVI.

Et quia à libera hominis & independente potestate pendet, donis naturalibus ac gratia præveniente recte uti vel non uti, conditiones salutis amplecti vel non amplecti, credere vel non credere ; necessario Decretum illud debuit esse *generale ;* Hinc est, quod Remonstrantes statuunt: Deum de personis nihil absolute decreviisse, sed in genere solummodo statuisse, omnes in Christum Jesum credentes, & in fide ac obedientia perseverantes servare; incredulos autem damnare. Singulares autem personas Deum, Decreto peremtorio, demum eligere aut reprobare, postquam stadio hujus vitæ peracto, illorum in fide perseverantiam finalem suo probaverit judicio ? atque adeo Decretum prædestinationis quod dicitur, tantum versatum fuisse circa *conditiones* salutis, non autem circa ipsas personas servandas aut damnandas.

Quando

Quando erroribus accenſemus quod Adverſarii ſtatuunt, à libera hominis potentia pendere, num ſalutis conditiones amplecti vel non amplecti velit, ideo non negamus hominem in actionibus hisce liberum eſſe, ſive ſpontanee agere, ſed ipſam hanc ſpontaneitatem atque libere agendi potentiam à divinæ Gratiæ efficacia, adeoque ab ipſo divino Decreto derivamus, in quo à Remonſtrantibus differimus.

§. XVII.

Cum igitur, ſecundum Remonſtrantes, præter Decreta Dei *abſoluta*, quæ pro objecto habent Entia irrationalia, de condendo nimirum & gubernando mundo, alia dentur Decreta, ſcilicet *conditionata*, juxta quæ nimirum, ſi homines conditionem ſibi præſcriptam impleant, hæc vel illa beneficia *hypothetice* Decreta conſequantur, ſin minus, beneficiis illis excidant: Hinc nata eſt diſtinctio inter *voluntatem* Dei *antecedentem* & *conſequentem*, qua Deus Decreto conſequente iis abjudicet eadem beneficia, quæ antecedente in eos ſtatuerat conferre, & in malis pœnalibus viceverſa.

§. XVIII.

Antecedentis nimirum voluntatis nomine intelligunt propoſitum Dei, quo Deus, quantum in ſe eſt, omnibus media ad ſalutem procurat, modo homines iis uti velint; ut nihil abſolute vel determinate de cujusquam ſorte ſtatuat; ſed deinde perſpecta hominum perverſa voluntate, media iſta reſpuente, cum Deus non poſſit aſſequi iſtum finem, quem ſua antecedente voluntate propoſuit, alium ſibi finem ſubſtituere, nempe per conſequentem voluntatem ſtatuere, pœnas à peccatore exigendo juſtitiæ ſuæ ſatisfacere, adeoque priore Decreto ac voluntatis propoſito reſciſſo poſterius hoc inire.

§. XIX.

Quia autem omnia Gratiæ beneficia æque late patent, & prout res sunt in *intentione*, ita necessario etiam apud Deum sunt in *executione*; & Prædestinatio sit Decretum generale, nonnisi de salutis vel interitus conditione; Deusque gratiam sufficientem omnibus hominibus destinavit, & in recto virium naturalium ac prævenientis Gratiæ usu, nonnisi ab homine pendente, situm est, num homo sufficientem illam Gratiam amplecti, num credere vel non credere velit; eorumque adeo numerus qui credituri sunt incertus sit. Hinc ex Prædestinatione *universali*, necessario etiam inferenda fuit *Redemtio Universalis.*

§. XX.

Dicunt propterea, Christum pro omnibus spospondisse, & satisfactionem divinæ justitiæ factam esse pro omnibus in genere hominibus, sive pro universo humano genere, cui Christus æternam impetraverit salutem; Unumquemque autem sibi ipsi Christi satisfactionem, præstando conditiones fœderis, propriis viribus recto donorum naturalium gratiæque prævenientis usu, applicare. Ut adeo Christus Salvator sit tantum *merito*, non autem *efficacia.*

Moderatius paullo sese explicarunt Articulo II. dicentes: *Proinde Jesum Christum mundi Servatorem pro omnibus & singulis mortuum esse, atque ita quidem, ut omnibus per mortem Christi reconciliationem & peccatorum remissionem impetravit; ea tamen conditione, ut nemo illa remissione peccatorum reipsa fruatur, præter hominem fidelem, & hoc quoque secundum Evangelium.* Joh. III. 16. 1. Joh. II. 2. Cum

§. XXI.

Cum autem Christus hoc modo remuneratione frustrari potuisset, siquidem juxta illos penes solum hominem sit, oblatam redemtionis Gratiam vel sibi adplicare vel non adplicare; hinc statuunt, ut etiam Christi voluntati sua constet libertas & indifferentia, Filium Dei oblatæ à Patre Sponsoris provinciæ renuntiare potuisse, eaque renuntiatione nullam incursurum fuisse pœnam, quia Pater nullam dictaverit.

Qua de re multis EPISCOPIUS disputat *Exam. Sent. Cameronis.*

§. XXII.

Et quia meritum Christi non respicit Salutis *adplicationem*, sed illa ex fide, quæ potius hominis quam Dei opus est, dum recto donorum naturalium ac Gratiæ prævenientis usu comparetur, derivanda est; hinc passiones Christi & mortem considerant, ut justificationis nostræ caussam non proximam, sed remotam, quatenus Christus sua illa satisfactione, Deo quasi jus pepererit salva sua majestate, cum hominibus novum ineundi fœdus, cujus conditionem voluerit esse fidem & obedientiam evangelicam in spe vitæ æternæ præstandam, & secundum legem Gratiæ æstimandam. Hinc dicunt fidem nobis imputari ad justitiam, sive pro justitia acceptari, tametsi justitia non sit, neque ullibi in S. Litteris legi, justitiam Christi nobis imputari ad justitiam: esse autem caussam meritoriam propter quam fides in justitiam imputetur.

Vide ARMINII *Epistolam ad Utenbogardum.* LIMBORCHII *Theologiam Christ.* Lib. VI.

Cap. IV. §. 18. ubi ita : *Hæc autem*, inquit, *quæ nobis imputatur, non est Christi justitia, nusquam enim Scriptura docet, Christi justitiam nobis imputari; sed tantum, fidem nobis imputari in justitiam, & quidem propter Christum. Adeo ut inepti sint illi, qui acriter hic digladiantur, an sola justitia Christi passiva, an vero etiam activa, nobis imputetur, cum de ea Scriptura ne verbum quidem proferat. Sed est gratiosa æstimatio, seu potius acceptatio justitiæ nostræ imperfectæ (quæ si Deus rigide nobiscum agere vellet, in judicio Dei nequaquam consistere posset) pro perfecta, propter Jesum Christum.*

§. XXIII.

Quoniam itaque spiritualem manumissionem non in solidum Christo Sponsori & Redemtori Spirituique Sanctificatori, sed homini ipsi facultatem vinculis turpissimis Servitutis suæ sese expediendi tribuunt, viresque adeo liberi Arbitrii, si non ex toto, saltem ex parte erigunt ; Hinc est quod etiam peccati originalis efficaciam extenuant, dicentes: nullum proprie ejusmodi esse, quod vulgo dicitur, peccatum originale ; sive ex peccato illo primi Parentis nullam ejusmodi labem aut pravitatem in universum genus humanum dimanasse, neque cupiditatem illam malam, quæ in plerisque hominibus regnat, esse derivandam ex primi Parentis peccato, sed ex eo quod frequentibus peccatorum actibus peccandi habitum contraxerint Adami posteri.

Ita rem explicat Apologista EPISCOPIUS Apol. Cap. VIII. §. 4. Tom. II. Opp. pag. 151. *Remonstrantes*, inquit, *peccatum originale*

ed. 1665. (zweite Zählung)

nec

nec habent pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat, nec pro malo, quod per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo in posteros dimanet. LIMBORCHIUS Lib. III. Cap. IV. §. 1. *Theol. Christ.* mentem suam ita explicat. *Ita*, inquit, *eversa peccati Adami imputatione, nunc quæ de corruptione originaria dicuntur expendamus. Fatemur hodie homines minus puros nasci quam Adamus conditus est, & cum quadam inclinatione ad peccandum. Verum inclinatio illa proprie dictum peccatum non est, aut peccati habitus ab Adamo in ipsos propagatus: Sed naturalis tantum inclinatio habendi id quod carni gratum est: Quæ proprie oritur à temperamento corporis, quod à proximis parentibus propagari scimus.* Vide etiam EPISCOPIUM *Institut. Theol.* Lib. IV. Sect. V. c. 2. & CLERICUM sub nomine LIBERII DE SANCTO AMORE *in Epist. Theol. Epist. VI.* p. 150. seq. ubi ante omnia id agit, ut receptam de peccato originali Doctrinam impugnet, & concludit: *Desinant facilitatem explicationis suæ jactare, & tandem agnoscant, rem, quæ neque Scriptura probari potest, neque ratione explicari, esse saltem valde dubiam, ac proinde pro fidei capite haberi non debere. Si hoc solum esset, jam certe Theologi nostri in magno se errore fuisse, fatentur oporteret: Sed dogma illud infantium corruptionis, & Scripturæ, & Rationi, ut ostendimus, est contrarium; habeat ergo nunc schola pudorem, quæ rem manifesto falsam pro fidei Christianæ Articulo prædicat.*

§. XXIV.

Et per consequens, quod ex §. 22. fluit, veram

fidei rationem pervertunt in *Obedientiam Evangelicam*, respicientem solummodo illas salutis conditiones, quæ omnibus hominibus manifestæ sunt, qualis fides haberi potest absque Christi cognitione, atque adeo fœdus Gratiæ permutant in fœdus operum, homini id tribuentes quod Christo tribuendum est; Hinc est quod posteriores Remonstrantes, qui in multis cum Socinianis militant, statuunt: praxin veræ pietatis & cultum Religionis salvificæ absque dogmate S. S. Trinitatis facile consistere, & proinde Doctrinam, & Confessionem hujus Dogmatis, tantæ non putandam esse necessitatis, quanta vulgo hic supponi soleat; Supervacaneum hinc esse illud in Christianorum Scholis tam operose adstruere.

§. XXV.

Cum denique in hominis potentia sit, Gratiam oblatam recipere vel non recipere (§. 20.), atque adeo confirmatio Gratiæ ac salutis non à Deo, sed ab homine pendeat; Hinc est quod statuunt: S. Cœnam celebrari tantum in commemorationem mortis Christi, non vero in confirmationem & obsignationem Gratiæ ac salutis in Christo.

§. XXVI.

Quum apud Deum generalis sit omnium hominum servandorum voluntas (§. 16.), & satisfactio à Christo Jesu divinæ justitiæ præstita omnes respiciat homines ex Adamo natos (§. 19.); hinc ne prior hæc Gratia sit illusoria, necessario statuendum erat: *Vocationem* ad fœdus Gratiæ, quam *communem* adpellamus, esse *universalem*, eodem plane proposito fieri solitam omnibus; unde

de ſtatuunt : *Gratiam* quæ ſubſervit hominibus ex propoſito exercendæ Gratiæ ad ſalutem perducendis, omnibus ex Adamo natis eſſe *communem :* Ac proinde *vocationi externæ univerſali*, qua Deus hominem ſive per verbum naturæ, per opera creationis & providentiæ, & quæ inde petuntur præcepta & inſtitutiones ; ſive per verbum Evangelii, officii ſui monet, conſcientiam excitat, & ad ſuam invitat communionem, ſubordinatam eſſe *Gratiam* quandam *internam*, qua Deus hominis animum ſufficienter illuminet, interne pulſet, excitet, & meliora ſuadeat, quæ dicenda ſit *moralis ;* proinde ipſos Gentiles, quibus vocatio per naturam obtigit, hanc obtinuiſſe Gratiam, eosque luce naturæ bene utentes, & pro virium ſibi per illam conceſſarum modulo, honeſtati naturali operam dantes, aut ob Chriſtum, licet ignotum, beari ; aut certe præter ordinem ſingulari Angeli è cœli mittendi miniſterio, cognitione Chriſti donari.

Vide LIMB. *Theol. Chriſt.* Lib. IV. Cap. XI. §. 11.

§. XXVII.

Facile etiam ex dictis patet ratio, cur noſtram de Gratia & *Vocatione efficaci* doctrinam negent. Id enim faciunt tum quia omnia ex ipſius hominis viribus derivant, ex recto nimirum donorum naturalium ac prævenientis Gratiæ uſu, ut præter Gratiam illam communem ſpeciali Gratia opus non ſit. Tum etiam quia Doctrinam hanc cum liberrima hominis voluntate conciliare nequeunt (§. 10.).

Mirum

§. XXVIII.

Mirum autem non est ipsos hoc concipere non posse, dum summum Libertatis Gradum in indifferentia ad utrumque oppositorum ponant: Si enim voluntas, ex ipsorum sententia, se semper indifferenter habere debeat, ad Gratiæ resistendum vel non resistendum, necessario inferendum erat, Gratiam non semper & certo efficere id, ad quod destinata erat, quippe quæ pugnet cum naturali hominis Libertate, quæ ex intrinseca sua vi & natura tam sit indifferens, ut positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere vel non agere, aut hoc aut illud agere, imo non quoad potentiam solum possit sic vel aliter operari, sed quoad voluntatem inprimis, non obstante divina operatione, indifferens maneat; Ut adeo hoc etiam tempore & statu hominis indifferens sit, ut possit velle vel nolle verbis ac admonitionibus divinis credere, mandatis vitæ obsequi, eorum se jugo subdere, & Deo fores animi pulsanti per se adperire.

§. XXIX.

Contra vero quidquid AUGUSTINUS olim & Reformata Ecclesia hoc tempore, de *Gratia irresistibili* & insuperabili, qua Deus sic suadeat veritatem salutarem, ut etiam infallibiliter persuadeat, ita trahat, ut qui sequuntur lubentes post se currant, tanta vi & imperio vocet, ut vocati Deum audiant, & cum abnegatione sui ipsius, se totos cum propensissima voluntatis suæ affectione ipsi tradant, docet proscribendum esse.

Quando Reformati asserunt Gratiam divinam esse *irresistibilem*, rem non ita intelligunt, ac si homines divinæ Gratiæ non resisterent. Sed hoc volunt: ita efficaciter

ficaciter divinam Gratiam operari, ut hominis resistentiam infallibiliter superet, ut suasio ipsius tantæ sit efficaciæ ut homo non possit non velle, summaque cum spontaneitate sequi.

§. XXX.

Scripturam vero Sacram de nulla alia Gratia Dei interna loqui contendunt, quam quæ omnibus hominibus communis; sed cujus effectus pendeat ab hominis voluntate & arbitrio, id est, viribus ac potentia naturali; Atque adeo fieri posse, ut etiamsi Deus vel maxime hominis conversionem intendat, effectu tamen suo hæc Gratia destituatur; si autem effectum sortiatur, efficaciam proxime humanæ voluntati adscribendam esse. Vocationem adeo non ex intentione vocantis, sed ab eventu efficacem dicendam esse. Vel etiam divinæ Providentiæ, hanc Gratiam personis, earum temperamento, temporibus, aliisque circumstantiis accommodanti; quibus positis prævideat futurum, ut ea effectum sortiatur & efficax fiat. Quæ *Gratia* inde dicitur *congrua* ad circumstantias.

De his vide EPISCOPIUM Apol. Cap. XVII. & ex eo LIMBORCHIUM *Theol. Christ.* Lib. IV. Cap. XII. XIII.

§. XXXI.

Cumque adeo acceptionem omnium Gratiæ beneficiorum à libero & in singula momenta mutabili hominis arbitrio suspendant; Hinc cuivis facile patet, quare statuant, fieri posse, & non raro factum esse, ut credentes & vere regeniti, qui habitum fidei & sanctimoniæ jam sunt adepti, à priore fide sua ac charitate plane deficiant, deserta-

sertaque justitiæ via, ad pristina, quæ vere reliquerant, mundi inquinamenta, veluti sues ad volutabrum cœni revertantur, iisque quas antea vere effugerant, carnis cupiditatibus rursus implicentur, & sic *totaliter*, tandemque etiam *finaliter*, nisi vero in tempore resipiscant, excidant.

Articulus V. sic sonat: *Qui Jesu Christo per veram fidem sunt insiti ac proinde Spiritus ejus vivificantis participes, eos abunde habere facultatum, quibus contra Satanam, peccatum, mundum & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant; Veruntamen per Gratiæ Spiritus S. subsidium; Jesum Christum vero illis Spiritu suo in omnibus tentationibus adesse, manum porrigere, & modo sint ad certamen promti, & ejus auxilium petant; neque officio suo desint, eos confirmare, atque id adeo quidem, ut nulla Satanæ fraude, aut vi seduci: vel è manibus Christi eripi possint, secundum illud* Joh. X. *nemo illos è manu mea eripiet.* Ebr. III. 6. 14. 2. Pet. I. 10, Jud. III. 1. Tim. I. 14. Ebr. XI. 15. *Sed an illi ipsi negligentia sua initium sui esse in Christo deserere non possint & præsentem mundum iterum amplecti, à sancta Doctrina ipsis semel tradita deficere, conscientiæ naufragium facere, à Gratia excidere; penitus ex S. Scriptura esset expendendum antequam illud cum plena animi tranquillitate & πληροφορια docere possent.*

§. XXXII.

Et sic quomodo quinque illi Articuli atque errores cum illis connexi ad primariam suam tendant hypothesin, ostendimus; Plures quidem multi eorum fovent errores, sed quos cum Socinia-

cinianis communes habent. Post EPISCOPIUM enim, multa Socinianorum dogmata vel arripuerunt, vel inflexerunt, dum multorum Theologiæ Articulorum elevant vel certitudinem vel necessitatem.

§. XXXIII.

Ita Dei omnia in omnibus operantis Omnipræsentiam inficiantur.

§. XXXIV.

Et concursum prævium, quem vocant, & prædeterminantem ad speciem Actionis negant, ne isthac nimirum prædeterminatione tollatur Libertas Actionis & viribus naturalibus aliquid derogetur; unde statuunt nonnisi concursum aliquem generalem & indifferentem.

Idem etiam DURANDUS dixit statuens: *Deum postquam Mundum hunc ex nihilo produxisset, singulisque creaturis esse suum & virtutem operandi dedisset, eas deinceps sibimetipsis ita relinquere, ut post primam Creationem nihil amplius operetur Deus per se, sed tantum per Creaturas, eas earumque vires conservando. In Distinct. I. Quæst. V. Sent. II.*

§. XXXV.

Reliqui Socinianizantium errores jam suo loco fuere indicati & cum Socinianorum Systemate connexi. Sociniani enim sub Remonstrantium vel Anabaptistarum nomine latere quærebant, ut minus odio expositi essent.

Hypo-

Hypotheſeos Remonſtrantium Refutatio.

Propoſitio I.

§. XXXVI.

Homini peccatori nullæ amplius ad quodlibet opus bonum efficiendum ſuperſunt vires, ſed omnia bona in ſolidum efficaciæ divinæ Gratiæ adſcribenda ſunt.

§. XXXVII.

Propoſitionis hujus Demonſtratio habetur, Cap. XVI. §. 31. ſeqq.

Propoſitio II.

§. XXXVIII.

Datur peccatum originale à primo Adami peccato derivandum.

§. XXXIX.

Demonſtrationem vide Cap. XVI. §. 22. ſeqq.

Propoſitio III.

§. XL.

Vera libertas non in indifferentia, ſed in ſpontaneitate conſiſtit.

Theore-

§. XLI.

Theorematis hujus Demonstrationem vide Cap. III. §. 729. 730.

Propositio IV.

§. XLII.

Decreti divini eventus certissimus, divinæque Gratiæ efficacia Libertati hominis minime repugnat, adeoque nec actionum moralitatem tollit.

§. XLIII.

Certissimum Decreti divini eventum nec rerum contingentiam nec actionum rationalium libertatem tollere, demonstratum à nobis est (Cap. III. §. 440.). Divinæ autem Gratiæ efficaciam hominis Libertati nihil officere contra Pelagianos probatum fuit (Cap. XVI. §. 68.).

Propositio V.

§. XLIV.

Decretum divinum non conditiones tantum, sed & personas respicit, & circa earum exitum versatur, adeoque respectu personarum universale non est.

§. XLV.

Propositionis hujus veritas patet ex Cap. III. §. 1199. Cum enim Deus totam rerum seriem, & quidquid ratione uniuscujusque hominis eventurum est, unico actu sibi repræsentaverit, & tale producere decreverit, necessario consequitur divinum decretum etiam circa uniuscuiusque hominis eventum versari.

Propositio VI.

§. XLVI.

Decretum divinum circa æternam hominis salutem à prævisa hominis fide, ceu à re à Decreto divino independente, pendere minime potest, dum ipsa fidei largitio decreta sit; sed æterna ad salutem electio, fidem ceu conditionem respicit, quam Deus simul homini largiri decrevit.

§. XLVII.

Thesin hanc probatam vide Cap. III. §. 1176 - 1182.

Propositio VII.

§. XLVIII.

Redemtio Christi universalis non est.

Vide

§. XLIX.

Vide Cap. III. §. 1186 - 1190. & cum Decretum de personis universale non sit (per Propos. V.), consequitur Gratiam redimentem etiam Gratia decernente latiorem esse non posse.

Propositio VIII.

§. L.

Etiam nec Vocatio communis, nec efficax universalis est.

§. LI.

Per Vocationem intelligimus notificationem Voluntatis divinæ de medio liberationis parato & imperio divino de illo amplectendo (Cap. III. §. 1279.). Sive est invitatio ad amplectendum liberationis medium à Deo paratum.

§. LII.

Cum vocatio *externa* sive *communis* involvat notificationem medii salutis per Christum parati, sequitur eos cognoscere illud salutis medium ubi hæc notificatio sive vocatio facta est; & viceversa ubi hoc liberationis medium non cognoscitur, ibi etiam nec ejus notificationem factam esse; ubi vero non obtinet notificatio ibi etiam nec vocatio est, per definitionem & definitum.

§. LIII.

Universali autem constat experientia, Mundum per multa sæcula Idololatriæ tenebris relictum esse, & ex quo Christiana Religio orbem illustravit, multas ejus partes, vastissimasque Re-

giones Idololatriæ adhuc deditas reperiri, alias in Muhammedismum esse prolapsas; ut fatendum sit, longe maximam Generis humani partem per omnia fere sæcula mediis Gratiæ fuisse destitutam, neque quidquam de medio Salutis parato sciviſſe. Quoniam autem vocatio involvit medii illius salutis cognitionem (§. 52.); plurimi autem populi illud ignorant, sequitur vocationem minime universalem dici posse.

§. LIV.

Cum vero externa vocatio neutiquam universalis sit, etiam nec interna & efficax universalis esse potest, siquidem ad illam requiratur mentis illuminatio, quæ consistit in convictione veritatum revelatarum & distincta nexus illarum repræsentatione (Cap. III. §. 1305. 1306.), quæ universalis non est (Cap. III. § 1313.); requiritur etiam ad hanc divinæ vocationis partem, ut peccatoris voluntas ita moveatur, ut mentem suam totam propter Doctrinæ illius cœlestis evidentiam atque præstantiam ad verum pietatis studium componat (Cap. III. §. 1317. 1318.); testatur vero experientia nec hanc Gratiam in omnibus hominibus effici, adeoque nec Vocatio efficax hæc communis est.

Propositio IX.

§. LV.

Salvifica fides considerandа non est ceu opus aliquod propter quod Deus hominem justificat, sed nonnisi

nisi ceu medium quo justitiæ Christi participes simus.

§. LVI.

Si enim in materia justificationis operis vel obedientiæ rationem illa haberet, sequeretur nos *propter* eam justificari, Sacræ autem Litteræ nunquam dicunt nos *propter* fidem, sed *ex* fide & *per* fidem justificari; eamque nonnisi ceu medium considerat, quo justitiæ Christi per unionem cum eo participes simus, ut ipsius justitia propter unionem fiat nostra justitia. Hac ratione eam Paulus considerat, Rom. III. 22. 24. 26. dicens: *Divina, inquam, justitia, quam fide Jesu Christo habenda consequantur, & obtineant omnes fidentes,* 24. *Quem proposuit Deus placamentum, per fidem in ejus sanguine collocandam.* 26. *Ubi est ergo gloriatio? Exclusa est. Qua lege? Operum? Non, sed fidei lege.*

Propositio X.

§. LVII.

Vera Fides cum cæteris Gratiæ beneficiis amitti nequit.

§. LVIII.

Vide Cap. III. §. 1441 - 1445.

Objectionum præcipuarum solutio.

§. LIX.

Præcipuæ quæ hic solvendæ veniunt objectiones ad tres referri possunt classes : *Prior* eas complectitur quæ peccati primi imputationem ac propagationem, nec non vires naturales ad recipiendam divinam Gratiam adhuc sufficientes respiciunt. *Secunda classis* eas comprehendit difficultates, quæ circa Decretum Prædestinationis moventur. Et *tertia* denique *classis* Sanctorum Perseverantiam oppugnat.

§. LX.

OBJECTIONES, quæ ad primam Classem pertinent, Remonstrantibus cum Pelagianis communes sunt; unde iis nunc non immoramur, sed statim ad secundam progredimur Classem, eaque examinabimus argumenta, quæ contra nostram de Decretis divinis circa salutis negotium Doctrinam urgentur. Quidquid autem hic scrupulum movere potest, in summa exhibuit Reverendiss. GILB. BURNETUS *in expositione XVII. Articuli Ecclesiæ Anglicanæ* §. 41. seqq. Unde, ne Argumentorum robori aliquid detrahatur, Remonstrantium objectiones Celebris hujus Doctoris proponemus verbis; in quibus paullo prolixiores erimus, dum difficilis hæc quæstio, uti Auctor præfationis ad hunc BURNETI tractatum loquitur, à plurimis retro sæculis opinionum in orbe Christiano diversitatem, diversitas opinionum concertationem & animorum exacerbationem, hæc denique in Ecclesia Evangelica triste schisma peperit.

OBJEC-

§. LXI.

OBJECTIO I. Sic vero illi (Remonstrantes) argumentantur, inquit BURNETUS tractatu citato §. 41., Deus, inquiunt, Justus, Sanctus & Misericors est; qui in Scriptura de seipso, & his Attributis suis dum loquitur, ad homines provocat, & ad ineundam secum rationem; Eum in modum Prophetæ nationem Judaicam sæpe allocuti sunt; ex quo manifestum est; ita Deum agere, ut homines secundum ideas istorum Attributorum ipsis insitas instituto examine, Deum justificare & opera ejus approbare cogantur. Quin imo, in his Deus se nobis in exemplum proponit, eumque imitari nostrum est: atque sic per consequens veras Attributorum horum notiones animo concipere possumus. Jubemur esse sancti & misericordes, ut ipse Sanctus est & Misericors. Quid ergo nobis videbitur de Justitia, quæ nos condemnet ob peccatum nunquam à nobis commissum & ante multos, quam nasceremur annos, patratum? Et quæ primo omnium decernit glorificari per æternam nostram miseriam, facto simul decreto de peccato à nobis committendo, ad justificandum prævium Reprobationis nostræ Decretum? Si hæc decreta originaliter sic à Deo definita certo effectum sortiuntur, concipi haud potest, quomodo Justitia sit in puniendo id, quod, ut fiat, à Deo ipso antecedente & immutabili decreto constitutum est; hoc ergo cum Justitia difficulter conciliari posse videtur. Nec minus Sanctitati adversum est putare; Ens sanctissimum, Heb. I. 13. *Cujus oculi puriores sunt, quam ut iniquitatem videre possint*, antecedente decreto, certo determinasse

commissionem tot peccatorum, idque tali modo, ut ea à nobis evitari prorsus sit impossibile; Hoc adserere, nihil aliud est, quam dicere, nos natos esse necessitati peccandi inevitabili obnoxios, quæ tamen necessitas ex decreto divino promanare dicitur. Deus in Scriptura se semper nobis sistit Exod. XXXIV. 6. *Gratiosum, misericordem, tardum ad iram, Gratia & veritate abundantem.* Sæpe dicitur 2. Pet. III. 9. *Non desiderare mortem peccatoris, nolle ut quisquam pereat, sed ut quilibet ad agnitionem veritatis perveniat.* Ezech. XVIII. 12. Quid quod hæc sæpius addito solemni juramento dicuntur: Cap. XXXIII. 11. *Vivo ego, inquit Jehova, non delector morte peccatoris.* Quærunt hic Remonstrantes, quis possit esse sensus talium verborum, si credere possumus, Deum per Absolutum Decretum tot hominum myriades reprobasse? Si omnia, quæ fiunt, ex Decreto Dei, tanquam prima causa oriuntur, credendum est, Deum tam Decretis suis quam executione eorundem delectari; & per consequens delectari morte peccatorum, id quod expressis, magnaque cum solennitate prolatis Scripturæ verbis contradicit. Præterea quid censendum est de Veritate Dei, & sinceritate quam in oblatione Gratiæ & Misericordiæ præ se fert Deus, quid de Obtestationibus, Exhortationibus, Expostulationibus illi superstructis in Scriptura subinde occurrentibus, si credere possumus, Deum per actum aliquem antecedentem determinasse ac definivisse, ut omnia hæc sint inefficacia; Ita ut cuncta non aliud sint, nisi totidem verba solennia, revera nihil prorsus significantia, si Deus intendit ut omnia sic fiant, quemadmodum fiunt,

& si sic eveniunt propterea, quia Deus ut sic evenirent, intendebat? Potissimum hujus sententiæ fundamentum hoc argumento tanquam basi sua nititur: Nihil credi debere, quod Justitiæ, Sanctitati, Veritati & Puritati divinæ contrarium est; esse hæc Attributa in Deo secundum nostras, quas de iis habemus, notiones; nisi quod in ipso sint infinite perfectiora, quandoquidem nos ea imitari jubemur; cum ex oppositio Doctrina de Absoluto Decreto clarissimis, quas de Justitia, Sanctitate, Veritate, & Bonitate Dei formare possumus, Ideis manifeste contradicat.

§. LXII.

RESPONSIO. Ita Adversarii nostri ad Doctrinam suam tuendam ex ejus cum divinis Attributis conformitate contra nos argumentantur; eoque nomine nostram de Decretis divinis Doctrinam respuunt, quod illa divinis Perfectionibus contraria sit. Nos contra eodem ad oppugnandam eorum sententiam utimur argumento, a consensu nimirum summo Doctrinæ nostræ cum divinis Attributis desumto. Omnino universalis hæc atque præcipua omnis Doctrinæ regula, omnis veritatis norma atque lydius lapis, omnis etiam theologicæ controversiæ dijudicatio est, num Dogma vel placitum aliquod divinis Attributis conforme sit nec ne. Quantumquidem ego video omnis cum Remonstrantibus ex S. Litteris disputatio frustranea est, saltem hactenus omnes eos ex Scriptura convincendi conatus irriti fuere, dum talia effata se sibi invenire putant, quæ aliam quam placitis suis consentaneam interpretationem non admittant; ea vero quæ ipsis ad probandam Doctrinæ nostræ veri-

tatem opponuntur ex hypotheſi ſua explicant, & propter eam quam fovent opinionem nullis argumentis eo adduci poſſunt ut explicationem ſuam falſam eſſe credant. Omnis ergo res atque controverſia huc reducenda eſt, quænam ſententia, & quænam Litteras ſacras interpretandi ratio magis cum divinis Attributis conveniat? vel num alterutra Dei perfectiones ſummas minime deceat, iisque contraria ſit? Ex principiis itaque philoſophicis cum adverſariis hisce pugnandum eſt, uti & ipſi plurimam argumentorum partem, quæ nobis opponunt, ex Ratione, Deique Decentia, natura nobis cognita depromunt.

§. LXIII.

Fundamenti ergo loco ponimus univerſalem illam regulam, quam ubique adhibemus, neque ſatis illam inculcare & repetere poſſumus, ſcilicet *Deum nihil facere niſi reſpectu habito omnium ſuorum Attributorum & totius Univerſi.* Quæcunque itaque ſententia, vel quodcunque Dogma alicui ex Divinis perfectionibus, reſpectu habito ad omnia reliqua Attributa, adverſatur, illud minime verum eſſe poteſt. In hoc autem plerumque omnes Religionis noſtræ Adverſarii, non hi ſolum, cum quibus nobis nunc res eſt, ſed & alii plurimi etiam, peccant, quod Doctrinam aliquam ſecundum divinam quandam Perfectionem, abſtracte à reliquis conſideratam, explorant, cum omnium Attributorum, omni reſpectu conſideratorum, rationem habere deberent.

§. LXIV.

Et cum Deus porro nihil facere poſſit, niſi reſpectu habito, totius Univerſi Syſtematis, dum omnia

omnia sint harmonica & arctissimo nexu inter se cohæreant, hinc etiam in divino Decreto nihil concipiendum est abstracte à reliquis nexus ejus partibus; neque propterea putandum Deum de homine aliquid potuisse decernere, nulla reliquarum ejusdem seriei partium atque omnis circa hominem eventus ratione habita; alias divina opera non essent harmonica, quod sine ullo dubio divinæ Sapientiæ contrarium foret; ubi vero omnia debent esse harmonica, ibi prima media & ultima inter se conspirare debent; ubi hoc, ibi rerum Conditor omnia unico intuitu sibi etiam repræsentare debet.

§. LXV.

Tertium quod præmittendum censemus, & ex quo ceu principio magna controversiæ pars dirimi potest, hoc est, ut inter nos conveniat, num omnium rerum in hoc Universo existentium totiusque rerum seriei atque nexus omnisque eventus prima radix atque fons in divino Intellectu, num vero in ipsius Voluntate atque Omnipotentia, num denique in re aliqua vel idea extra Deum & ab eo independente quærenda sit? Ad hanc quæstionem tota fere cum Remonstrantibus de divinis Decretis lis, si controversia recte inspiciatur, redit.

§. LXVI.

Accusantur vulgo Reformati, quod absolutam Dei voluntatem, nullo ad intellectum respectu habito, omnium rerum primum fontem atque radicem faciant. Si vero dicendum quod res est, ante omnia Reformati fundamenti loco ponunt, nonnisi pro nostro concipiendi modo varia

varia in Deo distingui posse, alias Deum considerant ceu actum purissimum, qui intelligendo velit & volendo intelligat. Si vero ad sublevandam mentis nostræ imbecillitatem distinctio aliqua facienda sit, statuimus *divinum Intellectum radicem omnis possibilitatis esse*, ut nihil possibile sit, quam quod Deus sibi ceu tale repræsentat: Ideæ autem illæ rerum possibilium non sunt aliquid extra Deum, quasi Deus res possibiles, sive abstracte consideratas, sive in Systemata redactas, ceu aliquid extra se & à se independens consideraret, sed per Intellectum divinum tantum possibiles sunt, quia Deus eas sibi ceu tales repræsentat, adeo ut extra & sine divino Intellectu nihil possibile sit. Porro *divinam Voluntatem ceu radicem futuritionis rerum*, si ita loqui fas est, consideramus. Ita ut ex infinitis rebus possibilibus, quas Deus sibi, Intellectum suum intuens, repræsentat, nihil unquam futurum foret, nisi Deus etiam *vellet* atque decerneret tale futurum esse. *Omnipotentiam denique divinam ceu radicem actualis existentiæ* consideramus. Ut divina Voluntas ita potens sit, ut id quod semel decretum fuit etiam ad actum producere queat. Tale ergo quale divinus Intellectus sibi repræsentavit Voluntas decernit, & quale Voluntas decrevit, Omnipotentia etiam ad actum producit.

§. LXVII.

Nihil autem reale atque possibile extra Intellectum divinum esse statuunt Reformati; quasi Deus ideas quasdam extra se & à se independentes sibi repræsentaret; hoc enim divinæ independentiæ plane adversum esset, dum tam in volendo quam in cognoscendo à rebus extra se penderet. Ex

§. LXVIII.

Ex tribus hisce quæ posuimus principiis (§. 63. 64. 65.) totum Reformatorum de prædestinatione systema explicari potest, ut nihil in eo deprehendatur quod iis non conforme sit. Id enim maxime agunt, ut nihil admittant quod non omnibus divinis Attributis & toti Universi ac veræ Religionis systemati conforme est. Hujus vero rei maximam rationem habent, ut non unam Dei Perfectionem à reliquis abstractam considerent, sed in relatione ad omnia reliqua Dei Attributa, & ad totum veritatum nexum; probe scientes quod aliquis facillime in errorem incidere possit, si abstracte à reliquis quidquam consideret & de eo judicium ferat.

§. LXIX.

Ut nunc primo maximum removeamus obstaculum, quod Doctrinæ nostræ de Prædestinatione adversarii perferre minime possunt, *Decretum* nimirum *absolutum*, quod divinis Perfectionibus plane indignum ipsis videtur; ante omnia explicandum erit quo sensu illud Reformati *absolutum* vocent.

§. LXX.

Absolutum scilicet *Decretum* salutis statuimus *respectu Dei; respectu hominum* vero id minime absolutum esse docemus, sed quam maxime *limitatum* ac *conditionatum*, ut Conditioni fidei ac Sanctimoniæ nexu indissolubili junctum sit; juxta Christi & Pauli effatum: *Qui non crediderit damnabitur*; & *sine sanctimonia nemo videbit Deum.*

§. LXXI.

Ut clarius rem explicem; dicimus *primo Decretum*

cretum de hominum salute vel reprobatione nonnisi respectu Dei esse *absolutum*. Hoc est Deum nec in cognoscendo nec in volendo vel decernendo ab ulla caussa extra se à se independente pendere. Ut nulla extra Deum possibilitatis alicujus detur idea, sed quod Intellectus divinus omnis ideæ, omnis rerum possibilitatis fons sit; sive quod Deus nullam ab extra se, uti Creaturæ, cognitionem acquirat, sed quod ipse omnis cognitionis, omnis rerum Essentiæ ac possibilitatis, omnis rationis, omnisque entis, generalissimo etiam sensu sumti, Auctor sit. Ut adeo ab omni æternitate, nullam rem, nullam rei conditionem potuerit cognoscere quam ex ipso suo Intellectu omnis ideæ fonte atque radice.

§. LXXII.

Veritas hæc adeo clara, adeo certa Reformatis Doctoribus videtur, ut putent se in summam Dei *Independentiam* maxime fore injurios si contrarium statuerent, docerentque dari Ideam, vel Essentiam aliquam, vel conditionem, vel possibilitatem extra divinum Intellectum, à qua Deus in cognoscendo dependeret, ut illius cognitio à re extra se augeri posset, ut aliquid reale vel ens aliquod atque bonitas aliqua daretur independenter ab ipsius Intellectu, à qua realitate ipse, ab omni æternitate, ceu a conditione à se independente in cognoscendo dependerit. Imo sine divino Intellectu nec quidquam possibile esse arbitrantur Reformati Doctores. Neque hic ullam in Deo perfectionem invenire possunt quæ contrarium suadeat, sed ut firmiter hoc teneant, potius omnia Dei Attributa suadent. Ita divinus *Intellectus illimitatus ac independens* adeoque *absolutus* est. *Divi-*

§. LXXIII.

Divinam autem *Voluntatem* quod attinet, ejus unicam normam atque regulam, si mihi ita dicere fas est, Intellectum divinum statuunt, ut Deus intelligendo etiam velit. Ut adeo Voluntas Dei à solo Dei Intellectu, nec à cognitione aliunde acquisita pendeat. Et in hoc iterum summam Dei perfectionem consistere convictissimi sumus, quod divina voluntas non à re extra se, sed à solo Dei Intellectu determinetur, adeoque ab omni alia re extra Deum independens sit. Quoniam autem Intellectus divinus *illimitatus*, *independens* adeoque *absolutus* est; Voluntas vero divina à nulla re, à nulla realitate adeoque nec à conditione aliqua extra Deum, & ab Intellectu divino independente, sed à solo Dei Intellectu pendeat & determinetur; sequitur quod, uti divinus Intellectus absolutus est (§. 72.), etiam divina *Voluntas* eodem sensu *absoluta* sit.

§. LXXIV.

Decretum autem divinum nihil aliud est, quam Voluntatis divinæ determinatio de hoc mundo, in quo hæc rerum series est, ad actum producendo; quidquid itaque de divina Voluntate dici potest, etiam de Decreto dici potest, cum sit Voluntas Dei. Quoniam autem divina Voluntas absoluta, sive ab omni re extra Deum independens est; consequitur etiam divinum *Decretum* hoc sensu *absolutum* esse.

§. LXXV.

Si vero Decretum Dei universale absolutum est, idem etiam de Decretis particularibus, quæ omnia sub universali comprehenduntur, dici debet.

bet; adeoque *Decreta* etiam *particularia* eodem, quo universale, sensu, *absoluta* sunt.

§. LXXVI.

Uti vero *respectu Dei* Decreta absoluta esse contendimus, ita *respectu hominis* ea *conditionata* asserimus. Constans nimirum Reformatæ Ecclesiæ Doctrina fuit, Deum nemini æternam salutem conferre decrevisse quam sub conditione veræ in Christum fidei ac sanctimoniæ; ut Deus hæc ita sibi invicem subordinaverit, ut finem nemini decreverit quam sub conditione mediorum. Ita firmiter tenemus, Deum neminem reprobasse, quam constantis atque ad finem usque perseverantis malitiæ ac incredulitatis ratione habita. Unde nihil magis horremus quam sophisma illud ignavi, atque homine Christiano indignas voces: *Si electus sum salvabor, si vel ad finem usque impie vivam: Si vero reprobatus sum damnabor, etiamsi sanctissime vivam.* Omnes propterea ad seriam pœnitentiam, ad veram fidem, ad constantem vitæ sanctimoniam ac virtutis Christianæ studium jugiter excitamur. Ex quibus abunde liquet: *Prædestinationis Decretum ad æternam salutem, & peccatoris ad vitæ finem usque reprobationem respectu hominis omnino conditionatam, neutiquam vero absolutam esse.*

§. LXXVII.

Sed hoc nomine α. Remonstrantes hanc nostram Doctrinam respuunt, quod illa divinæ JUSTITIÆ sit adversa, *quæ* ex hypothesi nostra *nos condemnet ob peccatum nunquam à nobis commissum, & ante multos quam nasceremur annos patratum? & quæ primo omnium decreverit glorificari per æternam*

nostram

nostram miseriam, facto simul decreto de peccato à nobis committendo, ad justificandum prævium Reprobationis nostræ decretum.

§. LXXVIII.

Duo OBJECTIO hæc membra habet, *alterum* primi peccati imputationem; *alterum* vero reprobationis decretum respicit. Quoad primum considerandum est, quandonam Deus juste agere dicendus sit? Videndum deinde an Deus peccatum primum nobis imputando juste nobiscum agat? Juste Deus nobiscum agit quando secundum potissimam suam legem agit. Justissima autem hauddubie Lex fuit, quando ab Adamo perfectissimam pro se & posteris suis obedientiam postulavit, addita mortis comminatione si eam transgrederetur, & vitæ perennis promissione si obediret. Nemo autem injustitiæ Deum accusare potuisset, si propter Adami ad consummationem usque obedientiam, statum perfectionis moralis ad posteros etiam, quibus eadem quæ Adamo Lex data est, propagasset, adeoque similem Adamo obedienti sobolem dedisset. Ita contra nec injustitiæ Deus accusari poterit, si juxta eandem legem à se constitutam etiam Adamo inobedienti sobolem det juxta imaginem ac similitudinem ejus. Peccati autem primi imputatio in nulla alia re consistit, quam quod posteri ejus & eodem loco habentur & similes sunt parenti; Cum vero, juxta ea quæ à nobis probata sunt, justo Dei judicio, quod justissima ipsius lege fundatur, Adamo similem dare potuit sobolem, quod etiam juxta ipsas naturæ regulas aliter fieri non potuit, adeoque justo etiam judicio Adami peccatum imputare; dum Adamo similem dare so-

bolem & peccatum ejus imputare sit unum idemque; si vero prius divinæ Justitiæ contrarium non est, nec huic perfectioni etiam posterius contrarium esse potest.

Censura!

Jubeor ut clarius paulo hic Sententiam meam exponam, ne quidquam imputationi peccati primi immediatæ derogari videatur. Adversarii nostri, hoc in primis nomine, maximam nobis litem movent, quod juxta nostram de peccato originali Doctrinam, talis peccati primi statuatur imputatio, qua Deus absque ullo corruptionis universalis atque nativæ respectu, omnes Adami Posteros propter solum illum primi parentis peccaminosum actum reos censeat atque condemnabiles habeat; ut adeo nulla proprii peccati ratione habita, adeoque in se innoxii, æternæ destinentur pœnæ, quod in divinam Justitiam maximopere injurium sit, neque cum summa Dei Æquitate conciliari possit. Cum viderem hunc de Doctrina nostra conceptum admodum male Adversarios nostros habere, eosque ab ejusmodi Dogmate valde abhorrere, id ubique egi, ut ostenderem, male illos in nostra Doctrina ea separare quæ sejungenda minime sunt. Omnis nimirum, quam hic nobis movent, controversia inde nascitur, quod *imputationem* illam *mediatam* & *immediatam* non in conceptu solum sed reipsa etiam à seinvicem distinguunt, & ita quidem ut *immediatam solam* atque *in abstracto* à mediata considerent, cum tamen Theologi nostri neutram ab altera separandam velint. Factum inde ut ego distinctione illa uti & verbis eam exprimere noluerim, sed nonnisi rem ipsam explicuerim, cumque divinis Attributis Doctrinam hancce conciliaverim. Ubique propterea utrosque hos de peccati primi imputatione conceptus, ceu inseparabiles, conjunxi, neque unam absque altera considerandam putavi; ut licet & hic ab hac distinctione abstinuerim, utramque tamen imputationem verbis meis involverim, nec reipsa à Theologorum nostrorum, vel ipsius etiam Apostoli Pauli, sententia discesserim. Scholion hoc scribens omnia quæ mihi ad manum erant Theologiæ nostræ Systemata evolvi, ut quænam vera & genuina præcipuorum

puorum noſtrorum Theologorum hac in re ſententia ſit perſpicerem ? inveni eandem ipſis hac in re mecum mentem eſſe, nempe duo hæc imputationis genera ſeparanda ac in abſtracto conſideranda minime eſſe, ſed unum neceſſario involvere alterum. Ut recte itaque quid ſentiam intelligar, mentem meam duorum ſummorum Eccleſiæ noſtræ Doctorum ac Theologorum verbis exprimam ; Celeberimi nimirum CAMPEGII VITRINGÆ ac de Eccleſia meritiſſimi FRID. ADOLPHI LAMPII. Prior in Compendio Theologiæ, ſive *Doctrina Religionis Chriſtiana* Cap. XI. §. 3. & ſeqq. ita habet :

§. 3. *Tranſit autem hoc* peccatum *cum his ſuis* effectis *ex juſta Dei Rectoris Lege & Judicis ſententia in omnes Adami poſteros, quotquot vi illius verbi :* Creſcite & multiplicamini, *ex ipſo naſcuntur. Hoc dicitur* Peccatum Originale. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 21. 22.

§. 4. *Nempe Deus, ut Mundi Rector, hanc conſtituerat* Legem, *ut homo quocunque in ſtatu poſitus liberos procrearet ſecundum* imaginem ſuam, *hoc eſt, ſibi ſimiles ; & peccator quidem iisdem* vitiis habitualibus, *quibus ipſe inquinatus erat*, pollutos, *ac proinde* eidem *cum ipſo ſuccumbentes* reatui, *ac eadem quoque communis* reatus *argumenta*, mortem *& mortis præludia*, labores ac dolores hujus vitæ, *præferentes, quin, niſi* Gratia *interveniat &* Reſipiſcentia, *æternum à glorioſa Dei communione alienandos.* Gen. V. 3. Rom. V. 12.

§. 5. *In qua Dei conſtitutione nihil eſt iniqui, tum quia* per legem naturæ, *& ſecundum illius* ordinem, *res aliter fieri nequit quam ut* ſimile procreet ſimile ; *tum quia indignum eſſet Deo, peccatori*, non quærenti ſemen ſanctum, *dare*

semen sanctum, vel semen *peccatoris acceptum habere, cum peccatorem ipsum reprobet.*

§. 6. *Juxta hanc igitur naturæ legem evenit, ut primi Parentes liberos procreaverint secundum* similitudinem suam, *hoc est,* servos *non Rationis sed* concupiscentiæ; *carnales, & carnalia sapientes, destitutos pulchritudine imaginis Dei, à virtute alienos & propensos ad vitia & vanitatem sæculi, sui præposlero & inordinato amore turgidos & inflatos, atque adeo indignos, qui in communione & amicitia Dei viverent. Quæ* corruptio, *per omnes hominis facultates regnans, & maxime se in vitiosis atque inordinatis Affectibus exerens, vulgo appellatur* Peccatum Originale inhærens: *Ab Augustino olim valide assertum adversus Pelagianos.*

§. 7. *Quod idem Peccatum, (quæ eadem vitiositas habitualis) secum trahit reatum non tantum malorum hujus vitæ & mortis temporalis, sed &, nisi Gratia interveniat, æternæ.* Eph. II. 3.

§. 8. *Qui* Reatus *an à primo Adami peccato* mediate, *an* immediate *pendeat, in Scholis* subtilius *magis quam* utilius *disputatur, cum eadem utrobique res teneatur & adversus Pelagianizantes asseratur. Id certum, interveniisse hic Dei* Judicium, *& posse proinde hoc consequens Peccati Protoplastorum in eorum posteris hoc sensu appellari* Peccatum Originale imputatum. Genes. III. 15. 16. 17. Sic CAMPEGIUS VITRINGA.

Celeberrimus autem LAMPIUS, ingens Ecclesiæ nostræ decus, ad D'OUTREINII Catechismum sive *Gülden Kleinod der Lehre*

Lehre der Wahrheit. pag. 57. ita sententiam suam explicat:

Frag. Auf wie mancherley Weise kan die Erbsünde angemerket werden?

Antw. Auf zweyerley *Weise: Entweder als* zugerechnet, *wodurch die Schuld von Adam auf seine Nachkommen ist übergegangen: oder als* anklebend, *wordurch sie seiner Verdorbenheit sind theilhafftig worden.*

Frag. Was hælteſt du von diesem Unterscheid?

Ant. Man ist darüber unter den Gottsgelehrten selbst von Anfang der Christenheit nicht eins gewesen, und muß man sich derhalben in Liebe tragen, *absonderlich da die Streitigkeiten darüber so subtil sind, daß sie, um darinn zur gründlichen Entscheidung zu kommen, recht geübte Sinne erfordern,* &c.

Frag. Was dient aber sonderlich dabey in Acht genommen zu werden?

Antw. Daß man zwar in seinem Begriffe einen Unterscheid zwischen der zugerechneten und anklebenden Erbsünde machen kan: Aber daß sie indessen in der Sache selbst unzertrennlich vereinigt sind. Es kœnnte keine anklebende Erbsünde seyn, wenn keine Zugerechnete wære. Denn Gott hætte die Nachkommen Adams nicht in Sünden lassen gebohren werden, wenn seine Schuld nicht auf seine Nachkommen wære übergegangen. Aber an der andern Seite mußte auch die anklebende Verdorbenheit mit der zugerechneten verknüpfft werden, um vollkommen allen Mund zu verstopffen, und

alles Fleisch Gott schuldig zu machen. Und durch eine solche Verknüpffung wird die fürnehmste Schwierigkeit weggenommen, und die Entgegensetzung des ersten und zweyten Adams in ihrem vollen Lichte dargestellet.

§. LXXIX.

Altera difficultas ab hominis prædamnatione, sive ejus sine peccati respectu reprobatione, desumta est; Cum nimirum Deus, ex Reformatorum hypothesi, sui per æternam nostram miseriam glorificationem quærens, certum primo hominum numerum reprobaverit, & dein, ut actum hunc justificaret, peccatum etiam à nobis committendum decreverit. Quam falsam sententiæ nostræ interpretationem sequentes diluent observationes. α. Male nobis affingunt, quod statuamus, Deum quenquam sine peccati respectu reprobasse; sed constanter docemus ideo Deum certum hominum numerum ad æternam destinasse pœnam, quia in infidelitate ac incredulitate ad finem vitæ usque permanent. β. Falso etiam nobis tribuunt, quod in Deo certum statuamus Decretorum ordinem, quasi prius de fine & deinceps de mediis cogitaverit; docemus autem Deum simul & unico actu finem & media decrevisse, ut totum hunc rerum ordinem, qualis in hoc Universo est, adeoque etiam omnes fines particulares ac subordinatos simul cum universali statuerit; dici propterea minime potest, Deum prius homines reprobasse & deinceps de peccato etiam ab homine committendo decrevisse. γ. Ratione peccati Deum nihil decrevisse statuimus, quam se illud permissurum esse. Deus enim malum morale velle, non potest (Cap. III. §. 477.);

477.); nec hunc mundum propter malum morale producere decrevit (Cap. III. §. 478.); Deus tamen impedire noluit, quominus malum morale fieret, unde permittere decrevit malum (Cap. III. §. 481.); Et id quidem sapientissime decrevit Cap. III. §. 500.).

§. LXXX.

Cadit propterea altera etiam difficultas à Sanctitate Dei desumta, cum qua conciliari minime possit, quod Deus antecedente Decreto peccatorum commissionem certo determinaverit, & tali quidem modo ut eam à nobis evitari impossibile sit.

§. LXXXI.

Ad quæ respondemus α. Originem mali omnino quæstionem solutu perdifficilem esse, quæ nostris Adversariis non minus ac nobis negotium faciet, quacunque ratione rem explicare velint. β. Necessitas autem peccandi non alio sensu ex Decreto divino promanare potest, quam quatenus Deus modo sapientissimo peccatum permittere decrevit, hominemque cum possibilitate abutendi libertate creavit. Ipsimet autem Remonstrantes negare non poterunt, Deum peccati permissionem decrevisse, & hominem cum facultate abutendi libertate creasse; unde easdem ipsorum quas nostra sententia difficultates habet. γ. Tenendum insuper quod Decretum divinum rerum eventui nullam addat necessitatem, dum nec rerum contingentiam, ac actionum rationalium libertatem tollit (Cap. III. §. 440.); ut licet Decretum immutabile sit, omnia tamen non absoluta necessitate, sed hypothetica tantum in hoc mundo fiant (Cap. III. §. 463.).

§. LXXXII.

Quærunt ex nobis Remonstrantes: quo sensu Deus dicere possit *se non delectari morte peccatoris*, si per Absolutum Decretum tot hominum myriadas reprobaverit, credendum autem omnino esse, Deum non minus Decreti executione quam ipso Decreto delectari.

§. LXXXIII.

Suo autem loco jam demonstravimus, Deum mundum hunc non propter malum morale producere decrevisse (Cap. III. §. 478.); & impossibile esse ut malum morale Deo placeat (Cap. III. §. 483.); Et Deum creaturarum rationalium felicitatem velle, contra earum infelicitatem non velle (Cap. III. §. 517.); Ex quibus patet quam remoti ab ea sententia simus quæ nobis affingitur; neque eam ex reliquis Doctrinæ nostræ partibus fluere, ex tota illa, quam nunc citavimus demonstratione liquet. Ratio vero, cur ea nobis tribuitur, hæc est, quod Adversarii contendunt nos absolutum Decretum etiam *respectu hominis* statuere; quod falsissimum esse supra probavimus.

§. LXXXIV.

Addunt hisce: Doctrinam nostram cum Dei veritate ac sinceritate, Gratiam suam nobis offerentis consistere non posse, dum per actum aliquem antecedentem determinaverit, ut omnia hæc inefficacia sint; adeoque serio peccatoris conversionem nolit.

§. LXXXV.

Pernegamus autem α. Deum actu antecedente decrevisse, ut Gratiæ suæ beneficia erga nonnullos

nullos inefficacia sint, tali enim Decreto opus minime erat; nam non Dei Decretum sed peccatoris pertinacia ac durities in caussa est, cur ea Gratiæ beneficia, quæ Deus, etiam respectu eorum qui pereunt, adhibet, conversionem non efficiant; culpa ergo in corruptissima hominis natura, non in divino Decreto quærenda est. Deum vero peccati caussam non esse, à nobis suo loco demonstratum est. Ulteriorem vero Gratiam durissimis hisce peccatoribus largiri non tenetur, dum ne ea quidem uti velint quam ipsis donat, sed eam respuant atque pedibus conculcent. β. Cum autem Deus hominum infelicitatem non velit (Cap. III. §. 517.), certissimum etiam est, Deum nec pœna ipsorum delectari, sed potius serio velle ut officio suo satisfaciant, ut exhortationibus suis obediant; quod si Deus non vellet, contrarium vellet, ut scilicet mandatis suis immorigeri sint, adeoque peccatum vellet; hoc autem falsum esse (Cap. III. §. 478. 483.) à nobis probatum est.

Simejus læsæ Majestatis crimen commiserat, mortis propterea reus; nolebat tamen Salomon Rex sapientissimus statim ultimo eum afficere supplicio, sed ut Simei Hierosolymis domum extruat jubet, inque ea habitet, neve inde unquam excedat; Quod si vero exierit & Cedronem torrentem transierit, sciat sibi esse moriendum & sua Culpa pereundum. Simejus mandatum hoc regium transgrediens ad Regem arcessitur. Quum, ita eum alloquitur Salomon, ego te per Jehovam obtestatus, & tibi contestatus fuerim, si quoquam egrederere atque ires, scires, tibi fore moriendum. Tum Benajas Jojadæ filius, jubente Rege, procedit, illumque adgressus interficit. Lib. III. Regum Cap. II. Quis hic dubitare poterit, firmissimum ac immutabile Regis Decretum fuisse ut perimeretur Simejus si hanc legem ab se constitutam transgre-

deretur ; sed quis propterea dubitet, seriam sapientissimi Regis fuisse voluntatem , ut Simejus in Domo sua permaneat neque unquam inde egrediatur , sed Mandata Regis , ipsi sub hac conditione clementiam offerentis, observantissimus sit.

§. LXXXVI

OBJECTIO II. A natura Dei, inquit BURNETUS l. c. §. 42. 43., ad hominis naturam pergunt, existimantes, ejusmodi Libertatem, qua homo actionum suarum Dominus est, & pro lubitu facere vel omittere potest quod vult, ad Moralitatem actionum adeo esse necessariam, ut sine illa actiones nostræ nec bonæ sint nec malæ, nec præmiorum aut pœnarum capaces. - - Ideoque aliqui saltem Libertatis gradus nobis concedendi sunt, alias quomodo vel laudandi vel culpandi erimus propter quicquam eorum quæ facimus? Si homo putat se inevitabili subesse decreto : uti nulla malefactorum conscientia ipsum urgebit; eo quod vi inevitabili constrictus ei omnia imputat, sic facili & plena consequentia inde concludit, vanum esse luctari cum impossibilibus; Cumque homines natura proclives sint ad culpam omnem à se amovendam , seque inertiæ & ignaviæ dandos , in vitia isthæc proniores utique sumus , quam ut opus sit ejusmodi adoptare Opiniones, quæ illis patrocinantur. Omnis Virtus & Religio, omnis Disciplina & Industria, ex hoc tanquam principio suo primo derivari debet ; nimirum esse in nobis potentiam, qua Cogitationes & actiones nostras gubernare & facultatibus nostris uti possimus. Hoc si negetur, omnis Conatus, Educatio , omneque studium, sive nobis sive aliis impensum, vanum prorsus erit atque frustraneum. Nec induci homo unquam

quam potest, ut aliud de se credat: Adeo enim clare percipit se esse agens Liberum, adeo evidenter sentit ipse in se cogitationes, momenta rerum viciſſim expendentes, & de objectis deliberantes; ut certo sciat se esse Ens liberum. Hæc est Imago Dei Naturæ hominis impressa; & quamvis homo subito impetu quandoque ita se abripi sentiat, ut eam Libertatem subinde amisisse videatur; sentit tamen se potuisse æstum illum in primo ejus ortu reprimere: sentit se posse cogitationes in aliud objectum defigere, sibique ipsi in pluribus dominari, dum modo id facere annitatur; sentit, recta rerum notitia seriaque consideratione, bono consortio, exercitiisque probis se emolliri mitemque reddi, pravis autem efferatum ac dissolutum. Ex omnibus his concludunt; Hominem esse Liberum, neque subesse Fato inevitabili, aut Motibus ad bonum vel malum irresistibilibus. Omnia hæc perpetuo confirmant tenore Scripturæ, quæ Persuasionibus, Exhortationibus, Increpationibus, Expostulationibus, Promissionibus, & Comminationibus ubique plena est. Quæ omnia vana sunt atque scenica, nisi facultates in nobis dentur liberæ, quibus hæc proponantur. Cui usui erit alloqui mortuum, suasionibus cœcum movere ut videat, claudum ut currat? Si impotentia omnimoda laboramus, donec irresistibilis Gratia superveniat, & si semel datæ nihil potest resistere, cui usui quæso solennes istæ invitationes & exhortationes, si nullum in nobis possunt habere effectum? Non possunt nos reddere inexcusabiles, nisi per illas corrigi in nostra sit potestate; existimare autem Deum lucem aut Gratiam suam iis impertiri, quos jam tum antea damnare intendit, in id saltem

tem ut inexcusabiles eos reddat, cum nihil ex Luce & Gratia boni ad eos redundare possit, & tantum aggravandæ eorum damnationi inserviant, id sane tam alienum de infinita illa Bonitate Conceptum animo ingerit, ut propriis & à re nascentibus vocabulis eundem exprimi minus conveniat.

§. LXXXVII.

RESPONSIO. Integra fere hæc objectio tribus nititur falsis hypothesibus quas nobis affingunt Adversarii. *Prima*, hæc est, *quod omni plane Libertate hominem per Decretum absolutum & immutabile privemus*; Contrarium autem demonstravimus Propos. IV. *Altera* falsa hypothesis est: *Quod per Decretum absolutum inferatur Necessitas actionum absoluta ac inevitabilis.* Contrarium vero à nobis demonstratum est (Cap. III. §. 463.); *Tertia* falsa hypothesis hæc est: *Quod tale quale à nobis statuitur Decretum omnem mediorum usum ac necessitatem excludat.* Contrarium autem patet ex §. 76. Prolixa igitur humanæ Libertatis ac necessitatis hypotheticæ probatione contra nos Adversarii opus non habent: Neque etiam negamus hominem in pluribus sibi ipsi dominari posse, si id facere annitatur, quivis enim homo Gratiam refrenantem habet, si ea uti velit. Nec porro negamus hominem recta educatione, rerum notitia, consortio bono, variisque disciplinis emolliri mitemque reddi, quæ omnia ad Gratiam communem pertinent, hominemque ad recipiendam ulteriorem Gratiam præparant. Persuasiones, exhortationes, expostulationes, promissiones, comminationesque omnino usum suum habent ratione triplicis hominum generis. *Primo* ratione eorum qui

qui *jamjam converſi* ſunt, quique adeo operante in iis divina Gratia bonum velle & perficere poſſunt, ut ſuaſiones ac commonitiones illorum reſpectu fruſtraneæ non ſint. *Secundo* ratione eorum qui quidem *nondum converſi*, ſed tamen *convertendi* ſunt; cum quibus Deus ceu cum creaturis rationalibus agit, iisque externa ad conſequendam ſalutem media donat, ut hac ratione præparentur ad converſionem eorum animi; utantur enim mediis hisce neceſſe eſt, & quidem viribus naturalibus, ſi majoris participes fieri velint Gratiæ. *Tertio* denique eorum etiam reſpectu qui *in duritia ac peccati dominio ad finem usque permanent*, nec unquam convertuntur, exhortationes, increpationes &c. neceſſariæ ſunt: vide Cap. XVI. §. 70. præcipue ut officii ſui commonefiant, ſciantque ad quid natura obligati ſint. Quo tautem ſenſu reſpectu convertendorum Gratia Dei irreſiſtibilis ſit, nec ullo modo hominis Libertati officiat ſupra jam (Cap. XVI. §. 68.) à nobis oſtenſum eſt.

§. LXXXVIII.

Cum infinitæ denique bonitatis conceptu pugnare contendunt quod ſtatuamus, eum ſolum in finem Deum iis, quos jam antea damnare intendit, lucem & Gratiam ſuam impertiri, ut eos ſaltem inexcuſabiles reddat, neque quidquam boni ex luce & Gratia illa ad eos redundare poſſe, quam ut aggravandæ eorum damnationi inſerviant.

§. LXXXIX.

Reſpondemus & hanc objectionem duplici falſa hypotheſi, quam nobis affingunt, niti. *Primo* de

de prædamnatione hominum ante peccati & finalis incredulitatis respectum. Quod contra §. 76. *Secundo:* Falsum est quod statuamus, Deum *non convertendis* eam solum ob caussam lucem & Gratiam suam offerre ut illi sint inexcusabiles & ut eo major futura sit eorum damnatio: Sed potius eum in finem Deum irregenitis externa Gratiæ media conferre dicimus, ut diligenter iis utantur, quod si velint etiam facere possunt, & si id præstent quod præstare possunt, tanto minor etiam eorum pœna erit, si vero ea contemtim habeant, nec iis per vires quas possident & per Gratiam communem uti velint, culpa non Dei sed illorum est, nec habent cur ullam in Deum culpam conjiciant. Nec Bonitati divinæ adversum, si iis majorem Gratiæ mensuram denegat, qui minori uti nolunt, sed potius hac ratione Deus Bonitatem suam cum Sapientia administrat.

§. XC.

OBJECTIO III. Pergit BURNETUS §. 44. Porro, inquit, durum est, duas contrarias voluntates in Deo supponere, quarum altera officium nostrum nobis præscribat, obsequium nostrum maxime solennibus obtestationibus à nobis requirens; altera velut obicem nobis ponat, decernendo, contrarium à nobis faciendum esse. Hoc nobis Deum repræsentat tanquam habentem *Voluntatem* & *Voluntatem*; quamvis *Cor* & *Cor*, cum de homine dicitur, non optimam indolem denotet; Altera *Voluntas* postulat à nobis officium nostrum; Altera vero impossibilitatem non peccandi nobis imponit; *Voluntas* quæ bonum spectat, inefficax est, ea vero, quæ nos peccare facit, est infallibilis. Hæc equidem conceptu admo-

modum sunt dura ; & cum Radix veræ Religionis sit , veras de Deo & Attributis ejus habere ideas, quæ ex istis principiis oriuntur, tales sunt, ut Conceptus Deo indignos animo imprimant, qui si pro norma recipiantur , ad quam Natura & Notiones nostræ formandæ sint, non possunt non nos reddere malevolos , imperiosos & duros, minime vero apti videntur, qui nos imbuant Spiritu Amoris, Misericordiæ, & Commiserationis ; tametsi Deus in illis imitandus semper nobis in Scriptura proponatur. Omnis præterea prædicatio & instructio hoc supponit. Eccur enim homines vocantur , docentur & suasionibus moventur, si non sunt agentia libera, nec in proprias cogitationes potestate gaudent, & si ratione moveri aut convinci non possunt ? Deluforiæ prorsus sunt pacis & Gratiæ oblationes omnibus hominibus factæ, si per Decretum Dei antecedens ad paucos restrictæ sint, omnibus reliquis inde exclusis.

§. XCI.

RESPONSIO. Nititur iterum objectio hæc falsa hypothesi, quod nimirum per divinum Decretum nobis imponatur inevitabilis peccandi necessitas, ut actiones nostræ liberæ dicendæ non sint, sed absolute necessariæ fiant ; ad quod §. 87. responsum fuit ; ex quibus clarissime patet, falsissime nobis imputari quod ex sententia nostra sequatur , Deum decrevisse ut homo peccet, illique ad bene faciendum obicem posuisse , nobisque impossibilitatem non peccandi imposuisse. At contrarium hisce non modo docemus , sed contrarium etiam ex nostra de divinis Decretis Doctrina fluit ; siquidem juxta eam Deus, uti suo loco

loco ſupracitato probatum, malum morale non vult, adeoque nec illud decrevit, imo Decretum divinum actiones noſtras liberas relinquit; ſed nonniſi peccati permiſſionem decrevit, hominemque cum facultate abutendi libertate creavit, quod & ipſi Adverſarii negare minime poſſunt (vide hæc probata §. 79.). Id igitur Remonſtrantes maxime agunt ut male interpretentur noſtram de Decretis doctrinam, odioſasque nobis conſequentias affingant; inter quarum numerum eæ etiam recenſendæ ſunt, quod juxta noſtram hypotheſin *Voluntas* quæ bonum ſpectat ſit inefficax, *ea* vero *quæ nos peccare facit* ſit *infallibilis*; Cum enim Deus mali moralis operationem non decreverit, illudque ipſi ſummopere displiceat, & nonniſi ſimplicem ejus permiſſionem ſapientiſſimas ob cauſſas ſecum ſtatuerit, etiam voluntas ejus *nos peccare facere* dicenda non eſt. Inde liquet: Neutiquam nos contrarias in Deo Voluntates admittere, ſed Deum nonniſi bonum, & quidem ſerio velle, conſtans noſtra Doctrina eſt.

§. XCII.

Nec habent cur dicant Remonſtrantes, ſecundum noſtram Doctrinam deluſorias prorſus eſſe pacis & Gratiæ oblationes omnibus hominibus factas, ſi per Decretum Dei antecedens ad paucos reſtrictæ ſint, omnibus reliquis inde excluſis. Siquidem Gratiæ ac pacis oblatio non propter eos qui nunquam convertuntur fiat, ſed eorum cauſſa qui convertendi ſunt, qui autem ab Evangelii Miniſtris dignoſci non poſſunt, unde indiſcriminatim reconciliationis munus adminiſtrant, neſcientes quinam ex toto grege oblata beneficia per divinam Gratiam vera ac viva fide accepturi ſint.

sint. Gratiæ autem ac pacis oblationem non eorum causa fieri, qui nunquam convertuntur, sed sub peccati dominio ac incredulitate per integram suam vitam permanent, inde patet, quia Deus in iis locis Evangelium prædicari non curat, ubi nullos reperiri scit qui oblatam Gratiam accepturi sint, sed candelabrum Evangelii sui ex illo loco removet. Cum itaque in Ecclesia ubi boni mixti sunt malis, externa vocatio non possit non indiscriminatim fieri, Gratiæ promissio nonnisi sub conditione annuntiatur, ut nimirum homines, si ejus fieri velint participes, resipiscant & Deo testanti in Verbo suo fidem habeant; has conditiones si homines non impleant, nec omni studio etiam, quantum quidem in se est, id agant, ut eas assequantur, etiam Gratiæ ac pacis applicationem sibi facere nunquam possunt, unde ejus oblatio delusoria minime est; qualis hoc solum in casu esset, si ad cœtum fieret, qui nonnisi ex reprobis constat; aut si nulla sub conditione Gratiæ ac pacis promissio omnibus sine ullo discrimine fieret.

§. XCIII.

OBJECTIO IV. Ut porro contra nos probent, rerum futuram existentiam, sive *futuritionem* uti metaphysici loquuntur, non à divina prædeterminatione ac præscientia, sed nonnisi à libera humanæ voluntatis electione pendere, ita ut certitudo divinæ Præscientiæ non sit antecedens & causalis, sed subsequens & eventualis, & nihil aliud sit, quam notitia rerum quæ futuræ sunt, nec necessitatem nec causalitatem inferat, ad ea provocant Scripturæ dicta, ubi de Præscientia

conditionata sermo est. Unde ita BURNETUS l. c. §. 49. Scriptura, inquit, pluribus in locis præscientiam conditionatam clare docet; indicavit Deus Davidi, 2. Sam. XXIII. 11. 12. *Saulem Kegilam venturum*, & Kegilitas ipsum Regi *tradituros* esse: utrumque vero futurum erat sub ista conditione, si ibi maneret, discedente vero Davide neutiquam accidit; hic erat præscientia conditionata. Sic secundum effatum Christi, Matth. XI. 21. 22. *Tyrii & Sidonii*, *Sodomæi & Gomorræi* pœnitentiam acturi fuissent, si vidissent miracula, in quibusdam *Galileæ* urbibus edita. Quandoquidem ergo hæc præscientia tam certa esse potest, ut nunquam erret, neque Providentiæ divinæ consilia vana reddat; quandoquidem etiam per hanc Attributa divina vindicantur, & Libertas Voluntatis humanæ asseritur: omnes difficultates facillime hoc modo solvi posse videntur.

§. XCIV.

RESPONSIO. α. Tenendum hic ante omnia, quod sæpius jam à nobis observatum fuit, nec divinam rerum Præscientiam nec prædeterminationem rebus absolutam inferre necessitatem. Siquidem Deus res liberas præsciat & decernat ceu res liberas, contingentes ut contingentes, necessarias vero ut necessarias; Præscientia futuritionis rerum earundemque prædeterminatio in rebus ipsis nihil mutat, nec quidquam iis addit quam eventus certitudinem, minime vero necessitatem; Ita ut eæ actiones, quæ antecedenter ad divinum Decretum, si ita loqui liceat, intellectui divino repræsentatæ fuere ceu meræ possibiles vel ut contingentes, vel ut liberæ,

ræ, vel ut neceſſariæ etiam poſt prædeterminationem divinæ Voluntatis de ea rerum ſerie ad actum producenda, & poſt præſcientiam futuritionis earum certitudinis tales maneant. β. Tenendum porro, Intellectum divinum in ſe ſpectatum ſine reſpectu ad Voluntatem, radicem eſſe meræ poſſibilitatis rerum, dum Deus intuendo ſemetipſum ſive perfectiones ſuas, adeoque cognoſcendo ſeipſum, ſcit quidquid nullam contradictionem involvit, ſive ſit veritas abſolute neceſſaria, ſive contingens, ſive libera; ſed hactenus res nondum futuræ ſunt, ſed nonniſi mere poſſibiles. Voluntas autem Dei, radix futuritionis eſt, ut propter divinæ Voluntatis prædeterminationem certa rerum ſeries & rerum poſſibilium ſyſtema aliquod certo extiturum ſit; ſed tale quale in divino Intellectu antecedenter ad Decretum repræſentatum fuit; ut ea in illo libera maneant, quæ tunc ceu libera in divino Intellectu repræſentata fuere, & contingentia quæ contingentia fuere. Quando vero divina Voluntas nexum aliquem rerum ad actum producendum adeoque futurum decrevit, divinus Intellectus illam rerum ſeriem non amplius ceu mere poſſibilem, ſed etiam ceu futuram ſibi repræſentat. Concedent autem Adverſarii vel ſaltem negare non poterunt, ſimplicem rerum ceu mere poſſibilium in divino Intellectu repræſentationem antecedenter ad Decretum rebus nullam plane inferre neceſſitatem, dum hactenus, nullo ad divinam Voluntatem reſpectu habito, ne quidem definitum ſit, num res illæ ad actum ſint producendæ nec ne? Voluntas autem tales res illas producere decernit, quales in divino Intellectu

repræsentatæ fuere, ut nulla, respectu rei ipsius, per Decretum mutetur qualitas sive affectio, nisi quod futura est; Unde nulla in rebus earumque intrinseca natura per Decretum facta mutatione, concedant oportet Adversarii, eandem, juxta nostram de Decretis Doctrinam, intrinsecam omnium rerum manere naturam, qualis antecedenter ante Decretum sive divinæ Voluntatis actum, in divino Intellectu repræsentata fuit. Cum autem sola Intellectus divini repræsentatio, nullo ad ejus Voluntatem respectu habito, rebus, sive rerum Essentiis, nullam inferat necessitatem; Voluntatis vero actus, sive Decretum nihil plane in intrinseca rerum natura, sive earum Essentiis, mutet, sed eas tales sinat quales antea fuerunt, sequitur, nec Dei Voluntatem absolutam rebus liberis ac contingentibus inferre necessitatem. Postquam autem divina Voluntas decrevit rerum aliquam seriem ac nexum, antea ceu mere possibilem in divino Intellectu repræsentatum, ad actum producere, Intellectus divinus illud rerum Systema sive seriem illam non amplius ceu mere possibilem, sed ceu futuram sibi repræsentat, eamque præcognoscit ac prævidet; quæ præcognitio sive præviſio non magis res illas absolute necessarias facere potest, ac id Decretum facere demonstravimus, dum & hæc præviſio in re decreta nihil plane mutet; Unde & hic Adversarii debent fateri, res ex Decreto præcognitas propterea necessarias non fieri, nisi illarum Essentiæ jam antea fuerint necessariæ. Adeoque Deus omnes res tales futuras præcognoscit quales eas producere decrevit. Eas autem tales producere decrevit, quales sibi divinus Intel-

Intellectus jam antecedenter ad Decretum ceu mere possibiles sibi repræsentavit. Atqui repræsentatio illa nullam rerum contingentium ac liberarum necessitatem absolutam involvit, E. nec earum ex Decreto præcognitio sive præviſio.

§. XCV.

Si *dicant* Adversarii : Deo in Litteris S. *Præscientiam* adscribi *conditionatam*, à creaturarum actionibus liberis pendentem. *Respondemus*: Omnino Præscientiam divinam, respectu creaturarum sive *objective* consideratam, *conditionatam* esse; uti supra asseruimus, divinum Decretum *respectu hominum*, sive *objective* consideratum non absolutum sed *conditionatum* esse. Præscientiam Divinam respectu creaturarum, sive *objective* consideratam, *conditionatam* dicimus : dum in toto rerum nexu omnia sint hypothetica, ut si hoc fit etiam illud fiat, ut tota series, ceu totidem media sive conditiones, sibi subordinata sit, ut hoc eveniat propter hoc ; adeoque tota rerum futurarum præscientia conditionata est, dum præscientia unius rei semper præsupponat alteram rem; nihilominus tamen certo futura sunt omnia, quæ Deus præscit, licet conditionata maneant. Non ergo Adversarii habent cur nos accusent, nos conditionatam præscientiam negare.

§. XCVI.

Statuimus porro & nos : Deum varias rerum series sibi repræsentare, & quidem tales quæ in statu meræ possibilitatis permanent, nec unquam eventuræ sunt ; Ut non solum sciat quid futurum sit, sed quid aliud etiam in alia rerum serie

(Molina) possibile esset ; Nec video quomodo hoc absque summa Intellectus divini limitatione negari possit. Si prudens aliquis Status Minister aut Exercitus Imperator variis rerum eventibus præcavere debet , atque prospicere ne hoc vel illud sibi inopinanti accidere possit , quod tamen postea nunquam evenit , sequitur, Imperatorem illum, sive Status Ministrum varios sibi repræsentare eventus ac rerum series, quæ tamen nunquam eveniunt , sed in statu meræ possibilitatis permanent ; quare non Deus etiam , qui & horum hominum cogitationes novit, varias rerum series nunquam quidem eventuras, sed tamen possibiles, dum nullam involvant contradictionem, sibi repræsentare deberet per infinitum suum Intellectum, qui infinite plura possibilia sibi repræsentare potest quam Voluntas decrevit & Omnipotentia ad actum produxit ; & quis illius Intellectui limites ponere velit ? Si itaque Deus Davidi indicavit Saulem Kegilam venturum, & Kegilitas ipsum Regi tradituros esse. Aut si Christus dicit Tyrios & Sydonios, Sodomæos & Gomorrhæos pœnitentiam acturos fuisse, si Miracula vidissent in quibusdam Galilææ urbibus edita , nihil aliud indicatur, quam Deum varias rerum possibilium series , nunquam tamen eventuras , sibi repræsentare, ut sciat quidnam per alium rerum nexum futurum fuisset , si hæc vel illa conditio alterius loco substituta fuisset ; concedimus itaque Præscientiam divinam ratione objecti conditionatam esse , sed easdem conditiones vel futuras vel non futuras à divino Intellectu ac Voluntate pendere asserimus , ut Deus aliam rerum seriem alias conditiones , respectu rerum contingentium

um ac liberarum ordinare ac eligere potuisset si voluisset.

§. XCVII.

OBJECTIO V. Dicunt porro, magis divinæ Bonitati, Gratiæ ac Misericordiæ convenire, si perfectum horum Attributorum erga homines statuatur æquilibrium, ut Deus eandem Gratiæ mensuram omnibus tribuat, & Misericordiæ ejus auxilia erga omnes sint æqualia; quam si contra nobiscum asseratur, Deum nullam ob rationem tantam inter homines peccatores facere distinctionem, ut alteri maximam Clementiam efficacissimamque exhibeat Gratiam, alteri vero eam deneget, quod contra summam Dei Æquitatem pugnet. Eoque magis alteros fieri inexcusabiles, si eandem ipsis Deus cum reliquis Gratiæ mensuram exhibuerit, quam propria culpa sua neglexerint eique restiterint.

§. XCVIII.

RESPONSIO. Ut verum fatear, difficultas hæc mihi semper maxima visa est. Sed si vel concederemus eam plane insolubilem esse, nihil tamen contra nos efficient Adversarii, dum iisdem eorum etiam hypothesis prematur difficultatibus, quas ipsimet insolubiles esse fateri coguntur. Si enim ad id respondere tenentur, quod quibusdam Nationibus & Hominibus Salutis media vel dentur vel denegentur, quod Scriptura divitiis & Libertati Gratiæ divinæ in solidum tribuit, fatentur difficultatem insolubilem esse. Unde BURNETUS l. c. §. 51. Argumenta Remonstrantium proponens dicit: *Postremo non diffitentur illi, esse hac in re abyssum viarum & judicio-*

* daß die Schrift den Reichthum und die Freiheit göttlicher Gnade gleichhandelt

rum Dei, quando non omnibus Nationibus parem lucis mensuram indulget, nec omnes Homines in æqualiter felici conditione & circumstantiis collocat; quæ difficultas ipsis insolubilis est.

§. XCIX.

Regerunt equidem, Deum dare unicuique homini id quod necessarium est, pro ratione istius conditionis in qua constitutus est, ut respondeat officio, quod ab ipso requiritur; Hanc etiam Lucem & communem Gratiam sufficientem esse ad id, ut Deus vel eos gratiose acceptet, vel ulteriores illuminationis gradus iis largiatur, ex quo consequatur omnes homines coram Deo esse inexcusabiles, eumque purum esse & justum, cum omnis homo habeat quantum sufficit, si non ad ipsum salvandum, saltem ad perducendum in statum salutis. Cæterum præter id quod simpliciter necessarium, & in seipso sufficiens est, innumeros esse favores & Gratiæ atque Bonitatis divinæ exuberantias, quas Deus pro beneplacito suo libere dispensare possit. Neminemque hoc pacto conquerendi causam habere, quamvis alii supra alios majorem gaudendi inque Deo gloriandi materiam habeant. Quod integris eveniat Nationibus, idem etiam in Individua cadere posse; posse alios majoribus gaudere Privilegiis atque in Circumstantiis favorabilioribus constitutos esse, habere talia Gratiæ auxilia quæ Deus prævidit efficacia futura; habere hoc modo quemlibet hominem, cujus seipsum accuset, quia eo, quod erat sufficiens, usus non erat, quod tamen facere potuisset. Et omnes bonos habere de quo lætentur in Deo, qui dederit illis id, quod efficax futurum prævidit.

Sed

§. C.

Sed omnia, quæ hic nobis Remonſtrantes regerunt, eodem etiam ipſis jure regerere poſſumus, quando ſtatuimus, unum hominem altero majorem habere Gratiæ menſuram, eamque reſpectu quorundam ita efficacem eſſe, ut omnes obices removeat, omnesque difficultates ſuperet, duritiemque cordis peccatoris vincat.

§. CI.

OBJECTIO. VI. Addunt iis ad quæ hactenus reſpondimus, Doctrinam de abſoluto Decreto ac de particulari Gratia in praxin vitæ & morum quam maxime influere, ut homines ſocordes reddat ſeipſos abſoluto Dei Decreto ac inſuperabili irreſiſtibilique permittentes Gratiæ, nullamque adeo curam gerant, ut cum timore ac tremore Salutem ſuam operentur.

§. CII.

RESPONSIO. Monendum α. nos ſupra jam (§. 76.) oſtendiſſe Eccleſiam Reformatam minime docere divinum Decretum *objective* ſumtum, ſive *reſpectu hominis* abſolutum eſſe; ſed illud *conditionatum* ſtatuunt: ut Gratiæ media ac finis ſibi invicem ſubordinata ſint, nec finem ſine conditionibus homo conſequi poſſit, ut qui crediderit ſalvandus, qui non crediderit damnandus ſit, nec quisquam absque ſanctimonia Deum viſurus ſit. β. Damnationis propterea culpam in ſolum hominem ſummo jure rejicimus, qui Patris Gratiam negligit, & nequidem viribus naturalibus recte utitur, qui ſanguinem Filii proculcat, qui denique Spiritui S. malitioſe repugnat.

Unde ita habet Synodus Dordracena in *Judicio* Cap. III. §. 9. *Quod multi*, inquit, *per Ministerium Evangelii vocati non veniunt & non convertuntur, hujus culpa non est in Evangelio, nec in Christo per Evangelium oblato, nec in Deo per Evangelium vocante, & dona etiam varia iis conferente; sed in vocatis ipsis, quorum aliqui Verbum vitæ non admittunt, securi; alii admittunt quidem, sed non in cor immittunt, ideoque post evanidum fidei temporariæ gaudium resiliunt; alii Spinis curarum & voluptatibus semen verbi suffocant, fructusque nullos proferunt; quod Servator noster seminis parabola docet.* Matth. Cap. XIII. γ. *Vera* porro in Christum *fides*, sine qua nemini aditus datur in Regnum Cœlorum, ita comparata esse debet, ut *per charitatem* sit *efficax & bonorum Operum fructus* ferat, alias nonnisi mortua fides est. δ. Docet etiam Reformata Ecclesia, *hominem arctissime*, si beneficiorum cœlestium fieri velit particeps, *cum Christo debere esse unitum, eique insitum ut palmes viti*, quo fit ut vitæ Christi particeps etiam fructus ferat, ex quibus demum cognoscere potest, se per Christum redemtum Regnique cœlestis hæredem esse. ε. De Christi *Justitia* Ecclesiæ Reformatæ Doctores cum Apostolo docent, si ejus participes facti simus, eam nos non solum à peccati pœna, sed à *Dominio* etiam liberare, ut is qui æternam salutem consequi vult à peccato liber factus Christi servus esse debeat. ς. *Effectus* denique & *natura* omnium beneficiorum novam plane vitam requirit. *Electi* enim sumus non ad finem tantum, sed ad media etiam, ad fidem scilicet & vitæ sanctimoniam. *Vocatio efficax* in mentis illuminatione & voluntatis flexione consistit, ut homo in posterum omni

ni ſtudio omnibusque viribus id agat, ut ſtatum ſuum mutet, & ex Regno tenebrarum in Lucem tranſeat. *Regeneratio*, quam Reformati Doctores ita neceſſariam eſſe docent, ut homo absque ea in cœleſte Regnum introire nequaquam poſſit, vivificationem ex morte ſpirituali involvit, cujus neceſſitas hominem ſecurum ſinere neutiquam poteſt. *Fidem*, ſi recte comparata ſit, bonos fructus edere debere, ſupra jam monuimus. *Juſtificationis* nemo certus eſſe poteſt, niſi qui veræ fidei certus eſt, hujus autem nemo niſi ex ejus fructibus certus eſſe poteſt. Veram vitæ *Sanctimoniam*, ſine qua Dominum nemo viſurus eſt, omnes Doctores atque Concionatores inter Reformatos non minus inculcant, quam omnes ii qui Doctrinam noſtram accuſant, quod impietatis aſylum ſit, ac unumquemque ad verum virtutis ſtudium, ad officia erga Deum, erga Proximum, erga nosmetipſos præſtanda ubique & conſtanter admonent. Ut igitur Adverſarii nullam plane habeant cauſſam, cur tantum Doctrinæ noſtræ crimen objiciant, ſiquidem ex connexione omnium ejus partium plane contrarium pateat.

§. CIII.

OBJECTIO VII. Omni etiam vero ac ſolido Solatio deſtitutam eſſe noſtram Doctrinam contendunt; dum nimirum Gratia tam Electionis quam Redemptionis particularis tantum doceatur, homines afflictos non habere quo refugiant, dum continuo habeant cur metuant, nec ipſos ad ſalutem electos, nec adeo etiam redemptos eſſe, ut adeo omnis eorum conatus fruſtraneus

straneus sit ; ex quo non possit non aliter fieri, quin multi de salute plane desperent.

§. CIV.

RESPONSIO. Provocamus autem α. ad ipsam experientiam ; Non plures enim in Particularistarum quam in Universalistarum Ecclesia reperiuntur, qui vel in securitatem ferantur præcipites, vel ad desperationem tristes adigantur. Observantibus Theologis Ecclesiæ Aug. Conf. addictis Rintelensibus, in Epist. Apologet. p. 100. 102. β. Solatium solidum ex limitata illa universalitate promissionis Christi fluit, dicentis : *Venite ad me omnes fatigati & onerati, & dabo requiem animabus vestris.* Unde universalis ista nascitur propositio, cui adflictus ac anxius quilibet tuto suscribere potest : *Omnibus fatigatis Christus animæ requiem promittit. Atqui es fatigatus ; E. & tibi promissionem hanc applicare potes.* Quo magis itaque homo peccatorum suorum dolore ac angoribus afficitur, eo magis etiam solatio locus est. Ut ipse ille angor, mœrorisque magnitudo veri solatii semina secum ferat. De his vero infra in Cap. de consensu & dissensu Protestantium pluribus acturi sumus.

§. CV.

OBJECTIO VIII. Ab universalitate Decreti Electionis ad universalitatem meriti Christi progrediuntur, eamque contra nos tueri satagunt. Eorum argumenta BURNETUS l. c. §. 55. hisce proponit verbis : Christus, inquit, dicitur 1. Joh. II. 2. *Propitiatio pro peccatis totius mundi.* Et *Impii* dicuntur *abnegare Dominum*, qui illos mercatus est ; 2. Pet. II. 1. Et Mors Christi ratione exten-

extensionis ad omnes homines, opponitur peccato Adami; *Ita ut* Rom. V. 18. *quemadmodum per offensas unius reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per justificationem unius beneficium redundaverit in omnes homines ad justificationem vitæ:* Ubi particula universalis, *omnes* utrobique æque late patere debet. Atque adeo, si Peccatum Adami ad omnes se extendit, Mortem pariter Christi ad omnes se extendere necesse est. Idem porro urgent hoc argumento, quod omnes teneantur fide amplecti Mortem Christi, nemo vero obligari possit ad credendum falsum; sequitur ergo Christum pro omnibus esse mortuum.

§. CVI.

RESPONSIO. Primum Scripturæ dictum, Johannis scilicet, quod attinet: Respondent nostri, totum Mundum hic opponi Genti Judaicæ; ut sensus non sit Jesum Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, sed eum non pro Gente tantum Judaica, sed pro electis ex omnibus Populis, quicunque illi sint, satisfeciisse. Vocem *Mundi* enim non una semper in Litteris S. significatione venire, & subinde nonnisi certum hominum numerum ex universo Mundo electum denotare. Joh. XVII. 9. Christus ait: *Non pro Mundo oro, sed pro iis quos tu mihi dedisti.* Ubi ii, quos Christus redemit & pro quibus orat, à reliquo Mundo distinguuntur. Et hic intelligi beneficium solis electis proprium ex ipsis textus verbis patere Theologi nostri asserunt. Dum α. quorum Christus est *Propitiatio* eorum etiam παρακλητος *Advocatus* & Consolator sit, cum vero posterius non omnium sit, sequitur etiam prius,

prius, non ad omnes seſe extendere. β. ἱλασμον esse significat aliquem reapse expiare, Deum actu propitium reddere, non vero tantum sub conditione expiare, vel facere ut Deus placari possit si credant homines. Cum vero sola electorum peccata reapse expiata ac deleta sint, sequitur Christi ἱλασμον etiam non ulterius quam ad eos seſe extendere. γ. Dicunt Ecclesiæ nostræ Doctores: Apostolum Johannem hic *consolari*, nullum vero solatium ad reprobos pertinere.

§. CVII.

Quoad alterum dictum, Petri scilicet, *respondent* nostri Doctores: Christum sibi duplicis generis Servos emisse morte sua, *Voluntarios*, qui scientes & volentes lætique Regnum ipsius amplificant, & *involuntarios*, qui Domino mentiuntur, & inscii invitique Gloriam Domini illustrant. Priores Christum redemisse ajunt ex peccati mortisque Servitute, posteriores autem in ea relinquere, à Patre vero hoc obtinuisse, ut ipsa hæc Servorum malorum servitus ad Regni sui Gloriam exornandam faceret. Vide GURTLERI *Institut. Theol.* Cap. XXXI. §. 139. Hisce addi debuisset, ubi de vera ex servitute peccati redemptione sermo est, ibi semper redemtionis pretium addi, dicique Christum *sanguine suo* nos redemisse.

§. CVIII.

In Dicto ad Rom. V. 18. ad Apostoli finem attendendum est. Scopus nimirum ipsius non est, ut antithesin faciat, inter *numerum* eorum qui in Adamo peccarunt, & eorum qui per Christum redem-

redemti sunt ; ut ostendere velit, æque late Christi meritum sese extendere, ac peccati Adamici effectus sese extendit ; sed is Pauli finis est, ut ostendat *modum imputationis* Justitiæ Christi ; quod nimirum eadem ratione qua peccatum Adami nobis imputatur, eodem etiam modo nobis Christi Justitia imputetur. Ut sensus sit : Quemadmodum unius delicto factum est, ut omnes homines damnabiles redderentur ; ita omnes illi, qui à peccatis absolvuntur atque vivunt, unius Justitiæ imputatione horum bonorum fiunt participes.

§. CIX.

Ultimum quod attinet, quod scilicet omnes teneantur fide amplecti Christi mortem, nemo vero ad falsum credendum obligatus sit ; unde sequatur : Christum pro omnibus mortuum esse ; *Respondemus*, ad hoc homines obligatos esse, ut credant Christum pro omnibus fidelibus mortuum esse. Unde aut hunc formare possunt syllogismum : Christus pro omnibus in ipsum credentibus mortuus est, atqui & ego in Christum credo ; E. etiam pro me mortuus est. Aut ita : Ii soli certi esse possunt, Christum etiam pro se mortuum esse, qui ipsum ceu unicam perfectissimamque Salutis suæ caussam vera fide amplectuntur. Atqui ego veræ fidei criteria in me non deprehendo ; E. nec certus esse possum, Christum etiam pro me mortuum esse.

§. CX.

OBJECTIO. IX. Respectu *efficaciæ Vocationis divinæ* ita Remonstrantes interpretantur mentem nostram, ut putent, nos ab una quidem parte

te ſtatuere, Deum ita in mentem ac voluntatem noſtram operari, ut ipſi peccator ne momentum quidem reſiſtat, quod S. Litteris adverſum ſit; ab altera autem parte nobis tribuunt quod ſtatuamus, Deum eos, quos non ita efficaciter vocat, ad peccatum ita determinare, ut non poſſint non peccare. Unde BURNETUS Remonſtrantes ſic contra nos argumentantes introducit. Neque exiſtimandum eſt, inquit, Gratiam adeo in ſe eſſe efficacem, ut nos determinet; alias quomodo nobis præcipi poſſet Eph. IV. 30. *Ne contriſtemus Spiritum S.* ? Quorſum dicitur, Actor. VII. 51. Matth. XXIII. 37. *Semper reſiſtitis Spiritui Sancto, uti Patres veſtri fecerunt, ſic & vos! Quoties volui congregare vos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſtis?* Eſajæ V. 4. *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea?* Quæ omnia videntur clariſſime indigitare ejusmodi potentiam in nobis, per quam non ſolum poſſimus, ſed & actu ſæpe reſiſtamus internis *Gratiæ* motibus. Et ſi determinans Gratiæ Efficacia non admittitur, multo difficilius eſt credere nos efficaciter determinari ad *Peccatum.* Hoc non tantum videtur contrarium Sanctitati & Puritati Dei, ſed etiam tam manifeſte contrarium eſt totius Scripturæ tenori, quæ omnem Peccati noxam Homini tribuit, ut in cauſſa tam manifeſta prolixis non ſit opus probationibus. Hos. XIII. 9. *O Iſraël, perdidiſti teipſum, in me vero auxilium tuum; non vultis venire ad me, ut vita, quæ eſt in æternum, ſit vobis:* Joh. V. 6. Ezech. XXXIII. 11. *Cur vultis mori, o Domus Iſraël?* Quantum ad ſubtilitatem illam, quando formale peccati conſiſtere dicitur in negatio-

gatione, quæ non sit Ens positivum, ita ut quamvis Deus hominem determinet ad actionem peccaminosam, non tamen concurrat ad malitiam actionis: Hoc nimis putant esse metaphysicum, atque ejusmodi argutias non sufficere ad vindicandam Gloriam Dei & Attributorum ejus: Etenim in peccatis contra Legem videtur antecedens, atque ab eo esse inseparabilis. Sed posito peccatum in mera negatione consistere, Privatio tamen ista immediate & necessario ex Actione resultat sine ulla alia re interveniente: ita ut, si Deus infallibiliter determinat Peccatorem ad commissionem actionis, cui reatus iste adhæret, quantumvis ea tantum peccatum foret propter privationem ab ea dependentem, nihilominus non apparet, quomodo Deus non sit Autor peccati; cum enim sit Auctor actionis peccaminosæ, à qua peccatum, ut umbra à corpore, dependet, necessario, inquiunt illi, ipsius quoque Peccati Autor censendus erit.

§. CXI.

RESPONSIO. α. Quando commonemur ne contristemus Spirtum S., hoc nihil impedit quo minus divina Gratia ita efficax sit, ut homo lubentissime sequatur. Contristant nimirum Spiritum Dei *vel ii*, in quibus hoc Spiritus S. negotium est, ut eos efficaciter vocet, qui vero ipsum Cor eorum pulsantem non statim audiunt, sed curis mundanis carnisque cupiditatibus hactenus dediti ipsius convictiones sæpius suffocant; inde tamen non sequitur: tandem ita efficacem non fieri Spiritus S. Gratiam, ut omnes difficultates superet, cupiditatumque obices tandem re-

moveat. *Vel ii* etiam Spiritum S. contriſtant, qui jamjam efficaciter vocati, ſubinde nimis ſecuri ac negligentes in ſalutis ſuæ promotione fiunt, & peccata haud levia committunt, uti olim David; unde ipſos Spiritus S. viciſſim contriſtat, dum lætitiæ ac ſolatii operationem per aliquod tempus omittit. Hoc non obſtante tam efficax Divina Gratia ſemper manere poteſt, ut homines Virtutes radicales illas Fidem, Spem ac Amorem non amittant, nec adeo ex Divina Gratia excidant.

§. CXII.

β. Quoad dictum Act. VII. 51. non negant noſtri Doctores, hominem, regenerandum etiam, Gratiæ divinæ reſiſtere, ut Spiritus S. operatio ſæpe ſæpius reiteranda ſit antequam cordis duritiem perrumpere poteſt; ſed tam efficaciter divinam Gratiam in convertendis operari aſſerunt, ut hominis intellectus illuminetur, voluntasque ejus ita flectatur, ut homo Spiritus S. ductum lubentiſſime ſequatur, nec amplius ei reſiſtere velit; ut Deus hominem infallibiliter convertere poſſit ſi velit.

ed. 1751, pag. 243

Placet hic apponere verba Celeb. LAMPII *Geheimniß des Gnadenbunds* Tom. I. Cap. VII. §. 17. *Das Wunderbahrſte iſt, daß ſolche Ueberzeugungen lange in der Seele kœnnen anhalten, oft aufs neue unterdruckt werden, und von neuem wiederkommen, ehe ſie zum vœlligen Durchbruch kommen. Und darinn offenbaret ſich eine ſonderbare Langmuth Gottes*, der den ganzen Tag ſeine Hænde ausbreitet, Jes. LXV. 2. *Darum*

um wird das Wort ein Hammer *genannt*, der die Felsen zerschlægt, Jerem. XXIII. 29. *und bey* Tropfen *verglichen*, die aufs Kraut fallen. 5. Buch Mose XXXII. 2. *Denn gleichwie viel Schlæge dazu gehœren, mit einem Hammer einen gantzen Felsen zu zermahlen; und viel Tropfen erfordert werden, ein dürres Land zu befeuchten, oder ein unfruchtbares fruchtbar zu machen: also müssen zuweilen viel Ueberzeugungen auf einander gehæuffet werden, ehe das Hertz sich zur Uebergabe schickt.* Et §. 19. de infallibili divinæ Gratiæ efficacia ita habet. *Weil nun durch die Natur ein solches Band zwischen Verstand und Willen gelegt ist, daß was der Verstand klar und deutlich erkannt hat, den Willen entweder zur Erwæhlung oder zur Verwerffung überwiegt, so folget auf die erste himmlische Betrachtung des Verstands eine zuvor unbekannte Neigung in dem Willen, da die Seele thut ausbrechen:* Herr! du hast mich überredet, und ich habe mich überreden lassen. Du bist mir zu starck worden, und hast mich übermocht. Jerem. XX. 7. *Absonderlich da Gott in dem Augenblick, worinn der Verstand aufgeheitert wird, die erste Bewegung zur Liebe der Wahrheit in den Willen einflœsst, welche der Zug des Vaters genannt wird.* Joh. VI. 44. Es kan niemand zu mir kommen, es sey denn, daß ihn ziehe der Vater, der mich gesandt hat. *Und dieser bewegenden Krafft kan nicht længer Widerstand gebotten werden.* Denn wer kan seinem Willen widerstehen? Rom. IX. 19. Wo der Arm des Herren sich offenbaret, Jes. LIII. 1. *Da müssen alle Hindernissen wei-*

chen. Der das Heer des Himmels bey der Zahl ausführet, und sie alle mit Namen ruft, dessen Vermœgen und starcke Krafft ist so gross, dass es nicht an einem fehlet. Jes. XL. 26. *Darum wird das Wort, das dazu ein Mittel ist, ein* Feuer *genannt*, Jerem. XXIII. 29. *Und ein* zweyschneidig Schwerdt, welches Seel und Geist zertheilet, und durch Marck und Gelencke dringt. Hebr. IV. 12. Dis ist die Stimme des Herrn, die die Cedern zerbricht, die Feuerflammen hauet, die die Hindin gebæhren macht. Psal. XXIX. 4-8. *Es ist ein* Ziehen, *worauf nothwendig ein* Laufen *folget.* Hohel. I. 4. *Eine kræftige* Versetzung in das Reich des Sohns der Liebe Gottes. Col. I. 15. *Indessen ist es kein Nothzwang, wodurch die Freyheit des Willens, die demselben natürlich ist, wird umgestossen, sondern eine vernünfftige Nœthigung, der der Mensch, obschon kræfftiglich und verborgner Weise durch Gott geneiget, dennoch mit Freywilligkeit folgt. Und diss rühret daher, weil die Erleuchtung des Verstands voran geht, so dass der Wille keine andere Wahrheit bedarff anzunehmen, als die er erst in dem Licht des Verstands heilig und gut zu seyn erkannt hat.*

§. CXIII.

γ. Christus dicit se congregare voluisse Judæos quemadmodum gallina pullos suos. Matth. XXIII. 37. Id fecerat prædicando Evangelium suum, immorigeris Judæis Judicia sua annuntiando, miracula patrando, ad se venientibus Gratiam ac requiem offerendo; omnia autem hæc, respe-

respectu majoris Judæorum partis, fuere inutilia, dum corda sua obdurarunt; hoc ipsum maximam hominis impotentiam indicat, dum omnia æterna divinæ Gratiæ media frustranea sint, nisi ipse Deus in eo operetur velle & perficere. Quod Adversarii ulterius ex dicto hoc probare volunt hominem divinæ Gratiæ résistere, hoc non negamus; sed eadem hominis naturalis resistentia ac cordis durities in caussa est, quod divina Gratia in convertendis tam efficaciter operari debet, ut peccatoris perversam voluntatem superet; ut sine efficaci hac Gratiæ operatione communis illa vocatio ad hominem regenerandum minime sufficiat.

§. CXIV.

δ. Communem etiam Gratiam, quam Remonstrantes jactant, ad hominis conversionem sufficere, absque speciali ac omnipotente Spiritus S. virtute, probare non poterunt ex loco Esajæ V. 4. Disputat nimirum Deus integro hoc capite, hominem solis naturæ viribus, licet communi, quam vocant ac externa Gratia adjutus sit, opera vere bona ac respipiscentia digna edere non posse. Unde ostendit omnia externa Gratiæ media, Verbum divinum, promissiones & comminationes in eo contentas, variaque beneficia homini exhibita, castigationesque, peccatori convertendo non sufficere.

§. CXV.

Agit Deus cum Israëlitis, qui obedientiam propriis viribus præstandam Deo promiserant, neque singulare divinæ Gratiæ auxilium ab eo petierant;

tierant ; unde Deus ad nihil amplius illis præstandum obligatus erat, quam ad sola externa adminicula, reliqua enim suis viribus efficere promiserant. Ut hic verborum sensus sit : Omnia ego vobis Israëlitis præstiti, quæcunque ad fidei & resipiscentiæ fructus proferendos sufficientia putatis & quæ à me postulatis ; debuissetis ergo, juxta proprium vestrum judicium, tales fructus edere ; longe aliter vero res evenit, dum nullos ejusmodi fructus, sed nonnisi labruscas profertis. Quod manifestum indicium est, communia illa Conversionis media non sufficere, sed singulari adhuc divinæ Gratiæ efficacia opus esse.

§. CXVI.

Quod denique BURNETUS de efficaci ad Peccatum determinatione addit, qualem nos Deo tribuamus, toties repetita Remonstrantium accusatio est, quod nimirum Deum peccati Autorem faciamus, eam toties negamus quoties Adversarii repetunt. Respondemus autem α. nos omnem peccati culpam in hominem rejicere. β. Ad hominis indurationem nihil amplius requiri, quam ut Deus, postquam homo Gratiæ externa adminicula recusavit pedibusque ea proculcavit, seque adeo Gratia ulteriore indignum fecit, homini suam subtrahat Gratiam neque porro eum illa frui sinat ; quo fit ut homo proprias suas vias ambulans, magis ac magis obduretur & ruat in reprobam mentem. Ex quibus liquet, hominis culpam esse quod omni in posterum divinæ Gratiæ auxilio privatus sit, neque id efficāci Dei ad peccatum determinationi tribuendum esse. γ. Quod dicunt, nimis metaphysi-

physicum esse, quando formale peccati in Negatione, sive absentia relationis actioni debitæ inesse, statuimus, absonum plane est. Idem est ac si diceretur, hoc mihi philosophicum videtur, ergo falsum est. Sed ipsam illam negationem sive privationem, in qua peccatum consistat, ex actione resultare dicunt; adeo ut si Deus Peccatorem ad actionem illam infallibiliter determinet, quamvis homo ipse privationis auctor sit, quæ peccati formale constituit, Deus tamen actionis illius peccaminosæ, adeoque etiam peccati, Auctor censendus sit. Idem est ac si nos hoc modo ratiocinaremur: Remonstrantes statuunt Deum hominem creavisse illique vires ad agendum dedisse, cum vero actiones peccaminosæ per vires illas, quas Deus homini ad agendum dedit, producantur, sequitur Deum Virium earum auctorem etiam actionum peccaminosarum inde profluentium auctorem esse. Quod quam absurdum sit ipsi Adversarii facile perspicient; propterea non minus absona hæc argumentandi ratio nobis videtur: Reformati statuunt Deum hominum vires conservare & eoipso eos ad agendum & viribus hisce utendum determinare, E. Deus etiam defectus moralis in specifica hac vel illa actione, adeoque etiam peccati, Autor est. δ. Omnis autem divina actio circa malum morale in hisce tribus consistit; *Primo* scilicet peccatum *permittit*, quod si vellet pro infinita sua Omnipotentia impedire posset. Hoc Adversarii nostri negare non poterunt, nisi vel divinam Omnipotentiam ejusque Præscientiam negare velint; vel statuere hominem à Deo plane independentem esse; sed nulli dubitamus

quin & Remonstrantes peccati permissionem concedant, nec credant se propterea Deum peccati Auctorem facere. *Secundo* statuimus Deum peccato *limites ponere*, ut homines in malitia sua ulterius progredi nequeant; quod negari nequit, nisi gratiam refrenantem & varia Scripturæ exempla negare velimus. *Tertio* dicimus, Deum malum *dirigere ad bonum finem*; nec hoc negare Adversarii poterunt, nisi simul negare velint Deum sapientissimum esse, qui etiam ex tenebris lucem producere potest. In omnibus hisce igitur nihil plane deprehenditur, quod peccati caussam ejusque culpam in Deum rejiciat. Quæ ad vindicandam nostram Doctrinam sufficient.

§. CXVII.

OBJECTIO X. A vocatione efficaci ad Doctrinam de *Sanctorum perseverantia* pervenimus; contra quam secundum BURNETUM l. c. §. 57. Remonstrantes ita argumentantur: Quantum ad Perseverantiam, inquit, frequentes promissiones, iis factæ Apoc. II. 3. *Qui vincunt, qui fideles & constantes sunt usque ad mortem*, insinuare videntur, hominem à statu posse prolabi. Notissima illa verba Cap. VI. ad Hebr. clarissime probant ejusmodi homines ita posse *prolabi ut impossibile sit, eos ad pœnitentiam renovari.* Et in eadem Epistola Cap. X. quo loco dicitur: *Justus fide sua vivet*, additur, *si quis se subduxerit, non probat eum animus meus.* Diserte apud Prophetam dicitur: Ezech. XVIII. 24. *Cum avertens se justus à justitia sua, facit iniquitatem, omnia juste facta ejus, quæ fecerit, non commemorabuntur, propter prævaricationem ipsius, qua prævaricatur & propter peccatum ipsius*

ſius, quo peccat, morietur. Quæ in hoc & plurimis aliis Scripturæ locis ſupponuntur, ſatis fundamenti præbent, ut credamus, hominem probum à pietatis ſtatu æque poſſe prolabi, ac homo improbus ad pietatis ſtudium converti poteſt. Denique, ultima illa Linea rerum, Judicium extremum, quod in Die noviſſimo, ſecundum id, quod homines patravere ſive bonum ſive malum, in eos exercebitur, illaque præmia & pœnæ, quibus ſecundum opera ſua afficientur; tam clare Libertatem Voluntatis aſſerere videntur, ut vel hoc ſolum arbitrentur ſufficere poſſe, ad totam hanc cauſſam aſſerendam.

§. CXVIII.

LIMBORCHIUS totam argumentorum aciem ad tres refert claſſes, *Theol. Chriſt.* Lib. V. Cap. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. Ad *primam* claſſem pertinent Scripturæ teſtimonia Ezech. XVIII. 24. 25. 26. Matth. XIII. 20. 11. Hebr. VI. 4-8. X. 26-29. 2. Pet. II. 18-22. *Altera* argumentorum claſſis exempla ex Scriptura deſumta proponit eorum hominum, qui vere fideles extiterint, ſed penitus à fide defecerint ut *David*, *Salomon*, *Hymenæus* & *Alexander*, & denique *Demas*. *Tertiam* claſſem efficiunt, Adhortationes, comminationes & promiſſiones Dei, quæ neceſſariæ non ſint, ut fiant ad fideles, ſi impoſſibile ſit ut ex ſtatu Gratiæ deficere queant.

§. CXIX.

RESPONSIO. In Dicto Ezech. XVIII. ubi de eo ſermo fit qui à juſtitia ſua avertitur & iniquitatem facit, non intelligitur Chriſti juſtitia

per fidem nobis imputata ; sed per justum is intelligitur qui propriam sectatur justitiam, actionesque externas hucusque legi accommodans, ab ea vero iterum ad improbitatem deficiens est.

§. CXX.

Matth. XIII. 20. 21. Non de vere fidelibus sermonem esse tam ex contextu quam ex ipsis verbis satis apparet. *Ex contextu*, quia illi quorum hic mentio fit à vere fidelibus distinguuntur, de quibus dicitur quod *bono & probo animo auditum verbum retineant, & fructum cum patientia ferant.* Ex *ipsis* dicti hujus *verbis ;* sermo enim fit α. de talibus qui cor lapideum habent, cum fidelibus contra cor carneum ac novum tribuatur. β. Dicitur eos radicem non habere, dum non uniti sunt cum Christo, per cujus solius communionem fideles fructus ferre possunt Joh. XV. 5. Vere fideles contra cum Christo ut palmes cum vite uniti & in Christo radicati sunt ; cor ipsorum ita præparatum est ut semen Verbi divini radices agere possit. γ. Ita describuntur homines hi, ut fructus non ferant, iis enim qui fructus ferunt opponuntur. Patet itaque temporariam fidem, quæ ingruentibus calamitatibus deficit, natura à vera & salutari fide differre.

§. CXXI.

Quotquot igitur à fide defeciisse legimus & à nobis exiisse, hi, teste Johanne, non erant ex nobis, alias nobiscum mansissent. 1. Joh. II. 19. Et ii qui circa fidem naufragium faciunt ea nondum potiti sunt, uti naufragus portum nondum attigit.

Præci-

§. CXXII.

Præcipuum, quo Adversarii utuntur, argumentum ex effato Pauli ad Hebr. VI. desumtum est, duplicique illud nititur fundamento, *primo* nimirum phrasibus, quibus deficientes describuntur, quæ loquutiones ita comparatæ sint, ut nonnisi vere fidelibus competant. *Secundo* quod dicitur eos ad resipiscentiam renovari non posse, unde sequatur eos jam antea vere resipuisse. Ad primum respondemus: α. Etiam irregenitos Evangelii luce *illuminari*, dum veritatis Evangelicæ cognitione colluστrati, multa cognoscunt quæ ipsis sine hac luce occulta mansissent. β. *Gustant Donum cœleste*, dum sciunt Jesum Christum esse manna illud cœleste, panem salutiferum qui hominibus vitam affert; dum vero primis tantum labiis cibi hujus dulcedinem *gustant*, eum in succum & sanguinem non converterunt. γ. *Participes fiunt Spiritus S.* dum veritatis cœlestis ab eo convicti sunt, *peccati* scilicet, *justitiæ* ac *judicii*. δ. *Gustant bonum Dei Verbum*, egregias promissiones in eo contentas, de gratiosa peccatorum nostrorum per Christi meritum condonatione. ε. Ut & *virtutes futuri sæculi*, sive bona Novi Testamenti. Quæ omnia de iis prædicari possunt, qui Verbum Dei quod audiunt cum gaudio recipiunt, sed radicem non habentes calamitatis tempore deficiunt. Ad *secundum* quod spectat, *renovatio* non opponitur resipiscentiæ jam semel factæ, quæ post defectionem reiteratione opus habeat; sed respicitur potius ad primum hominis statum à quo in Adamo defecit, proptereaque regeneratione in pristinum statum opus habet.

Ad

§. CXXIII.

Ad Hebr. X. dicitur, nullum amplius pro peccato sacrificium superesse, si homo, postquam veritatis cognitionem accepit, data opera peccet. Per veritatis agnitionem vero nihil aliud intelligitur quam intima ejus convictio, qua irregeniti etiam subinde gaudent. Fidei vero ii sese *subducunt*, qui lene ejus jugum nunquam amplecti volunt.

§. CXXIV.

Ii etiam qui veram Fidem consequuti non sunt, per agnitionem Domini possunt effugere mundi inquinamenta, dum Evangelii luce mente collustrantur ut varia corruptæ carnis præjudicia ac errores agnoscant, gravissimisque sceleribus ac vitiis valedicant, sed iis denuo implicentur, dum lascivis carnis cupiditatibus ducuntur, & corruptioni serviunt, fontes aqua Spiritus S. carentes.

§. CXXV.

Promissiones iis factæ qui vincunt, & ad mortem usque constantes sunt, nihil probant. Ii enim qui non vincunt eoipso ostendunt se fidem veram non habuisse, nec ejus virtute indutos fuisse. Promissiones vero divinæ bonitatis ac clementiæ signum sunt, quo fideles permovere vult, ut eo majori cum alacritate ac fortitudine hostibus suis resistant, scientes se post reportatam victoriam justitiæ coronam aliquando consequuturos esse, & vitæ hujus ærumnas ac calamitates quæ parvi brevisque momenti sunt, nihili faciendas esse, si comparentur cum infinita illa, quæ fideles manet, cœlesti Gloria. Inde vero minime possibilis fidelium defectio elici potest.

In

§. CXXVI.

In ultimo Judicio juſtiſſimus Judex quidem ad Charitatis opera provocat, ut ex iis ſententiam ſuam juſtificet, & oſtendat, hisce jure æternam Gloriam competere, dum veros fidei characteres habeant; Inde tamen neutiquam ſequitur, eos propriis viribus opera hæc præſtitiſſe, adeoque etiam à vera fide potuiſſe deficere, ſiquidem omnia hæc *benedictione* patris præſtita ſint, jusque hoc ex *hæreditate* veniat, & *ab omni æternitate* ipſis Regnum hoc *deſtinatum* fuerit. Matt 25,34

§. CXXVII.

DAVID & SALOMO licet graviter lapſi ſint, nunquam tamen veræ fidei radice privati fuere, quod inde patet, quia uterque peccata agnovit & ſeriam reſipiſcentiam egit, ut Pſalmus LI. & Eccleſiaſtes teſtatur; ut defectoribus ab Adverſariis noſtris falſo accenſeantur.

§. CXXVIII.

HYMENÆUM & PHILETUM ſalvificam jam habuiſſe fidem falſiſſimum, dum fundamentalem Chriſtianæ Doctrinæ Articulum negabant, mortuorum reſurrectionem jam contigiſſe aſſerentes, & ne amplius populum ſermonis gangræna depaſcant, utque calumniari ceſſent, publice ab Apoſtolo commoniti, & Hymenæus Satanæ traditus fuit.


§. CXXIX.

DEMAM quod attinet, quem Paulus ſæculum præſens iterum amplexum eſſe profitetur, indubium Remonſtrantibus pro ſanctorum defectione argumentum non præbet. Aut enim ille fidem

fidem tantum temporariam habuit, ut cum gaudio, temporis opportunitate, Evangelicam Doctrinam acceperit; aut veram ac salvificam habuit fidem? Si prius, à vera fide defeciſſe dici nequit. Si posterius, non Christo ipsi, sed periculoso ac molesto tantum Evangelii prædicandi officio, renuntiavit.

§. CXXX.

Divinas adhortationes denique, comminationes ac promissiones, quibus homo ad perseverandum incitatur, sunt medium, quo in via Salutis custodimur, & hunc fidelibus præstant usum, ut nunquam securi fiant, nam is lapsum facilius evitat qui subinde monetur ut sibi caveat, & qui cum timore ac tremore in via ambulat. Et Deus non vult ut homo externa salutis media negligat, quæ subordinata sunt ad consequendum ultimum Finem.




Vd 11-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0629-6

Vol III = 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0631-3





JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.
Tom. IV.



F.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834958-p0635-5